BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
19 1
32

Digitized by Google

X X L X 4 1 - 2

128.d.14

Digitized by Google

Z 01.5

46 .5

Digitized by Google

THOMÆ BARTHOLINI

EPISTOLARUM MEDICINALIUM

à

Doctis vel ad Doctos

scriptarum,

CENTURIA I. & II.

Cum Indicibus necessariis.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

HAFNIÆ,

Typis MATTHIÆ GODICCHENII,

Impensis PETRI HAUBOLD, Bibl.

ANNO cIↃ IↃc LXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Serenißimo Principi

JOHANNI GEORGIO TERTIO

Electoris Saxoniæ Filio,

&

Regis Danorum Genero,

S. F. Q. P.

TH. BARTHOLINUS.

EPiſtolas ſcribere quanquam apud rerum ignaros tralaticium cenſeatur, illis tamen peritiorum judicio pro re nacomplectitur ſapiens, quæ gravi temrum momento librantur. His inumentis, velut tuto ſilentio, arcana ncipum committuntur, fœdera panitur, firmantur amicitiæ, verbo, abtium deſideria ſupplentur. Hinc ſub nis Imperatoribus inter officia Au-

Digitized by Google

guſtæ domus erant ab Epiſtulis, quales & Magiſtri Epiſtolarum Regiarum apud Symmachum, & Principis Epiſtolares in Codice. Ego quidem, quanquam inter tantos Magiſtros, ſcriniorumq; cuſtodes, numerari me nec velim nec poſſim, Tibi tamen, Sereniſſime Princeps, Epiſtolas vel ſcribere vel ſcriptas inſcribere, tanto confidentius auſim, quod Naturæ hinc inde ſcrinia excutiam, & ſeria alia Epiſtolæ noſtræ ſecum trahant, quibus Majorum exemplo in ætatis flore ætatem Tuam antevertis, & in eo jam ſis temporum flexu, ut Epiſtolas mediteris, quibus vel inter confœderatos ſociosve, vel amantes copulæ nectuntur. In Digeſtis abſens abſenti per Epiſtolam vel internuncium rectè deſpondetur; jamq; meliore fato & optatis auſpiciis factum, quod conjugalis amicitiæ fœdus per Principum animorum conſenſum, per mutua Auguſtæ domus officia, per deniq; Epiſtolas, fidos illibati affectus interpretes, cum ANNA SOPHIA,

Auguſti

DEDICATIO.

Auguſti Regis noſtri primogenita, Regumq; plurimorum Nepte, & Abnepte, nuper ſanciveris; quod ut Sereniſſimæ familiæ utrinq; eveniat feliciter, Epiſtola hac votiva ſupplex Deum veneror. Alias taceo prægnantes cauſas quibus Serenitati Veſtræ obſtrictos hac Epiſtola nos profitemur, qui religionem, inter noſtros jam publicè receptam, majoribus veſtris debemus & eruditionis partem, deniq; amicitiam privatam, ſed publicum beneficium, Sennerti, Schneideri, Sperlingi, quæ ævi decora publicæ utilitati commodaſtis, & aliorum quos fama perennes voluit. Publicam pietatis gratiam Dania refert, quæ Tibi, Princeps, in quo Majorum virtus elucet, olim abaviam donavit, jam Sponſam, meliorem ſui partem, Jovis noſtri & Junonis filiam, qua pulchrius nihil aut ſincerius Boreas progenuit, amplexibus Tuis deſtinavit. Privatim ego varii nec inutilis argumenti Epiſtolas, devoti animi obſides, Electo Tuo Nomini

Digitized by Google

mini consecro, seu, ut Juris Consulto-rum verbis loquar, emitto & expono, si quidem & per Epistolas nomina fiunt. Non eo superbiæ me ambitus perduxit, ut Epistolas nostras Tua sacrarum Epistolarum scrinia, qualia apud Imperatores quos vestra hodie familia facit, olim servabantur, meruisse præsumam: saltem favori Tuo, Magniq; Parentis, quem Albis adorat, literas nostras, meq; ipsum includas, per Epistolam, qua nudi, ut ille loquitur, detegimur, submisse precor. Æternum Numen concepto voto pro salute Tua, Flos Principum, & incolumitate Augustæ Sponsæ, majus demum pondus addat, quando sine Epistolis amantium Principum ora manusq; conjunctæ, æternitatem suam prospexerint.

Hafniæ Æræ Chr. cIↃ IↃc LXIII. d. XI. Februar. solenni liberatæ Urbis festo.

TH. BAR-

Digitized by Google

TH. BARTHOLINUS Lectoribus S.

INstitutum noſtrum in Epiſtolis, quas damus, eruditorum exemplo, mixtum fuit ex docto ſcribendi genere & familiari, quod & nobis decentius, & vobis utilius judicavimus. Seria tractare Imperatorum eſt, quorum Epiſtolæ legis vigorem habent, apud Juſtinianum. *Similes ſunt Theodorici Regis, à* Caſſiodoro *libris quinq; collectæ. Quo referrè poſſunt illæ, quibus Magnorum fortunæ, publicique temporum ſtatus deſcribuntur quas* Cicero *tentavit*, Æneas Sylvius, *poſtea Pontifex*, Cardinalis d' Oſſat. *Familiare genus ad Familiares idem* Tullius *exercuit, &* Plinius, *poſtq; eos* Symmachus, Lipſius, Muretus, Baudius, Aquilonius *noſter*, Cabeliavius, Crucius, Balzacus, Victurius, *aliiq; numero plures. Id quanquam proprium epiſtolis ſit & germanum, veris affectibus plenum, publica ta-*

men luce indignum censeo, nisi vel à Magnis Viris, quorum etiam præcipitatas voces admiramur, profectum, vel ad comparandam eloquentiam fuerit comparatum. Utile nostris hominibus est, si cum docto familiare misceatur, rebusq; sacris vel profanis quæ ad Philologiam vel Philosophiam, vel Medicinam spectant. Unde paucos invenias in officiosis literis, publicè aliquando relegendis, occupatos, qui non utilibus familiaria colloquia condiant, ut simul & amicis, quibus privata studia deferunt & publicæ necessitati quoq; satisfiat. Philologica olim Varro *in Quæstionibus Epistolicis expendit, taliq; rubricæ melioris literaturæ & antiquitatis doctos calamos implerunt* Scaliger, Casaubonus, Pignorius, Salmasius, Reinesius. *In moribus singulare* Platonis *&* Senecæ *studium eminet. Penitioris Philosophiæ eruditionem* Licetus *&* Cartesius *pleno modio per amicas Epistolas effundunt. Sacra negotia, præeunte Servatore* Christo,

sto, *quem Epistolas ad Abgarum scripsisse ex Archivo Regis Edessæ narrat* Eusebius, *epistolii forma incluserunt Divi* Petrus, Johannes, Paulus, *quos proximis seculis sequuti sunt* Ignatius, Basilius, Cyprianus, Gregorius, Hieronymus, Augustinus. *De usitatis in Ecclesia Epistolis commentarium ex antiquitate Ecclesiastica concinnavit* F. Bernardinus Ferrarius, *inclytus pietate & eruditione, lectu dignum. Ad quam classem referendi Desiderii* Erasmi *Epistolarum libri, quibus ea facundia & temperantia istius temporis mutationes in Ecclesia describuntur, ut ibi se maximum Erasmus ostenderit. Rem Medicam quod attinet, cui hic institutus sermo, Epistolis* Hippocrates *tam multa complexus est, ut, judicio* Vallesii, *nihil utilium videatur omisisse. Quam docendi viam alii & patrum & nostra memoria elegerunt, qui supra vulgus erecti ea Epistolis consignarunt, quæ abdita in arte, raro eventu, & varia scientia mortalium*

curioſos doctosq; animos implere poſſint, Nic. Maſſa, Jo. Bapt. Theodoſius, Matthiolus, Gesnerus, Mundella, Trincavellius, Augenius, Hildanus, Jo. Langius, Horſtius *Pater & Filius*, Alſarius Crucius, Licetus, Beverovicius, Petr. Caſtellus, N. Fontanus, Sitonius, Benedictus, Sorbierius, *& alij æternitatem cogitantes. Nobis in hoc paſſu quid propoſitum fuerit, paucis aperiam. Quum à primis famæ initiis varias eruditorum per univerſum penè orbem literatum amicitias, neſcio quo meo merito, impetraverim, ultro citroq; de argumentis artem noſtram concernentibus per literas inter nos actum, quibus & doctrinæ & privatæ familiaritatis nexus coaluit. Poſſem mihi de utroq; privatim gratulari, niſi ſemper publica ratio mihi viſa eſſet potior, gauderemq; & pluribus noſtram amicitiam innoteſcere & verum amicitiæ fructum. Illam pro vitæ morumq;, hunc pro publici officij teſtimonio colimus. Melioribus*

xibus inter eruditos placuiſſe, mortali gaudio præfero, & omnia ad publicam laudem examinare, ſummæ laudis præmia pollicetur. Ut igitur utriusq; nobis commercii ratio conſtaret, nec pœniteret impenſarum, quas Tabellarii exigunt, ſparſas in pluteis meis eruditorum Epiſtolas collegi, familiares, doctas & ex his mixtas, delectuq; habito nonnullas, Romana penna ſcriptas, ſecundum annorum ſeriem propter obſervationum Medicarum hiſtorias, ne Plinius *offenderetur, digeſſi, quæ vel à Magnis ſeculi oraculis pleno affectu ad me ſcriptæ fuerunt, vel argumenti gravitate ſe publico commendant. In delectu primum prolixas eliminavi, quæ vel declamatiunculæ cenſeri poſſent, quemadmodum Phalaridis Epiſtolas vocat* Erasmus, *vel Commentationes, quas pro Epiſtolis ab* Ariſtotele *ad Alexandrum &* Platone *ad Dionis familiares conceptas, ægrè fert* Demetrius *Phalereus de ἑρμηνείᾳ; quia Epiſtolas in publicum protru-*

dimus

dimus, non Libros: quæ cauſa fuit, quod in volumine hoc Epiſtolari locum denegaverim Salmaſii *Multiſcii de Cruce & Hyſſopo Epiſtolis Tribus, & duabus* Walæi *ingenioſi de ſanguinis & chyli motu; nec hic legi voluerim noſtras ad* Horſtium *Juniorem de Lacteis, ad* Zaſſium *de obſervationibus Bilſianis, ad* Deuſingium *de Hepate defuncto: Deinde merè officioſas, numero totidem, in ſcriniis reliqui, & aliena dialecto exaratas, meliori occaſioni reſervavi. Reſponſorias meas addidi, quæ ad manus erant. Multæ verò, ſimul ac à me manumiſſæ, apud me perierunt, quia, ut cum* Lipſio *loquar, bis non ſcribo, vix bis lego, quod in mei defenſionem dictum velim, ne quis ſibi non reſponſum credat, quia hic reſponſoriæ fruſtra quæruntur, habeamq; quod Epiſtolis meis rarioribus prætexam, quæ extemporaneo ſuo genio calamoq; tantum aliis amicis pariter & æmulis placuerunt, ut me inſcio & nonnunquam invito, paſſim publicè pro-*

ſtent

ſtent; fruſtraq; eapropter ſint, qui ex una vel altera, tumultuaria manu emiſſa, totum me æſtimaverint. Aliud agendo, tabellarios expedire ſoleo, quia gratiam ſui amittit Epiſtola, ſi meditatas pennas defatiget. Nonus annus ad conſcribendos libros conceditur, at Epiſtolæ, ut ſine morâ placeant, feſtinatione urgentur. Unde & Epiſtolicus character, ex Demetrio *laudato, exilitate indiget, quam ita cunctis ſpero attemperatam, ne vel urbanitatem deſiderent amici, quibus reſpondetur, & promptitudinem, vel eruditionis ſiliq; varietatem Lectores, qui repetita lectione de Epiſtolis noſtris jam publicè, ſive ex voluntatis cujusq; affectu, ſive veritatis noſtræ & famæ conſcientia, judicaturi ſunt. Ne longior ſim, ſine amicorum ingratiis, nuda Epiſtolis noſtris, more majorum, nomina præferuntur. Malui ſimplici rerum variarum mole paginas, quam titulis, turgeſcere, quos, ut exemplo præirem, ipſi mihi ea*

licentia

licentia detraxi, qua liberalitate fuerunt conceßi. Quicquid verò ſeu hic ſeu alibi, in officij diligentia deſideraverint amici, quorumcommercia literaria fovemus, quorum gloriæ litavimus, in Centuriis ſequuturis, prælo jam vicinis, ſedulo procurabo, ut bonorum amicitiæ, quæ candore haud fucato & neſcio qua eruditionis fama, exordium ſumpſerunt, aucta posthac ſingulorum humanitate, & officiis noſtris, ſumant incrementum.

Hafniæ XII. Febr. cIↃ IↃC LXIII.

CATA-

CATALOGUS
Virorum Clariſſimorum à quibus, vel ad quos EPISTOLÆ Duarum Centuriarum priorum ſcriptæ ſunt.

A.

Abrahamus Prætæus, Med. Doct. Lugdunenſis.
Adolfus Vorſtius, Med. Doctor & Profeſſor Leidenſis.
Albertus Kyperus, Medic. Doctor & Profeſſor Leidenſis.
Ambroſius Rhodius, Phil. Doct. & olim Profeſſ. Chriſtianiæ Norweg.

B.

Bartoldus Nihuſius, Canonicus Moguntinus.
Brigitta Tottia, Domina de Turebye.

C.

Cæcilius Folius, Eques, & Anatom. Venetus.
Carolus Avantius Rhodiginus, Medic. Doct. Patavinus.
Claudius Salmaſius Eques, Conſiliarius Regis Gallorum, & Profeſſ. Honorar. Leid.

E.

Ecardus Leichnerus, Med. Doct. & Profeſſ. Erfurtenſis.

Fortu-

F.

Fortunius Licetus, Med. Theoric. in Gymn. Patavino Profeſſor Prim.

Fridericus Arniſæus, Medicinæ Licentiat. Hafnienſis.

G.

Gaſparus Scioppius, Comes de Claravalle.

Georgius Segerus, Med. Doct. & Aſſeſſor Facult. Baſilienſis.

Guido Patinus Bellovacus, Doctor Medicus & Profeſſor Regius Pariſienſis.

Guilielmus Harvejus, Anatomicus Londinenſis.

H.

Henricus Ernſtius, J. U. D. in Acad. Sorana Anteceſſor & Conſiliarius Regius.

Henricus Fuiren, Med. Doct. Hafnienſis.

Henricus Móinichen, Med. Doct. & Medicus Aulicus Regis Daniæ.

Henricus Regius Eques, Med. Doct. & Profeſs. Ultrajectinus.

Hermannus Conringius, Med. Doct. & Profeſs. Helmſtadii.

Hieronymus Bardus, Theolog. & Medic. Doct. Prof. Rom.

J.

Jacobus Holſtius, Med. Doct. & Poliater Tóningenſis.

Jacobus Matthias, Doct. & Epiſcopus Arhuſienſis.

Janu-

Januarius Sanctfelicius, Princeps Neapolitanus.

Joël Langelotius, Medic. Doctor & Archiater Gottorpianus.

Joh. Casp. Bauhinus, Med. Doctor & Professor Basileensis.

Johannes Beverovicius, Medicus & Senator Dordrechtanus.

Joh. Christianus Agricola, Medicinæ Doctor Marchicus.

Joh. Claudius de la Courvee, Medicus Reginæ Poloniæ & Sueciæ.

Joh. David Wilhelmi, Med. Doctor & Poliater Bernensis.

Joh. Daniel Horstius, Medicinæ Doctor & Professor Marpurgensis & Archiater Darmstadiensis.

Joh. Fridericus Treublerus, Medicinæ Doctor & Poliater Bergensis.

Johannes Pecquetus, Doctor Medicinæ Monspelliensis.

Johannes Rhodius Hafniensis, Medicus & Polyhistor.

Johannes Schefferus Argentoratensis, Professor Upsalensis.

Johannes Sperlingius, Philosophiæ Doctor & Professor Wittebergensis.

Johannes van Horne, Medicinæ Doctor & Anatomicus Leidensis.

Johannes Wallæus, Medicinæ Doctor & Professor Leidensis.

Johannes Veslingius Eques, Anatomicus Patavinus.

Johannes Vorstius, Philosophiæ Doctor.

Josephus Donzellus, Medicinæ Doctor Neapolitanus.

Isaacus Vossius Gerardi filius, Ord. Hollandiæ Historicus.

Justus Bertramus Philologus.

L.

Lazarus Meyssonnierius, Medicinæ Doctor & Professor Lugduni Gallorum.

Ludovicus Keplerus, *Johannis* filius, Medicinæ Doctor Lubecensis.

Ludovicus Pouchius, Medicinæ Doctor Ripensis & Canonicus.

M.

Marcus Aurelius Severinus, Medicinæ Doctor, Anatomiæ & Chirurgiæ Professor Neapolitanus.

Martinus Bogdanus, Medicinæ Doctor, Assessor Basileensis & Poliater Bernensis.

Mauritius Hoffman, Medicinæ Doctor & Anatomicus Altorfinus.

Micaël

Vasa lymphatica. 455. 466. cur alios latuerint. 497. 634. an olim cognita? 689. in gracilibus tantum canibus inveniuntur. 497. prima eorum inventio. 547. 553. seqq. 562. 572. varia de iis experimenta, demonstrationes & insertiones 517. 522. 523. 538. 539. 563. 568. 589. 590. 591. 633. 600. 648. 686. 630. 631. 572. 573. an eadem cum lacteis? 575. an nervi? 522. 523. usus. 575. 576. dubia. 594. vid. Lymphat.

Vasa splenica intorta 687.

Vasa umbilicalia ramificata. 252. cum porta conjunctio. 585. usus, 611.

Vena aorta quare dicatur? 321.

Vena cava an ex hepate? 172. 584. orificium carnis fruſtulo obsessum. 273.

Venæ coronalis valvula, ejusq; prima inventio. 647.

Venæ emulgentes duæ in Phthisico. 11. Venarum hæmorrhoidalium apertio in affectibus melancholicis. 209. externas esse ab interna hæmorrhoidali portæ propagine. 688.

Venarum jugularium apertio feliciter instituta. 346.

Venæ lacteæ distinctæ à Mesaraicis. 4. an arteriæ sint an nervi? ibid. disparent. ibid.

ibid. comparuerunt quinto poſt mortem die 5. cauſa. ib. 11. inconſpicuæ interdum. 5. 607. earum inſertio 4. 607. an ad hepar eant? 446. 449. 463. 465. 584. 687. an lymphaticæ ſint? 590. 600. prope hepar aqueæ ſunt 465. de iis non dubitandum. 10. deſenſæ, 24. 25. 606. 607. motus earum retrogradus. 522.

Venæ lacteæ tendentes ad uterum. 609. 610. 647.

Venæ lacteæ Thorac. in brutis & homine inventæ. 525. 468. 469. à Veslingio notatæ. 672. quare anatomicorum oculos hactenus æffugerint? 534. an ulcerosi. 522. 523. an per eas omnis chylus ad cor? 445. 446. 449. 450. 451. ſerum inventũ in iis. 522. 523. an eadem cum lymphaticis. 574. 575. demonſtratæ, 522. 523. 574. 589. 591. 600. 630. 678. in variis animalibus eleganter obſervatæ. 672. ſimplices & biſidæ. ib. cum oſſiculo quodam in principio Deltoidei muſculi in Leone, 673. quomodo facile poſſint in conſpectum venire? 672. judicium Bauhini, 490. dubia, 593. 594. 603. 604. gallorum controverſiæ. 618.

Venæ meſeraicæ an chylum ad hepar vehant

vehant & sanguinem ad intestina? 25. 26.
Venæ sectionis in affectibus melancholicis cautela, 208. 209.
Ventriculi & Diaphragmatis consensus inflammatis costis inferioribus, 544.
Ventriculi orificii apostemata & exulcerationes dolorosæ, 253.
Vermium locus generationis, 254. in pancreate inventi, ibid. in tumoribus œsophagi in cane, 592. è naribus, 641. remedium, ibid. è naribus in variolis, 681.
(ex) Vesicæ dolore vomitus, 239.
Vestes Melitenses quare in pretio apud veteres? 224.
Vinum Surrentinum Neapoli, 207. quare hoc tempore tenue & aquosum, secus ac Galeni ætate? ibid.
Viperæ Candidæ. 134. 135. multum lucis insitæ habent. ibid. sublimiores domos perreptare ap. Columell. quomodo explicandum? 178. seq. ad incedendum squamis utuntur 185. rectas possunt se tenere ib. 186. rectæ coeunt, ib.
Viperinæ carnis usus insignis 134. 135. ad oleum, 225.
(ad) Viperæ morsum succus Taxi. 135.
Viriæ Veterum. 694.
Virium ab assumptis subita

ſubita reſtauratio unde? 446. 451.
Vitex flore albo ad montem æthnæ, 220
Vitrioli minera. 518.
Vitrum non penetrat aër. 427.
Vitulus biceps. 570.
Vivere quare non diu poſſimus ſine cibo & potu? 612.
Ungves monſtroſi, 730 in ſenibus magis crescunt. 737. ſcabioſi. 738.
Ungula Cornea Gryphis. 438. 439.
Ungularum humanarum cauſa. 737. 738.
Unicornu. 99. Philoſophicè præparatum 110. Grónlandicum. ibid. 577. 578. 579. uſus & vires ibid. 662. 663. ſpecies quædam 108. 112. 113. 237. 369. cranium & dens. 109. 110. 370. Ariſtoteles nihil de eo ſcripſit, 274. de ipſo variæ obſervationes & annotationes, 372.
Unicornu ſigna. 439.
Vomicæ hepatis ſingularis hiſtoria & cura, 639. 640.
Vomitus in calculo, 238. 239.
Urinæ viæ. 586.
Uteri ligamentum. 588.
Uvæ paſſæ. 37.
Vulneribus omnibus oleum roſatum adhibent Neapolitani. 205.
Vulneris cum Paralyſi & cæcitate obſervatio. 636.

Michaël Lyserus, Medicinæ Doctor, Professor Lipsensis & Practicus Nicopiensis.

N.

Nicolaus Heinsius, *Danielis* filius, Ordd. Gen. Fœd. Belg. apud Reg. Suec. Residens.

O.

Olaus Worm, Medicinæ Doctor & Professor Hafnienſis.

P.

Petrus Bourdelotius, Medicinæ Doctor Parisiensis, & Christinæ Reginæ Archiater.

Petrus Castellus, Medicinæ Doctor & Professor Messanensis.

Petrus Sanchius, Medicinæ Doctor & Professor Regius Monspelienſis.

Petrus Schumacherus Πολύγλωττος.

Petrus Winstrupius, Doctor, & Episcopus Lundensis.

R.

Renatus Moræus, Doctor Medicus Parisiensis & Professor Regius.

S.

Samuel Sorbierius, Medicus & Eleemosinarius Episc. Agathensis.

T.

Thomas Bartholinus.

Thomas Finckius, Medicinæ Doctor & Professor Hafnienſis & Decanus.

Thomas Reineſius, Medicinæ Doctor, Archiater & Conſul Altenburgenſis.

W.

Wilhelmus Wormius Olai filius, Medicinæ Doctor & Profeſſor Hafnienſis.

TH BAR-

TH. BARTHOLINI EPISTOLARUM MEDICINALIUM CENTURIA PRIMA.

EPISTOLA I.

De Pilulis Elichmannianis.

THOMÆ BARTHOLINO. Leidam.

EX tuis 13. Octobr. exaratis, 20. verò Decembr. ad me delatis, Te nondum eas accepisse percepi, quibus prolixè ad primas tuas respondi. Dolco tam negligenter & segniter res nostras curari. Tradidi eas juveni Studioso ad vos ituro. Si nondum acceperis, de homine inquire, accepti rationes ut reddat, aderant & à Matre Tibi inscriptæ. Verum tempestatibus & flatibus adversis, in freto Croneburgico aliquot septimanis detentum eum fuisse, demum

intellexi. Scripſi vice ſecundâ cum Hortulano Nobiliſſimi Nicolai Trolle, quem Tibi eo nomine commendavi, quod ſemina, bulbos, plantas, frutices, aliaq; herilis horti ornamenta conquiſiturus, hortorum veſtrorum præfectis innoteſcere discupierit. Sed & is re infecta adverſæ tempeſtatis remoris impeditus, ad nos reverſus, literas reddidit. Pro rebus meis ex voto expeditis, iteratò gratias ago, & niſi meas ad te jam delatas exiſtimarem, ad ſingula prioribus tuis literis contenta, fuſius reſponderem. Pilulas Elichmanni quod attinet, de iis olim cum Authore, dum apud nos eſſet, egi. Aſſerebat baſin eſſe quaſi cremorem quendam ex Thermis (Aquenſibus ni fallor) deſtillatione collectum, qui vi inſigni polleret obſtructiones aperiendi & abstergendi, à mineralium ſpiritibus procul dubio profecta. Hanc verò baſin variè aliis adjuvantibus, corrigentibus & dirigentibus, pro ratione inſtituti, ſe affectui appropriatam reddere addidit. Sed quod univerſales ſint hæ pilulæ, omnis generis affectibus & complexionibus dicatæ, vix mihi perſuadeo. In morbis chronicis è viſcerum obſtructionibus & cachexia ortis multum poſſe credo: quamvis mihi noti ſint, qui in talibus affectibus nullo cum ſucceſſu iis uſi ſint. Miſiſſem

ſiſſem anniverſariæ meæ Disputationis exemplum, niſi celerioris ordinarii internuncii id recuſaret ratio. Grata mihi quæ in Noſocomio obſervaſti, ſi quæ porrò occurrant rara, mone. Veſtratium Anatomicorum De venis lacteis quæ ſit ſententia, easq; an demonſtrent, ſcire percuperem. Negotiorum moles me plura volentem retrahit. Te igitur per totum novi hujus anni decurſum proſperrimè valere cupio. Hafniæ 7. Id. Jan. 1639.

T.

Olaus Worm D.

EPISTOLA II.

De Lacteis Venis, & Saccharo.

OLAO WORMIO Hafniam.

INterpellator ſum parum commodus, qui tempora Tua moror & publicis commodis & Epithalamiorum ſacris deſtinata. Spero tamen veniæ futurum locum, quod crebriori ſcriptione tuam benevolentiam ſtudeam conſervare. Præteritâ proximè hebdomada bis canem privata induſtria diſſecuimus, ut venarum lactearum originem ſcrutaremur. Aderat antiquorum fautor ſtrenuus pariter & doctus,

ctus, cui illud pro commento erat quod quærebatur & monstrabatur. Distinctè tamen videbantur candicantes hæ venæ in mesenterio & intestinis tenuibus, distinctæ à meseraicis. Arterias non esse, quod *Galenus* videtur innuisse, ideò concedebat nobis quod pulsu carerent, & utrumq; vas distinctum appareat. Pro nervis argumenta ursit, quia & mesenterium & intestina tenuia sensum habeant, & nervi quoq; medullam molliusculam recondant, quod in cerebro videre est & spinali medulla. Visum tamen nobis fuit, nervos liquidum humorem hujus commatis non continere, nec disparere emortuo corpore. At ille fidem nobis denegaturum affirmabat, donec origo & insertio in hepar, truncusq; monstretur, id quod difficile factu est, quum extincto animali evanescant cito propter morientis dolores. Facilius forsan posthac insertio patebit, quando sine mora ulla ad glandulam mesenterii magnam cultros promovebimus, in qua harum venarum fit concursus. Hanc enim per pancreas intellexit *Asellius*, quod male alii de subsstrata ventriculo glandula acceperunt. Et certè quum illam in transitu secaremus, non absimilem chylo liquorem deprehendimus. Mirum autem mihi vi-

hi visum est, quod nuper Amstelodami ex *Tulpio* Anatomico insigni audivi, in sectione cadaveris strangulati, publicè hyeme præterita facta, quinto post die venas lacteas apparuisse, cujus equidem causam ignoro, nisi in obstructione harum venarum in hepar definentiũ lateat, & cruoris egressu. Cupio hac de re à Te erudiri. In altero cane ob defectum alimenti inconspicuæ erant, nisi fibrillas albicantes admittamus, quas semper pingvedo comitatur. Tres ille renes habuit, duos in dextro latere, invicem sibi impositos. Alterius renis parenchyma absumptum, cujus locum occupabant vermes duo digitum crassi rubicundi, in gyrum intorti, sive ex corrupto parenchymate nati, sive ex impura aqua, quam sæpe canes bibunt. In sectione Apoplectici cujusdam nupera, observata fuit in sinistro cordis ventriculo pingvedo in arteriam venosam adscendens, ubi cum ejus orificium clausisset, in duo cornua dividebatur ad similitudinem literæ Pythagoreæ. Si, ut volunt, à causa frigida concrescat pingvedo, mirum certè in calidissima regione adeò luxuriare. Inter magnos Viros *Salmasium* & *Vorstium* lis orta est literaria, scriptis ultro citroq; dirimenda. Dulcis ea est, quia de Saccharo, an nempe

noſtrum idem ſit quod antiquorum, de qua controverſia actum ab illo in Exercitationibus Plinianis, ubi ſaccharum priſcis celebratum ex arundine credit fuiſſe, arboreæ magnitudinis & Mambu ab Indis vocari: Differre quoq; viribus, quia antiquorum ſaccharum fuit εὐκοίλιον ex *Dioſcoride*, h. e. ventris morantis incitamentum, quod oculorum obſcuritatem abſterſerit, quod renes & veſicam juverit exulceratam. Saccharum præterea illorum ſiticuloſum non fuiſſe, teſte *Galeno*, ſed ſitim ſedaſſe, adeoq; pro potu inſerviiſſe. Mannam verò noſtram potius pro ſaccharo veterum accipit, quia conveniunt pleræq; notæ. Cl. *Vorſtii* reſponſiones non vidi, dubio procul eruditas, quia Vir eſt ſolidè doctus. In his ego minus adhuc verſatus, putarem cannas magnitudine variare pro terræ cœliq; varietate. Satis longas olim apud Parentem meum videre me memini. Si parvis magna componere licet, Malva noſtra humilis eſt, Indica verò quam in hortis vidi, major & arboreæ proceritatis, neſcio tamen an ea propter viribus differant. Noſtrum quoq; ſaccharum ad ſollicitandam alvum enematis miſcetur. Ophthalmicis aqvis ſaccharum noſtrum

ſtrum feliciter indi ex Medicis audivi; & profiti vinum ſaccharo edulcoratum ſtrenui potatores hauriunt. Sed quid ego ſus Minervam. Nollem dubiam mentem meam *Salmaſius* ſubolfaceret, alioquin amicitia illius, quam magni facio, facillimè exciderem. Ægrè enim fert aliter ſentientes. Arbiter ſummus Te cum liberis lectiſſimis, & lectiſſima Virgine ſponſa perpetuo florere jubeat, & dulce conjugium poſt tot luctus Tibi largiatur. Vale. Leid. 26. Apr. 1639.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA III.

De Caſſia Americana.

OLAO WORMIO. Hafniam.

IN ſpem erigor repetitas jam aliquoties literas Tibi non ingratas fore, quanquam an rectæ ſint curatæ, quas prioribus menſibus miſi, dubitare cogar. Torporem ferentium damno, inprimis qui ſemina Tibi deſtinata diutius juſto occultarunt, ut veris commoditas jam ſit transmiſſa. Interea licet fortuna & aliorum negligentia conſpirent, de meo ta-

men officio nihil remittam. Dum lineas has ad Te meditor, commodum quasi dato signo ex Phœbi cubili seu occidentali India mercibus pretiosis onusta navis appulit. Miserat cum illa ad horti Academici ornamentum Vir Excellens D. *Piso*, Archiater Mauritii Auriaci, Indiæ Occidentalis Gubernatoris, rararum aliquot plantarum semina, siliquas benè magnas arboris Cassiæ, exuvias serpentis, & frustulum arundinis saccharini. Plantarum semina nonnulla à Lælio missa credo. Siliquam Cassiæ arboris unam ego transmitto, quam ægrè hortulano extorsi. Quantum ex literis Cl. *Vorstij* intellexi, experimento compertum fuit, nullam purgandi vim huic Cassiæ inesse, secus ac vulgo creditum, quod solet hujus Cassiæ dosin imminuere propter putaticiam facultatem excellentiorem quam sit orientalis. Hisce arboribus consitas esse integras apud Brasilianos sylvas ibidem narratur, & siliquas earundem à vento inter se collisas tantum strepitum edere, ut præternavigantes terreantur. Quantum oculis observare possum, occidentalis hæc ab orientali differt, hæc rotunda, illa plana magis est. Alia jam nunc non occurrunt, quæ tuæ curiositati immensæ satisfaciant, nam ovum Strutiocameli, quod

penes me est, in Tua Technicotheca instructissima suspensum memini, & seminum rariorum curam, in qua cupidum animum exerces, Ver poscit. Interea feliciter vale, & si me porrò inter tuos numeraveris, sublimi feriam sidera vertice. Raptim Leidæ 1. Jun. 1639.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA IV.

De venis Lacteis, Pingvedine in corde, & siliqua Americana,

THOMÆ BARTHOLINO. Leidam.

NImis, mi Bartholine, in tuum amorem & promptitudinem pecco. Aliquot à Te jam literas teneo, quibus hactenus non respondi. Causa verò hujus dilationis frater fuit Casparus Bartholinus, qui indies ad vos abitum meditabatur, sine meis verò ad Te venire piaculum duxi, sed nescio quæ mala fortuna & hoc everterit. Dum enim itineri accinctus me de literis compellat, avocor subitò extra urbem ad Nobilem fæminam Hemiplexia laborantem. In cujus cura dum occupor, ipse discedit, ego spe mea cado. Domum reversus iterum à Te

& Lælio literas invenio, quibus jam per ordinarium Tabellionem respondeo, ne me Tui plane oblitum existimes. Cæterum planè Tibi persuasum habeas velim, in maximis meis occupationibus, literis tuis jucundius nihil mihi contingere posse, tum quod animum curis defessum magnopere recreent, tum quod egregiis observationibus utplurimum scateant. Cum igitur interpellari jucundius nunquam possim, officioso excusationis munere supersedere posses. Miror de venis lacteis multos tam literatos tam celebres sensibus & oculis propriis adeò diffidere. Res tam clara, tam splendida, tàm necessaria ad varias difficultates Anatomicas enucleandas, quem non alliceret? Sufficienter à vobis frigidis illorum effugiis responsum. Quid? etiamsi venarum lactearum nunquam demonstrari posset origo & insertio, an propterea oculis omnium obvia negare possunt? De usu forsan illis assignato dubitaverit quispiam, donec ortus & progressus demonstretur, sed de re ipsa nullus nisi cœcus. Animo discendi cupido abunde satisfecit Aselius cap. 19. usq;dum dies meliora & certiora doceat. Præstaret inventis addere, & jactis benè ab Asellio fundamentis jugi inquisitione accuratiora superstruere. Tulpii observatio

digna

digna notatu, rationem ejus rei à Te adductam non satis assequor. Obstructio enim harum venarum in hepate desinentium, impedire quidem potuit ingressum lactei succi ex chylo elaborati in Hepar! Sed egressus sangvinis in chylum quorsum? Quid si suffocati violenter, cum diu doloribus non torqueantur, Hepatis tractum habeant nullum, unde in vasis lacteus succus remanet inexhaustus. De pingvedine in sinistro ventriculo cordis Apoplectici observata quid dicam? Non multum ablúdit ab eo quod Anno 1608. Basileæ in dissectione Phthisici cujusdam observavi. Præter alia ex utroq; cordis ventriculo, caruncúlæ quædam interius albicantes, exterius colore rutilo emergebant, figura pyramidali, peculiaribus fibris in ipsis ventriculis radicatæ, per vasa cordis ramulos suos dispergentes, digiti minoris crassitie, longitudine sesqui palmæ. Quid si illud à Tulpio observatum, non vera pingvedo, sed ejusmodi corpus albicans extiterit. In Phthisicis & Hydropicis haud raro ejusmodi reperiuntur. In eodem subjecto ad dextrum Renem duæ ferebantur venæ emulgentes, altera pollicis crassitie, minor altera. Controversia inter Salmasium & Vorstium de saccharo, procul dubio cedet in Rei literariæ magnum

gnum emolumentum: ita enim veritas elicitur, & aliis de iis meditandi occasio suppeditatur uberior. Pro transmissa Cassia Americana gratias ago ingentes, inter fructus rariores locum in Musæo meo obtinebit haud postremum, tui nominis titulo superbum. Unam siliquam antea dono D. Sperlingii obtinui, verum nec tam grandem, nec tam pulchram. Ejus mentionem facit Nierenbergius lib. 14. Hist. Natur. c. 88. Nisi in arboribus proveniret, dubitarem an esset phaseolus Brasilianus, quem describit Clusius lib. 2. Exot. cap. 12. & ex eo de Laet lib. 15. Ind. cap. 50. præsertim cum ea destituatur facultate purgatrice, qua prædita est Cassia. Sed dissectio docebit an ad Cassiam referenda. Adjunctas haud gravatim ad Dn. Lælium procurabis data oportunitate. Hilarium & Michaelium amice saluto. Vale & ut facis amare perge. Hafniæ 28. Jun. 1639.

T.

Olaus Worm D.

EPISTOLA V.

De Pygmæis.

OLAO WORMIO Hafniam.

SEmper tuorum meritorum sum memor, quæ & publicum in scriptis & ego in literis expe-

experior. Ab illo famæ immortalitatem, à me gratum animum expectabis. De utroq; sollicitus, persuasi ferè nostro Marco, sed non Tullio, ut Institutiones tuas Medicas quas olim ego cum aliis ex ore tuo hausi, & in publicis ventilationibus in patria Academia tuitus sum, ut ad plures elegantis compendii fructus derivetur, minori forma excuderet, modo laborum pretium indicaveris. Cl. *Walæi* nostri consilio Institutionibus Anatomicis Parentis manum admovi & eas variis inventis locupletatas Hackio commisi. Sanguinis motum circularem tandem admisit Cl. *Walæus*, crebris factis in animalibus experimentis, ad quæ nos non ratò invitavit & admisit, jamq; in eo est, meo rogatu, ut chartæ haud perituræ committat quidquid *Harvei* inventò illustrando & confirmando conferre potest, quod onus in me derivare voluit, sed tantlem vix impetravi ut Epistolis rem totam complecteretur meo operi annectendis. *Elichmanni* Librorum indicem mitto. Obiit ille 18. Augusti anni superioris intestatus, quod factum nollem, quia pro nostra familiaritate, promiserat mihi nonnullas lucubrationes in patriæ nostræ laudem insumptas. Sed spem intervertit urgens fatum. Carmine tamen Manes Viri opti-

optimi prosequutus sum. Ne subcisivæ horæ mihi inanes elaberentur, Pygmæorum historiam à Parente concinnatam pervolvi, variisq; additamentis auxi, quæ forsan nostris prælis subjiciam. Scrupulum tamen movet *Ath. Kircherus* in Prodromo Coptico cap. 4. non nisi à Te solvendum. Veros homines fuisse negat, sed Dæmunculos montanos qui circa metalli fodinas oberrare solent, de quibus *Agricola* de Anim. subterr. & multa de his septentrionales narrare solent, audiviq; à Norwego amico, cubitales hos homunculos circa metalli fodinas in Norwegia oberrare, nec cuiquam damnum inferre, nisi læsos. Tales quoq; aliis in locis conspiciendos se præbent, si fides narrationibus. A Belgis vocantur *Kabauter*, *Manche*, à nostratibus Nisse-god-Dreng/ qui subinde de nocte operas exercent, ut exemplo recenti Pistoris cujusdam Leidensis notum est, qui non reversus est, postquam novâ tunicâ donatus fuit à Pistore. In patria quoq; memini aniculas multa de illis fabulari, pultesq; illorum in gratiam coquere. An hi ex Dæmonum sunt genere, de quibus Platonici multa. Solent verò illi infimos Dæmones malos aliquando nominare, quia ad infimum generationis & sensibile bonum suo quodam, ut

ajunt,

ajunt, officio nos alliciant, divertere autem à ſummo bono ad minimum, comparatione ſummi, malum jure cenſetur. Ajunt etiam ſupremos Dæmones ad contemplationis, medios ad actionis, infimos ad concupiſcentiæ bonum ducere: quodq; his omnibus & uti poſſumus, & abuti, & utentibus quidem bona contingant, abutentibus verò mala. Multa in hanc rem *Ficinus* ad *Platonem*. Quis verum dicat neſcio, & Pygmæos æquè dubii Dæmunculi videntur probare, cœcusq; cœcum ducere. Sed in ſcribendo jam parcior ſum, quia valetudo impedit, quam forſan Thermis Spadanis ſublevabo, ſi ſuaſeris. Tuum enim conſilium ſequar. Vale Affinis magne, & me tuum fove. Officiosè Te ſalutat Cl. *Golius*, qui ad Arabum fontes nos fideliter manu ducit. Leidæ 10. Apr. 1640.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA VI.

An Pygmæi ſint Dæmones.

THOMÆ BARTHOLINO. Leidam.

CRedo Te jam meas accepiſſe, quibus iis reſpondi quas per Tabellionem publicum miſi-

miſiſti. Inſtitutionum mearum editionem, in annum ſequentem differre cogor, quod tantum mihi jam non ſit otii, ut ſupremam iis manum imponere valeam. Si Jacobo Marci tum viſum fuerit, minori forma eas recudere, ipſi mittam, nec quicquam pro labore expeto, niſi ut aliquot transmittat exempla, amicis communicanda. Quamvis è re futurum ſciam, ut Te præſente & dirigente hæc curentur, curæ tamen quibus jam circa nuptias filiæ meæ Soſtratæ diſtineor, vix permittent, ut ante tuum abitum ad vos eas dirigere valeam. Gaudeo Parentis Tui Inſtitutiones Anatomicas prælo vicinas eſſe, ſpero me eas viſurum, ubi in lucem prodierint. Quæ de Circulatione Sanguinis commentatus eſt Clariſſ. Walæus videre geſtio, rem gratam feceris ſi transmiſeris. Ego hactenus adduci non potui, ut fidem Harvæi inventis adhiberem. Quæ mihi moverint dubia, longe ante quam quicquam Primiroſii viderim (Pariſanum enim nondum habere licuit) ex VI. noſtra exercitatione Medica videbis, quam eo nomine, cum aliis mitto. Pro catalogo Auctionis Bibliothecæ Elichmannianæ gratias ago. Ex iis quæ ex officina prodiere la Maire, quædam ſelegi, quorum quid & quantum ipſi viſum pro meis transmittere poterit.

terit. Tuo arbitrio omnia committo. Perplacet consilium de Pygmæorum historia à Parente elaborata tua cura prælo apud vos committenda. Quid si Cassanio de Gigantibus adderetur, ut contraria hæc juxta se posita essent illustriora. Non est quod Te suspensum teneat Kircheri nuda opinio, nullis rationum momentis stabilita. Nam & observationibus fide dignis & sanæ rationi adversatur. Pygmæos esse & fuisse gentem peculiarem & longe aliam, quam spectra illa quæ in Metallorum fodinis oberrant, præter ea quæ Parens tuus p. m. adduxit, quam plurima sunt quæ evincant. Pauca addam. Joannes Alvarez Maldonatus anno M. D. LX. ultra montanas Andes hanc genrem reperit, statura cubitum non excedentem. Pila plumbea emissa è milite fugacem fæminam occidit. Captum marem intra sex dies tristitia viduitatis & servitutis confecit. Fæmina moribunda, cum accederet percussor, manum opponebat oculis ne videret, ad temperamentum impotentis odii. Argensola genus quoddam hominum perpusillum non ultra quatuor dodrantes reperiri asserit in orientis quadam Insula, quæ tota aurifodina est. Non dissentit Antonius Pigafeta, qui hanc insulam unam ex Moluccis sta-

tuit, & ipſe in Inſula Aruchetto reperit. Hos Pygmæos veros eſſe quis dubitabit? Homines veros anima & corpore præditos relata docent: at ſpectra metallica potius ad Dæmones retuleris. Quantum igitur homo à Dæmone, tantum Pygmæi à ſpectris iſtis differunt. Hæc ſpiritus ſunt, quandoq; phantaſticis corporibus apparentes ut hominibus imponant, pro lubitu ſe viſendos præbent ac mox disparent. At veri Pygmæi vero corpore ſunt præditi, quod nunquam deponunt, ſed animæ ad mortem usq; ſociatum tenent, unde ſemper conſpicui. Tangi, occidi poſſunt, aliisq; modis ut reliqui homines, tractari. Metallurgi iſti ſpiritus, nec carnem nec oſſa habent: Pygmæi nullo horum deſtituuntur. Teſtis Sceleton quod Parens apud Electorem Saxoniæ vidit, teſtis Maldonatus, aliiq; qui eos viderunt & tractarunt. Quid multis? ipſe Agricola non homines ſed Dæmones hæc ſpectra vocat, etiam Cobalos & Gutelos quos reliquis benigniores ſtatuunt. De Screlingis quod citat ex Olao Magno, in mea editione Romana invenire non potui. Interim falſum quod Screlingers, cubitales denotare ait. Sunt enim Screlingers populi quidam Occidentalis Grónlandiæ, ſtatura non minores reliquis Grónlandis.

dis. Cum iis orientales ſæpicule bella geſſiſſe ex noſtris Antiquitatibus M. S. colligo. Neminem igitur Kirchero fidem adhibiturum confido, niſi & ſanæ rationi, & tot fide dignorum obſervationibus reclamare velit. Infirmior tua valetudo valde me tenet ſollicitum. Cave ne importunis vigiliis & lucubrationibus ita corpuſculi enerves habitum, ut & teipſum ſanitate & patriam tuam præclaris ingenii tui dotibus defraudes. Exemplo Tibi ſit Parens p. m. qui in adoleſcentia adeò ſe ſtudiorum laboribus defatigavit, ut cum maximè prodeſſe patriæ debuiſſet, morborum irruentium ita obruebatur cumulo, ut minimam partem eorum quæ in votis erant, expedire potuerit. Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Moderata durant. Interpone tuis interdum gaudia curis. Perturbato adeò Germaniæ ſtatu, vix tutus ſatis, ut opinor, Thermas adeundi tibi dabitur tranſitus. A diæta & pharmacia alia Tibi petenda ſanitatis præſidia. DEUS Te nobis ſervet incolumem. Clariſſimum Golium, qui tanto me dignatur honore, ut Te interprete, mihi ignoto ſalutem nunciare haud dubitat, officioſiſſimè viciſſim à me ſalutare haud deſine, ejus favore & amicitia nihil mihi erit antiquius. Vale, mi Bartholine,

line, & valetudinem tuam cura diligenter. Hafniæ 11. May. 1640.

T.

Olaus Worm D.

EPISTOLA VII.

De variis exoticis.

THOMÆ BARTHOLINO Pariſios.

QUæ per N. N. miſiſti, jam primum 20. nempe Decembr. accepi; ſed male adeò habita fuere, ut non poſſim non deteſtari hominis ſupinam negligentiam. Adeò negligenter curantur, quæ ſtudioſis traduntur! Certius multo & tutius per mercatores res geruntur. Maximopere mihi placuit avis iſta Paradiſiaca, inprimis quod pedibus non deſtituatur; iis enim præditas eſſe, negavit maxima pars eorum qui aliquid de iis commentati ſunt. Sed nolim te tantas mei cauſa facere expenſas: nam apud nos valde care venduntur, & magno ſunt precio. Hanc adeò malé tractavit internuncius, ut & caput abruperit, & flagellorum alterum mutilaverit, & pennas cum detrimento complicaverit. Flabellorum pulcherrimum fregit quoq; & peſſimè tractavit.

Con-

Conchæ ſunt venereæ dictæ, quarum licet antea mihi fuerint exempla quædam, tamen minores, quas miſiſti omnium ſunt pulcherrimæ. Radix transmiſſa eſt Yuca Cluſii, Mandiuca Latii. Hæc ut & panis ex ea confectus, raritate ſe valdè commendant; antea enim videre non contigit. Phaſeoli iſti corallino atri à Cluſio deſcribuntur exot. lib. 2. c. 13. & Rarior. Plant. lib. 6. Nuces purgatrices, ſunt Cluſio ſemina Ricini Americanij, Pinnones de Braſilia Latii. Inſecta illa, Cantharis nempe & Scarabæus, præclara ſunt. Cantharidum quidem unam antea habui, ſed non Scarabæum. Omnia raritate ſua & precio ſunt eximia, tibi ſumptus in ea collatos lubentiſſimè refunderem, ſi annotares. Interim ſingula ſuo loco in Hiſtoria noſtra deſcribam, non ſine honorifica tui mentione. Jam primum etiam libros quos Maire miſit, accepi, at Parentis Anatomiam nondum vidimus. Ad proximas tuas, quas 21. Novembr. accepi, nondum reſpondi, tum quod peregre, circa Illuſtriſſimum Principem curandum, tum quod domi in promovendo ad ſummos in arte noſtra honores D. Stougardium, occupatus fuerim. Huic ſe junxere Theologi D. Jacobus Matthias, D. Nicolaus Paulinus, D. Laurentius

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Martini. Disputationem noſtram transmitterem, quæ ultima eſt mearum Inſtitutionum de Methodo Medendi, ſed commode per ordinarium Tabellionem fieri nequit; alioquin & aliquot exempla adderem, ut Gallorum veſtrorum de hac docendi methodo expiſcari poſſes judicia. Sub prælo jam mihi fervet Aurei Cornu, apud nos ante annum inventi Hiſtoria. Sed quo medio hæc ad vos commodè deferri poſſint, ignoro. Vides quam prolixè & apertè tecum agam, ut raritatem quam nobis imperare video locorum diſtantiam, longitudine compenſem. Tu animum, ut ſemper æſtima. Tuis commodis vix quempiam hic habiturus es proniorem. Fratrem Bartolum indies expectamus quem à Cancellario huc vocatum intelligo. Vale, & ut facis ama. Hafnia 12. Decembr. 1640.

T.

Olaus Worm D.

EPISTOLA VIII.

De Scribonii & Celſi Mſtis.

Jo. RHODIO. Patavium.

SCribendi vices, forſan tædioſas, non repeterem, niſi de ipſo affectu jam conſtaret, cujus

cujus incrementa indies æstimo. Longam excusationis pompam alii producant, mihi satis erit faventem Rhodium habere. Favebunt jam chartæ, &, si in plausum tuum venero, doctæ quoq; animæ quas in sequuturam famam Tibi vindicasti. Justitium literarum alibi videtur Pallas indixisse, vel brevi certè indictura est, ut inter omnes Rhodius noster sit, qui ejus gloriam audacter sustineat. Loquuntur scripta, & authores qui, Te vindice, reviviscent, Celsus Largusq;. Cæterum mearum partium existimans imperatis à Te parere, de Scribonio & Celso diligenter ex mente tua apud Cl. Moræum inquisivi, sed de C. Celso Msti nihil usquam comparet. Ad oram librorum impressorum quædam sive à se sive ab aliis eruditis ex conjecturâ adnotata monstravit Moræus. Puteanorum illud jam olim mala fide à sacrilego sublatum idem conqueritur, quamvis non nisi fragmenta quædam fuerint. Scribonii Mstum egregium communicavit Moræo Salmasius, quod cum Cornarii edito elapsa hebdomada studiosè contulisse ipsum vidi Moræum, idq; rogatu Salmasii, quem malè habuit Cornarii mala fides in iis corrigendis quæ corrigenda non fuissent, & in substituendis nonnullis quæ aliter in Msto apparent: quantum autem

memini, *Marcellus* eſt. Bourdelotii exemplar inveſtigare, itineris ſuſcepti curæ non ſinunt. Tuum erit neglecti officii culpam ad alium derivare. *Galenus* græco-latinus à *Chartierio* inceptus in medio curſu ſubſiſtit. Tria volumina confecta, ſed interrupta. Deficiunt Medico ſumptus, & jam ferè omnes facultates decoxit in editione dictorum voluminum Magnus liber, magnas impenſas poſtulat, & forſan paucos emptores inveniet. Sperantur tamen à Card. Richelieu ſubſidia pro perficiendo opere illuſtri. Vale Eruditorum flos. Lutetiæ Pariſiorum XVI. Febr. 1641.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA IX.

Venæ lacteæ defenſæ. Caſtoris Anatome. Caro lucens. Cura tremoris

JOANNI WALÆO Leidam.

QUanquam in hoc amœniſſimi cœli ſoliq; tractu à Te remotior ſim, præſens tamen manet animus, & tui recordatio, quæ ſancta mihi ſemper erit, etiam ſolis ad ortum delato. Anatomica quod ſpectat ſtudia, torpent illa hic, nec *Laurentium* vidi. Theatrum

tamen

tamen Anatomicum in horto Decani à *Ranchino* reſtitutum, ejusq; jam obitum lugens, ſplendidam cathedram habet ex marmore Amphitheatri Nemauſienſis. Venas Lacteas qui admittat, inter Doctores nemo eſt, adeò *Galeni* authoritate ineſcati ſunt, pro quo tanquam pro aris & focis pugnant, ut recentiorum experimenta negligant. Nuper admodum in Scholis Medicorum Præſide *Petro Sanchio* Medicinæ Profeſſore ingenioſo pariter & docto, hæc Theſis fuit propoſita, meſaraica vaſa deferre chylum ad hepar, & iisdem viis eodemq; tempore ad inteſtina ſangvinem referre. Ferre non potui experientiæ in os contradici. Idcircò quanquam moris non eſſet ut peregrinus in illo actu audiretur, tamen Decano *Courtaudo*, Viro perofficioſo, facilè annuente, Theſin pro viribus impugnavi, quia 1. ſit contra *Galenum* l. 3. Nat. fac. c. 13. expressè negantem eodem tempore fieri motus illos contrarios, 2. confuſio fiat humoris cocti & crudi, quam etiam *Galenus* non admiſit lib. 6. de Placitis. Adhæc fibras rectas, obliquas & transverſas per quas omnis fit tractio & expulſio, in venis contraria non eſſe, ergò nec ſimul & ſemel laxationem & conſtrictionem fieri. Ulterius deinde urgebam

homines, quod hujusmodi chyli traductio fieri nec possit, neq; debeat, neq; reapse fiat. Non posse, quia valvulæ impediant regressum chyli & sangvinis ad intestina; at vel aperiri vel claudi simul & semel, quod absurdum, vel nihil refluere. Neq; debere, quia Natura noluit. Noluisse, quia alia & diversa vasa ad ἀνάδοσιν & Διάδοσιν fabricata est, venas nempe lacteas diversas à Mesaraicis, numero, trunco &c. Neq; reapse fieri, quia nunquam seu tempore distributionis, seu aliàs purus chylus alibi observetur, quam certo loco, neq; sangvis, quam suo loco. Sangvinem autem ex hepate per Διάδοσιν ferri ad intestina, absurdum mihi videbatur, quia distributio omnis fiat per motum, nullum autem sangvinis motum esse ab hepate ad intestina, quia versa vice omnis motus ab intestinis ad hepar observetur ἀνάλυψις in vivis, idq; circulatione Harveana clarius probari. Produxi enim experientiam, quæ lacteas venas manifestè distingvit, quumq; illi ad Academiam Patavinam provocarent, ego viso nuper Syntagmate Veslingiano, *Veslingium* citavi, & obstupuerunt; meruiq; inde *Sanctij* amicitiam mihi faventissimi. Annis nuperis, nempe 1637.

Phar-

Pharmacopæus urbis hujus Abrahamus Bewe Caſtorem vivum in theatro Academico aperiri per Thieræum Regium Anatomicum curavit. Spatio 15. dierum domi Caſtorem nutriverat cum ramis ſubinde aquæ impoſitum, in qua caudam & pedes, piſcium more, extenderat. Obſervati in eo ſunt quatuor dentes craſſi, longi & largi, acuti valdè, albi interius, exterius rutili; nempe duo ſuperius, totidemq; inferius, quibus magno morſu arbores incidit craſſas; & in poſteriore parte oris utrinq; erant 8. dentes molares inæquales. Pedes anteriores ſimiles videntur ſimiæ, poſteriores anſeris, cauda piſcium inſtar larga ut ſoleæ piſcis, ſuperiori ſui parte ſquammis tecta, non inferiori. Partes interiores ſimillimæ erant viſceribus Suis, quam aliorum animalium, hepar in 5. lobos diviſum, genitalia parva ſicut gallorum gallinaceorum, ſpinæ dorſi adhærentia, adeò ut illa non potuerint ſine vitæ diſpendio, animali eximi. Eſt in abdomine tumor vel crumena veſtita pelliculâ ſatis craſſâ, & majori parva annexa eſt, impleta liquore oleaginoſo & cineroſo, quo Caſtor ſolet lingvâ ſuâ caudam tingere, quando in campum abit, propter metum ne ſol caudam exſiccet. Humor qui in magna illa

illa crumena reperitur eſt craſſus & ſeipſum poteſt exſiccare ad pulverizandum, ſed alter in alligata crumenula ſemper liquidus manet, qui convenientior videtur remediis externis, ungventis, oleis & balſamis, alter verò exſiccatus pulverizatur Theriacæ miſcendus, pilulis & potionibus, non verò pudenda Caſtoris in hunc uſum trahenda, quæ odorem habent fœtidum. Sceleton hujus Caſtoris adhuc ſibi ſervat in pharmacopolio inſtructiſſimo *Bewius*, qui duobus foliis fusè deſcripſit, quæ ego in paucas lineas contraxi. Menſæ Aprili hujus anni in macellum allatæ ſunt carnes recens mactatæ & adhuc calentes, bovinæ & agninæ, quæ certis quibusdam locis ſplendebant, & quando in obſcurum locum deferebantur, tam lucidè omnia illuſtrabant ac ſi accenſa eſſet candela. Solæ verò partes ſpermaticæ ſeu membranoſæ ſplendere viſæ. Cum putruerunt, fœtorem peſſimum habebant, eadem luce ſuperſtite. Ratio lucis obſcura eſt. Suſpicabatur doctus quidam Medicus, ex cantharidibus ſplendorē eſſe, quibus eo menſe frequenter veſcebantur animalia. Sed cauſa dari tum non poſſet, cur non omnes partes nutritæ ſplenderent, ut taceam imminutam fuiſſe lucem cantharidum crebra per corpus al-

tera-

teratione. Plerisq; noſtris Profeſſoribus viſum fuit calidum innatum his animalibus copioſiſſimum, utpote ætheriæ naturæ, oleoſum & pingve, ſplendori anſam dediſſe. Neſcio tamen qua id veri ſpecie, ſiquidem carnoſæ partes plus videntur habere calidi innati, quam membranoſæ, & calidum innatum poſt mortem extingvatur. Ex certa radiorum incidentia ſplendorem mihi imaginabar: ſed quia de nocte lucet, alia erit cauſa quærenda. Ad putredinem Doctor quidam confugiebat, ego verò calentem adhuc carnem ante putredinem ſplendere regeſſi, credidiq; proximè ad verum accedere, ſi dicamus innatum omnibus eſſe lumen quod ſe magis vel minus exſerit, pro varia corporum diſpoſitione. Sed juſti operis hoc erit argumentum, ſi calculus tuus acceſſerit & ſubacti judicii conſenſus. Diſputationibus publicis ſervidè occupantur Academiæ hujus Doctores Medici. In praxi verò pauca adverti. *Lazarus Riverius* qui præ cæteris famam ſcriptis aucupatur, edita Praxi quadam, quam Empiricam Pariſienſes vocant, quia tota in remediorum collectione, nuper ſecundam filiam Dn. de Beuf curandam ſuſcepit. Illa verò perpetuo tremore

more omnia membra ciebat. Ut videas quid in cura hujus egerit, breviter ſignabo.

℞. Fol. Meliſſæ m. j. incidantur minutim & infundantur in ſpiritus vini Unc. iiij. per diem integrum, poſtea exprimantur, & adde margarit. præpar. Drach. ſem. Capiat Unciam unam per v dies. Statim ab aſſumpto liquore applicatus ſincipiti raſo pulmo vervecinus, ibiq; manſit per horam integram, poſtea caput linteis benè munitum fuit.

℞. Lapid. Lazul. Drach. j. ſ. turbith Drach. j. Senæ Drach. ſ. Epithymi, cremor. Tart. an. Drach. ij. Cinam. & cortic. citri ſicci an. Scrup. j. croci Scrup. ſem. ſ. pulvis, de quo capiat Drach. j. ſemel in ſeptimana cum juſculo.

Poſt hujus pulveris uſum aliis quinq; diebus julebos ſiccantes ſumſit.

℞. Succor. Borrag. Bugloſſ. Meliſſ. & Pomor. redol. an. Unc. iij. aquar. fumar. & cichor. an. Unc. iiij. Sacchari albi Unc. vj. coquantur & depurentur, aromatiſentur Santal. citr. Drach. ij. capiat Drach. iiij. vel v. mane & ſero.

Fini-

Finitis julapiis data alia doſis pulveris prædicti cum juſculo, ſtatim verò cauſticum nuchæ applicatum. Ne inanes ad Te rebus ſeriis intenſum, literæ irent, hæc pauca addidi, ſperoq; me gratiam tui otii meriturum, quia refero, quæ tua curioſitas mihi diſcedenti in mandatis dedit. Vale, Vir magne, & cum magnis Tuis collegis Heurnio & Vorſtio, diu Academiam veſtram illuſtra, meq;, ut ſoles, ama. Monſpelii III. Sept. 1641.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA X.

De Academia Montiſpeſſulana. Curatio Diabolica. Balnea Galliæ &c.

HENRICO FUIREN Patavium.

QUid nobis factum ſit in itinere ſcire aves, mi Conſobrine. Univerſa Gallia perluſtrata, ad finem ejusdem properantes, Montem Pelium ingreſſi ſumus diu propter veterem Medicinæ famam, deſideratum, Tibiq; non ita pridem viſum, eodem hoſpitio excepti quod olim regia fuerat Regis Majorcæ. Hæ ſunt rerum vices. Regia in diverſorium privatorum mutata eſt, & tot illuſtribus Viris hacte-

hactenus illuſtris Schola Medica & vocalis, jam penè obmutuit. Emigraverat ex illa paucis ante adventum noſtrum diebus *Franciſcus Ranchinus*. Cæteri pauca præſtant; ſolis Diſputationibus Candidatorum occupati, quæ jucundæ ſunt & eruditæ ubi à Doctoribus Scholæ animantur. Hortus Regius extra portam neglectus jacet propter abſentiam Præſidis *Bellevali*, qui Pariſiis degit ſpe obtinendi locum Cancellarii. Decanus *Courtaudus* Senex eſt, ſed perhumanus. *Laz. Riverius* famæ intentus raræ eſt admiſſionis, vel Medicæ praxi vacat. *Jacobus du Ranc* tamen apud ægros illi præfertur, uſu longo peritus. Ingeniis certant *Lud. Soligniacus* & *Petr. Sanchius*, magnâ æmulatione, uterq; in lectione *Galeni* verſatiſſimus. Dum verò hortus publicus ſilet, loquitur campus vicinus, quem ſæpe inviſimus, in quo Flora meliores ſuas opes videtur effudiſſe, & in horti cultiſſimi formam efformaſſe & exornaſſe, ſi muros addidiſſet. Ibi odoratæ herbæ luxuriant, Rosmarinus, Spica, Lavendula, thymus, Satureja, Stoechas perpetuo virentes, quibus & oves paſcuntur, & clibani incaleſcunt. In cæteris invideo vobis Patavinæ Academiæ ſplendorem, donec brevi eo ipſe fruar. Interea de Cura-

tione

tione ſupranaturali veſtrorum judicia exquirerem, quam hic Diabolicam vocant, dê qua mihi duo exempla narravit *Jacobus Duranc* ſupra laudatus. Monſpelii enim Virginem fuiſſe Nobilem Toloſanam, quæ motibus convulſivis correpta inuſitatos & ſingulares geſtus præ ſe ferebat, omnibusq; remediis fruſtra adhibitis, cum iter Toloſam verſus vellet facere, in itinere ſubito ſine ullo remedio curatam. Præterea alium Juvenem Nobilem convulſione quoq; correptum, cui à Matre accerſitus ſit ſenex quidam magica arte famoſus, qui accepto cyatho argenteo aureove aqua repleto, fuſis precibus, nullo alio medicamento juvenem ſanitati ſubito reſtituerit. Ego parum tribuo magis, & credo ſæpe Diabolo injuriam fieri, cui ea tribuitur curatio, quæ naturalis eſt, quanquam ad fallendos homines credulos nonnunquam certæ ceremoniæ affingantur. Forſan & hic & illa robore naturæ convaluere. Non ita pridem ab eodem *Duranco* & *Solignaco* Conſultatio fuit inſtituta, cujus ſummam paucis referam, quia has Te ſolere, quæ tua eſt diligentia, ſcio colligere. Vir quidam ſexagenarius in urbe S. Eſprit à longo jam tempore ſangvinem mejebat cum magno dolore & difficultate. Cor-

pus ſenile licet, valde vegetum & robuſtum, contabeſcit tamen ſenſim & extenuatur, alvus ſegnis, nec niſi clyſteribus officium facit. Sentitur & magnus dolor in regione renum, & nuper ipſi pes dexter ſtupidus evaſit, ut movere eum non poſſit. Natura robuſtus & vegetus, benè comedit, color faciei rubicundus & ingenium expeditum, omniaq; pathemata mediocria, niſi quod ad iram ſit proclivis. Ventriculus imbecillis & ſæpius vomit. Quantum ad *morbi diagnoſin.* Videbatur illis calculo renum laborare, quia materia adſit hic copioſa, & viſcida, propter ventriculum debilem & diætam vitioſam, terrena, ſicca, quia calor illi abundans partim à Natura, pathematis, partim à calidis cibis, præſertim à febre. Calculum verò ſatis magnum in renibus eſſe, quia ſangvis profluit & pes ſtupet, quia calculus propter magnitudinem diſtendit & comprimit muſculum prope renes, & nervum qui ad pedem deſcendit, ex quo etiam apparere, renem dextrum præcipuè eſſe affectum. In *Prognoſi*, inſanabilem judicarunt, quia juxta *Hippocratem* in ſenibus nunquam curatur, quia licet hic ſatis ſit à natura robuſtus, tamen ob varia accidentia factus eſt debilis. Præterea tam magnus eſt lapis, ut non poſſit expelli diure-

diureticis ſine totali læſione partium, nec comminui, quia partibus inſidet & durus ſatis videtur ex pede ſtupido. Ergo cum perfectè non poſſit unquam ſanari, debere ſymptomata inhiberi, ut dolorem &c deinde providendum ne augmentum capiat lapis. *Curationem* verò maximè ad dolorem mitigandum referri, deinde corpus apertum eſſe tenendum, ne ab alvo adſtricta ventriculus plus colligat humoris mali, & ita prohibeatur major materiæ affluxus ad calculum; debere etiam calorem temperari frigidis, venæ ſectione & balneis humectandum corpus, ut viæ fiant ampliores & laxiores ſi forte expelli poſſet, diureticis tamen robo-
rantia addenda ne partes nimis debilitentur. Cauterium in pede dextro inurendum, ſi ſtupor permittat, ſinminus, in ſiniſtro. Habet jam ante in cervice, ſed id minus ex uſu judicari. In ipſis remediorum formulis nihil pro calculo vel frangendo vel pellendo magnificum deprehendi. Terebinthinam Venetam in aqua graminisſæpius ac diligenter lotam ad Drach. vj. miſcebant Rhab. pulv. Scrup. ij. Salis prunel. Drach. ſ. pulv. liquir. Scrup. j. ut fierent plures boli devorandi poſtridie venæ ſectionis cum Syrup. Capill. Ven. tribus horis ante prandium per triduum. Pro balneo aquæ dulcis, ſacculis

lineis duobus includebantur amygdal. dulc. contuſ. & hordei integri an. lib. iij. deinde coquebantur. Omnibusq; ordine longo præſcriptis, tandem ad thermas Vallenſes ablegandum judicarunt. Felices Galli ſunt inſigni aquarum medicatarum numero & vi. Quatuor thermæ mihi juxta tecum viſæ & notæ. 1. Pugeacæ acidulæ in pago Pugue duabus leucis à Nevers, vitriolatæ, ad æſtum temperandum & calidas intemperies quascunq;. Easdem quoq; ulceribus internis præſcribit *Riolanus* Pater c. de Tenesmo, & amplo carmine laudat *Ræmundus Maſſacus* libris duobus de Lymphis Pugeacis. 2. Borboniæ, prope Molinum, calidæ ſunt, nec bibuntur, ob prædominium ſulphuris & bituminis in affectibus frigidis, Apoplexia, Paralyſi, Podagra & tumoribus commendantur. 3. Avallienſes aquæ in Avernia, acidulæ ſunt intemperiei calidæ utiles. 4. Bellarucanæ, 4. leucis Monspelio diſtantes, calidæ ſunt ad affectus frigidos. Poſt feſtum S. Joannis clauduntur quia poſtea non ita efficaces. Bibuntur alternis diebus, & alternis in illis balneamus. Alvum potenter movent liberaliter hauſtæ. Majo menſe & Septembri calent, nec tamen ſemper, niſi pluat. Eas brevi inviſere eſt animus.

Nec

Nec inviſus mihi erit fons ille olei verſus Beziers, quod hic in uſum vulgarem ad elychnia venit, vocaturq; oleum Gabianum, aquæ ſupernatans ex fonte fluenti. Tam fertilis hic eſt Natura, ut vix alibi ſit benignior. Laborioſi quoq; ſunt incolæ, apud quos in tranſitu vidi ſaponis coctūram. Oleum maximo lebeti imponitur, cui poſt coctionem ad mediam partem cinis additur plantæ Kali ad vitra conficienda uſualis, tumq; eo colore mixtum imbuitur qui placuerit. Florem æris proliciunt iidem aceto reliquiis caulium uvarum paſſularum aſperſo, ære laminatim congeſto. Ipſas uvas & ficus ad ſolem ſiccant filo appenſas. Uvas verò primò tingunt fæce vini in vaſis reliqua, unde colorem ſuum trahunt, paſſæq; fiunt, quales ad nos deferuntur. In hortis ſuburbanis cancellos vidi diſpoſitos, quibus ceram immittunt, ut à ſole albeſcat, quam deinde extractam aquæ imponunt & ad uſus divendunt. Hiſce aliisq; ſubinde oculos paſco, donec ad vos eundi commoda occaſio affulſerit, quam brevi arripiam, quia petulantiores ſunt patricii hujus urbis. Ante hac morem induxerant, ut advenientes peregrinos ære emungerent, prætextu boni adventus. Nos verò poſt ſtrenuam pugnam tantum obti-

nuimus, ut edicto à ſupremo Regio Intendente Dn. de Civito abrogaretur, ſicq; noſtro incommodo poſterorum noſtrorum commoda procuravimus. Plura præſens, quando convaluerit frater Caſparus, qui omnes ſalutat. Vale cum fratribus & Magno Rhodio. Monſpelii 28. Sept. 1641.

Th. Bartholinus.

EPISTOLA XI.

De Lucentibus.

THOMÆ BARTHOLINO. Patavium.

SIlentium diuturnum haud ægrè fero, de animo in me tuo ita certus, ut ad quævis me paratum merito tibi polliceri debeas. Silentii interim narrata occaſio nonnihil displicuit, non forte tam lauticiæ elegantiori advenientium, quam immodeſtiæ Montispeſſulanæ adſcribenda. De itineris ſuperato tædio & obtentæ Academiæ Patavinæ commoditate vobis gratulor: ubi jam ſex meos nepotes in felici ſtudiorum ſtadio alacres pergere gaudeo: omnesq; ac ſingulos bonis ominibus proſequor. Lætor in Galilæum te incidiſſe, ſolertem rerum ſublimium perveſtigatorem.

Argo-

Argoli quoq; mihi grata fuit menttio: cujus tractatum de Criſibus & diebus Criticis demum poſt varios itineris errores, dono H. Fuirenii noſtri, accepi, & jam ante Ephemerides à Janſſonii miniſtro comparavi. Lucis in recente agnina carne ſplendor discurſu tuo illuſtratus forte in memoriam mihi revocabit nonnulla, quæ de rebus lucentibus collecta & annotata habui, ſed non ſine magno & dolore & damno Majo ſuperiore incendio meæ Bibliothecæ ſelectiſſimæ perierunt. Vale & ad omnem animi tui & voti quoq; mei ſententiam vive feliciſſime. Cl. D. Rhodium amice ſaluto, & de miſſo de Acia doctiſſimo tractatu gratias ago. Hafniæ 28. Martii 1642.

T. amantiſs. Avus
Thomas Finck.

EPISTOLA XII.

De carnibus in macello Monſpeſſulano ſplendentibus.

FORTUNIO LICETO Bononiam.

ALienum nec à tua dignitate, nec meo cultu vix unquam putarim ut fama vultuq; tibi omnium ore clariſſimo hactenus ignotus intimioris

mioris & ſtupentis animi devotionem calami obſcurioris ductu adumbrarem. Suaſit atq; à non repugnante obtinuit Viri ad famæ æternitatem fato & virture cælis æmula jamdudum deſtinati humanitas ab omnibus, præſertim quem inter tuos eſſe voluiſti, noſtro Rhodio, usq; adeô deprædicata, ut non hominem Licetum animo concipiam, ſed divinioris conditionis mortalitatem divina quadam miſtura feliciſſimè temperatam. Nec aliud loquuntur immortalia ingenii exemplo carentis monumenta, quibus hactenus nunquam ſilendum Nomen poſteritati nobisq; commendaſti, & antiquorum quotquot tulit ætas priſca majeſtatem unus vel ſuperaſti, vel pari ſplendore adæquari docuiſti. Debet enim æternumq; debebit Latium, felices illæ Muſarum ſedes vix priſci ſplendoris umbram aſſequentes, quod ſolus fere veterum innocentiam ſuſtentaveris, & morituris Muſis ſalutaris quidam Apollo illuxeris. Non noctem his, ſed æternam lucem ominor, ſi duraturo ſeculis Liceti nomine ad ſuperorum invidiam diutius fatorum venia labentem alioqui chorum ſuſtentent. Huic animam lucemq; debent, quæ veterum ſilentium vel temporum imperioſæ vices veluti quadam nube nobis

ſub-

ſubduxerunt. Hoc lumine Natura Parens lucet, quæ antea propriæ quidem, ſed obſcuriori luci inter lucem tenebras obduxerat, ut cœlorum terræq; mirandæ facies ex hoc lumine, quod habent, mutuentur & niteant. Patere igitur ſeculi noſtri lumen, ut quem Latii amor illuſtrium, inter quos primus Licetus, Fama huc ex Arcto evocavit, vel minimis ſplendoris tanti radiis illuſtretur. Lumen quidem aliquod, ſed alienum, adduxi; quod ex te lucem vel merebitur vel impetrabit. Lumen carnis Agninæ eſt, quod me interprete lucem poſcit. Annus propediem vertitur, quum in Monte Peſſulano præſente me omnis mactatorum caro in macello venum expoſita clariſſima locis obſcuris luce emicuerit, tam bovina, quam ovilla adhuc ab excoriatione calens, ſtellarum inſtar luminibus hinc inde, maximè tamen circa partes membranoſas & pingvedine tectas, diſtincta, aliquot dierum decurſu eandem luminoſi faciem ſummo Doctorum ſtupore ſervavit, donec à putredine in obſcurum colorem terminaretur. Agitabat viſæ rei novitas ſpectantium ingenia diverſis conjecturis, & me transeuntem ad ejusdem hiſtoriam pellexit, quam ſine judicio tuo utramq; hic paginam facturo in lu-

cem prodire non paſſus ſum. In lucis cauſa hæremus ambigui: Te arbitro noſtram conjecturam vel ſtabiliemus, ſi probaveris; vel exilio mulctabimus, ſi ſecus ſuaſeris, cui in arcanis Naturæ ingenioſiſſimum pectus informavit ſummum Numen. A putredine recentis carnis lucem non auſus ſum deducere, quum hanc demum illa eripuerit, & arbitrer in corporibus putredinem non tam inducere lucem, quam educere, ſeu manifeſtare ante tectam. Nec in perſpicuitate cum Aquapendente acquieſcere potui, quæ lucem externam ſupponit, quam velut in ſpeculo repreſentet, in carne noſtra non obſervatam. Difficile quoq; eſt intellectu, qua ratione octo dierum ſpatio uniųs externi luminis hauſtu illæſum lumen exhibere potuerit, quod ad ſubjecti illuminati moram metimur. Accedit, eandem perſpicuitatem in aliis omnibus pari modo habentem vix ſeculo quovis lucis vel tantillum explicare. Ab immoderato hauſtu matutini roris deduxerunt, me interrogante, ipſi Laniones, non improbabiliter, ut videbatur, quia & aquam marinam illuſtri nocte ſæpe ſæpius lucere obſervavi, & pari luce veluti ſtellarum res quasvis immerſas diſtingvere. Unde autem in aquis lux? An à ſalſedine? An ſtellarum,

rum, huc tamen non pertingentium, refractione? Nisi fallit conjectura, & in aquis & carne nostra lux apparens ab insita quadam repetenda, quam ubiq; est observare, præsertim in oculis multorum animalium, insectis aliis, & igne. Jam autem insitæ lucis originem noviſſe, Apolline interprete opus est. An à prima creatione? An luce per Universum dispersa, à Platone Mathematicisq, plerisq; probata? Res utrimq; dubia, & nisi à Te scivero, nusquam sciam. Omnia verò tuum exspectant judicium, quo firmata in publicum prodibunt. Enimverò dubitare de hac tua promptitudine vetat infinita orbi jamdudum probata scientia, pari in Natura Musisq; promovendis conjuncta voluntate, quam bono literarum omnium fato in Te veneramur quotquot excelsæ mentis conscii sumus. Perge ad æternitatem feliciſſime grassari, & Musis nostris innocentiſſimis fave, quæ par ævum tecum metientur, uniusq; defectu deficient, quo salvo florent. Neq; diutius patere privari orbem literatum reliquis ingenii sublimis monumentis, quæ præmuntur fortunatis latebris. Hactenus Licetum vix orbis complecti potuit; jam verò ut animi pectorisq; magnitudinem ostendat, ipse orbem fortunato in-

cludet,

cludet, anuloq; terminabit, quem in ſui obſequium duraturo cultu formavit. Nimium quam Muſis timerem ſi feliciſſimo hoc anulo in crepundiorum locum exponendas ſignares. Exponantur licet, hoc ſigno ceu vinculo Parenti reſtituentur. Abſit omen, ex anulo utriusq; potius felix conjugium & æternos amores æſtimabimus. De anulo quum narraret non ita pridem Cl. noſter Rhodius, Liceti calamo accuratiſſimo ducendum, ſpem una fecit non dubiam ex occaſione anulorum, Aureum Sereniſſimi Danorum Principis cornu cingentium, novam Emblematum ejusdem cornu explicationem hoc Oedipo divino adjunctum iri, quo promiſſo excitatus, quum de ſecunda auctioriq; editione Diſſertationis Aureæ brevi proditura nuperis ad me literis perſcripſeritExcellentiſſimus AutorD.D. Olaus Worm, Affinis meus æterno obſequio cultuq; venerandus, ſtupendæ Antiquitatis noſtræ non parum intereſſe rebar tam Illuſtrem Interpretem acclamari. Quare ut ſeriò in has Antiquitatum partes deſcendas, nomine curioſi orbis obnixè rogo; quo etiam de tanto Nomine ſibi noſtra gratuletur vetuſtas. Quodſi novam exactiſſimi ingenii explicationem brevibus in chartam conjicere non dedig beris,

nanovo

novo ſummi ſideris lumine Diſſertationis recudendæ tela eniteſcet, & inter aurea inventa pares tuas cogitationes Reipublicæ literariæ addictiſſimus Autor quamprimum reponet. Vale omnis ævi ſummum Decus, publicoq; bono diutiſſimè ſuperſtes, hunc ama, qui æternitatem Nominis tui ſeriò colit. Raptim Venetiis XXVIII. Febr. M.DC. XLII.

Thomas Bartholinus.

Impreſſ. Utini 1646.

EPISTOLA XIII.

De iisdem carnibus ſplendentibus
Reſponſio.

THOMÆ BARTHOLINO Venetias.
FORTUNIUS LICETUS B. A.

SPlendidarum in obſcuro carnium mactatorum animalium, in Montis-Peſſulani macello recèns abs te viſarum, cauſa Phyſica, vir eruditiſſime, non immeritò doctiorum inſignis illius Academiæ fatigavit ingenia, téq; nunc excitat ad ſui productionem è Naturæ latebris in apertam lucem Orbis Literarii; quòd ea ſit præſtantiorum mentium indoles in ardua niti. Gratias interim tibi maximas habeo,

habeo, quòd admirabilis hujus eventus me participem facere volueris, mihiq; doctas tuas conjecturas de causa ipsum promovente communicaveris; quæ me plurimum delectârunt, vel eô nomine, quòd mirificè consentiunt cum iis, quæ pridem diserui de consimilis effectus pari causa circa Lapidem (Litheos. cap. 47.) Bononiensem itidem in obscuro fulgentem. Quare tecum sentio, fulgorem illum carnibus non inesse à putredine, tum quòd recèns mactatis & excoriatis ante putredinem iste splendor inesset: tum quòd ingruente vel incipiente putredine, statim ab iis fulgor ille recederet, degenerans in furvum colorem. Itidem tibi non suffragari nequeo, constituenti, carnes illas ab ambientis perspicuitate lucem hujusmodi non induisse; qui nòrim, perspicui proprium esse, non illuminare quicquam, sed illuminari ab alio lucido præsente. Cæterùm, si pérspicuitatem in Concreto sumpserit noster Abaquapendente, (de oculo cap. 4.) jam unà nobiscum philosophatus esse videtur, qui causam propositi referimus, in roridam substantiam intra corpora brutorum affatim nuper ingressam; nam ea substantia, utpote secundum prædominium aërea & aquea, corpus perspicuum est; perspicuorum verò corporum,

porum, maximéq; puriorum, propriam conditionem esse, naturalémq; proprietatem, ut quomodocunq; coacta densatáq; fuerint, illicò fulgidam naturam induant; nos & Alberti (2. de an. tr. 3. c. 12.) Magni testimoniîs, & pluribus tùm argumentîs, tum etiam experimentis fusè comprobavimus in Litheosphoro (cap. 47.) nostro, & alibi de Novis Altris & Cometis (lib. 3. cap. 9. 10. & 11.) agentes; quas iis locîs videre poteris: non enim huc frustrà transferenda fuit in epistolam illa longior theoria. Sic ergo censeo, bestias illas, antequam mactarentur, nocturni & matutini toris plurimum hausisse, non solùm per cutis poros angustiores, verùm etiam per augustiores tum narium, attrahentes aëris roridi magnam copiam in pectus inspiratione continuâ; tum oris, comedentes herbas & frondes puri crasiorique; rore madidas: Quæ quidem substantia roris uberior intra corpus ingesta, & partibus potisimum lentore pingvedinéve suffusis adhæresens, nec non ab ambientis frigore post lanienam efflatô calore cum spiritibus, condensata, facilè splendescere potuitad plusculos dies in obscuro: Quod evenit etiam agninæ carni dudum observatæ Patavii, de qua sic Hieronymus Fabricius Abaquapendente

dente in ſuo tractatu de Oculo viſus organo, (cap. 4.) Annô 1592. quô tempore Chriſti redivivi ſolemnia celebramus, tres Romani juvenes ſtudioſi & nobiles agnum emerunt, ejúsq; partem ipſo Paſchæ die comederunt: quod ſupererat, appenſum (ut fit) quodam locô ſervârunt: atq; eò noctu quum venisſent, candelarum ſpecie complures illius agni partes collucere viderunt. Itaq; agnum ad me miſerunt, quem quum in loco obſcuro contueremur, carnem & adipem tantùm argenteô quodam ſplendore nitere animadvertimus. Simúlq; obſervavimus particulam hœdinæ carnis, quæ illam agninam attigerat, itidem ſplendore perfundi. Quòd ſi etiam aliquis eadem carnes digitîs contrectaret, agninas, inquam, aut hœdinas; ſtatim digitis ejus ſplendor adhæreſcebat, nec digitis modò, ſed & faciei, & cuivis deniq; corpori, quod contrectaretur vel oblineretur. Neq; id ego unus, aut domus mea, verum etiam pleriq; Cives Patavini conſpexerunt. Jam igitur carnem eô ſplendore & nitore invenimus, qui cæteras carnes, & corpora ſimiliter afficeret. Notabatur, quòd quamvis caro eſſet ſplendida, non autem diaphana: attamen quum ſplendor apparebat, videbatur etiam quaſi diaphana, ita

na, ita ut cum illo ſplendore conjungeretur perpetuò diaphanum; quamvis reverà diaphanum in diurno lumine non appareret Præterea in diurno lumine prorſus deliteſcebat dictæ carnis proprium lumen; quod ſicuti in obſcuriſſimis tenebris ſplendebat: ita ſenſim & ſenſim accedente diurnô lumine obſcurabatur ſplender. Obſervatum itidem eſt, ſplendidam maximè eam carnem eſſe, quæ contactu mollis perſentiebatur, id eſt, durum ſubjectum aliquod non habebat; quod erat indicium, diaphanum aëreum ibi adeſſe. Hoc idem obſervatum eſt in veſicula quadam aëre plena. In ſumma, ea pars, quæ ad candelæ lumen perſpicua erat, tota in tenebris erat luminoſa. Quæ verò caro propter ipſius profunditatem aut os ſubjectum opaca erat, ſine lumine in tenebris permanebat. Hæc ille: quibus apertè conſtat, carnem in obſcuro ſplenduiſſe, quæ perfuſa foret humidô aëreô pingvî ſeu roridô, ſeu roridæ ſubſtantiæ naturam conſimilem habenti, perſpicuam nempe, quæ coacta tenuem ac imbecillam lucem contrahit, aptam in tenebris effulgere; quum in clariori diei vel cerei lumine nequeat obtutui ſuum ſplendorem oſtendere, viſúmq; movere ad ſui fulgoris aſpectum; quòd oculus

vehementiùs motus à vividiori ſplendido, leves impulſus imbecillioris lucidi non animadvertat, neq; ſentire valeat; quos in tenebris percipit immunis & quietus ab effectione majori. Sed in vividiori lumine ſubſtantia rorida carnibus infarcta ſub ratione perſpicuæ cernebatur, quòd naturâ ſuâ perſpicua foret; & perſpicuum, Ariſtotele (2. de an. tr 68.69.) doctore, viſibile ſit, non ſecundum ſe, ſed beneficiô luminis, à præſente lucido ſibi utcunq; communicati. Quoniam verò eadem ſubſtantia fuit una & lucida, & diaphana, potuit in tenebris ut lucida ſpectari, ſed in lumine majori minorem ipſius lucem obſcante, non niſi ut diaphana conſpici potuit: ita ſanè lampyrides per aêra volitantes, quæ ſimul ventrem habent lucidum & coloratum, noctu ſpectantur lucere, non inſpectô colore, qui viſum non movet in (2. de an. tr. 67. ſeqq.) tenebris; at interdiu coloratum ventrem obtutui repreſentant, non lucidum, quòd imbecilla lux in validioti die ſit inconſpicua. Deniq; verò lux in illis carnibus tam Patavinis quàm Monſpellienſibus in atrum colorem, dum gliſcente putredine diſſolvi diſſipariq; cœpit ea rorida perſpicuáq; ſubſtantia purior, quæ ſolâ concretione ſplendeſcere potuit in obſcu-

obſcuro. De hac eadem re Magnus Albertus ait (2. de an. tr. 3. c. 12.) ſcias omnia illa eſſe lucentia, in quibus ſpiſſatæ, & quaſi calcatæ continuantur partes ſubtiliores diaphani; & ideo lucet ignis, quando eſt ſpiſſus; ſicut appareret in flamma, quæ ſpiſſa eſt, & ſubtiliorum & nobiliorum partium. Non autem ignis lucet elementum ſimplex, ſed purè diaphanum eſt, ob ſummam ſui raritatem, quâ viſum terminare non poteſt: Quia perſpicuum purioris naturæ ſola ſui condenſatione mutatur in lucidum. Sic ignis elementi portio quomodocunq; condenſata reſplendet in cometas non parò, novaq; ſidera; quemadmodum latiùs explicavimus in (l. 3. c. 12. & 4. de Lucer. ant. c. 34.) opere de novis Aſtris & Cometis, & alibi. Id ipſum oſtendimus (3. de no. aſtr. & co. c. 11.) de puro illo ſupremo aëre, qui ſuapte naturâ perſpicuus, ubi contingat eum ab aliqua cauſa cogi, atq; denſari, protinus emicat in cometam novumq; ſidus: Quapropter non eſt, ut roridus humor ille condenſatus habere ſumereq; ſibi dicatur lucem aut à ſalſedine, aut à ſiderum refractione, aut aliunde quàm à propria natura perſpicui puri, quæ ſolâ condenſatione vertitur in ſubſtantiam lucidam. Non aliter in cœlo diaphanæ

partes à lucidis, quæ ſtellæ dicuntur ſolâ raritate disſident: Sic ignis in propria ſphæra propter unam raritatem purè perſpicuus, adeoq; non lucidus; quacunq; de cauſa contigerit ejus aliquam portionem cogi atq; denſari, protinus emicabit in corpus lucidum. Verùm enim verò nec abnuero (quod latiùs confirmavi pridem in eodem volumine cap. 48. de Lapide Bononienſi) ſi poſueris illam ſubſtantiam roridam intus hauſtam ab animalibus, & eorum carnibus excoriatis adhæreſcentem primùm illuminari, lucisq; novum habitum ab ambientis quantulocunq; lumine concipere: quem fulgorem ſibi conſervet ad pluſculos dies, quousq; compacta permanſerit. Quare non unâ ratione mihi tecum apertus ferè conſenſus eſt in propoſito de ſplendore carnium mactarum in macello Monſpellienſi. Tuum erit meas illas contemplationes in Liteoſphoro, librisq; de Novis Aſtris & Cometis, deq; Lucernis antiquorum reconditis intueri, quibus conjecturæ tuæ mirificè conſentire videntur.

Ad explicationem poſtea veruſtiorum Emblematum Aurei Cornu Danici quod attinet, equidem in meo Volumine (cap. 36.) de Anulis Antiquis, hujuscemodi rem ago paulò

paulò diligentiori disſertatione: cujus ſumma eſt, Cornu magnum ex auro puro fabrefactum fuiſſe juſſu Regis antiquiſſimi apud Cimbros, non in alium uſum, quàm ad tentandum Præſidum vigilantiam in regendis Provinciis, nec non Popularium integritatem in abſtinentia à furtis; ideoq; projectum expoſitumq; fuiſſe pretioſum cimelium in bivio Ripenſi ſine cuſtodia. Simulacra verò in eo formata cenſeo nihil aliud indicâſſe, quàm optimi Regis Danici mores, & attributa tum belli tum pacis tempore, Regnum ſibi ſubjectum bene gubernantis, & univerſam Rempublicam prudenter ac juſtè ſemper adminiſtrantis. Quam opinionem ex apta ſingulorum Emblematum explicatione confirmo: diſtinctè quibusq; particulis eorum examinatis, inclyti Wormii diligentiam ſuſpiciens, & ab ejus placitis non admodum diſcedens, etſi non ſemper iis adhærens.

Hæc ea ſunt, vir eruditiſſime, quæ feſtinanti calamô potui nunc occupatiſſimus elegantiſſimæ Epiſtolæ tuæ reſpondere; in qua ſicut ego non ſine rubore legi laudes ingentes, quibus me ſupra meritum ornare voluiſti: ſic enixè rogo tuam humanitatem, ut iſta mea levidenſia reſponſa boni conſulat; etſi minus

reſpondentia tuæ forſan exſpectationi, laudibusq; ſummis mihi tam latè tributis. At verò qualiscunq; ſim, velim pro certo habeas, me ſemper ad tui vota victurum. Vale Muſarum delicium, & me tui ſtudioſisſimum amare ne ceſſes. Dabam Bononiæ IV. Nonas Martii, M DC XLII.

Impreſſ. Utin. 1646.

EPISTOLA XIV.

De perſpicui condenſatione in lucidam ſubſtantiam.

FORTUNIO LICETO Bononiam.

EMinentia illa ingenii ſtupendi dona, & mentem ad perfectisſimæ Ideæ normam formatam, quamvis jam antè admiratus ſim, & dignâ æſtimatione venerari didicerim, nuper tamen ex literis tuis nihil niſi eruditionis ſummæ radios ſpargentibus, tanquam in ſpeculo non ficto preſſius introſpicere Muſarum Veſtrarum benignitate, dabatur. Implevi ſpem, quam dubiorum Naturæ Artisq; Secretorum exſpectatio excitaverat, id aſſeqvutus, quod ab unius tantùm arbitrio totum dependebat & judicio. Tibi autem in dati reſponſi doctisſimi gloriam me totum vindicabo, æternoq;

æternoq; officiorum obsequio, quas tibi devinxisti, rudiores nostras Musas sistam, si dignas judicaveris tantæ admissionis, qui cum Diis tantùm conversari ex animi magnitudine consuêsti. Securiori animô esse jubet cœlorum conditio, & Divorum indulgentia, quæ ad felicitatis suæ partes diversorum hominum sortes, inæquali licèt pondere æstimatas, non rarò disponit. Nam & Divinitatis consortium ingreditur Vulcanus, quamvis claudicans, & Mercurius, licèt servili conditione obscurior, Deorum nuncia perfert. Nec in eo summorum Majestati ibimus detractum, si inferiorum interpellatione, diverso, grato tamen, diverticulo seriora distinxerimus. Quippe ex diverso imparium congressu utriusq; robur & eminentiam metimur, quæ inter æquali sorte definitas res necesfariò latet. Fuit hoc, fateor, quod ad iteratas scribendi vices malè repugnantem induxit. Tandem repeto expeditiorì gressu, cujus jam dulcedinem salutarî hausstu sum expertus: &, nisi fallor, eò usq; impressa vestigia calcabo, dum vel medulcedinis sensus, vel fontem salubrium aquarum scaturigo deficiat; quorum hoc quidem imposfibile, illud nunquam sperare præsaga futurorum mens dictat: Elegantisfimas super-

Aureum noſtrum Cornu conjecturas, mecum Orbis doctior mirabitur, ubi deſiderato jam omnibus operi Antiquitatum Danicarum Auctor Excellentiſ. Wormius noſter, brevî proditurο adjunxerit. Inprimis applauſum merebitur Hieroglyphicorum ad Vitam & res præclarè geſtas Regis Frothonis III. ejus nominis, cui magnitudo rerum contra Sclavos, Norvagos, Hunnos, Suecos, Finnos, Britannos & Hibernos felicisſimè & cum triumpho geſtarum, Magni nomen grata poſteritas dedit, commoda reſtrictio. Id tamen dubium me verſat, num ad mentem Ægyptiorum & Romanorum, hæc Patrum noſtrorum Emblemata exponi posſint, qvum ſine dubio ut ſcientiæ, ita ſcientias occultis notis tradendi modi maximè differentes fuerint, eô præſertim ævô Nativitatis Chriſti, quô imperium in Cimbros noſtros Frotho Magnus obtinebat. De uſu obſcurior res, opinionum diverſitate. Quidam in Patria eruditus, in Sacrificiis Deorum veterum Danorum uſum aſſignavit, nullâ, ut ipſe in iterata editione Clariſs. Wormius deducet, veri ſpecie: Nec dubitare auſim firmioribus rationum aut conjecturarum momentis te ductum, Virorum Maximè, ut ad tentandam ſubditorum abſtinentiam expo-

expoſitum Cornu figuratum induxeris, quanquam id aureô hamô piſcari rarô exemplô videatur, qvum aliàs in rebus vilioribus ſuſpectorum animos ſoleamus feliciorî aſtu explorare. Uſum, quem ipſe Auctor aſſignavit, bellicum vel venatorium adſtruere videtur Cornu aliis itidem figurîs ornatum inter Turcarum ſpolia & manubias in ſplendidiſſimo Magni Ducis armario Florentiæ à me obſervatum, cujus deſcriptionem accuratam & delineationem Wormio mittendam, indies exſpecto. Ad Carnis viſæ lucem tuô lumine clariſimô ambiguus viarum deductus in limine hæreo, & ingreſſum foras patentem interiores adhuc tenebræ impediunt. Ad perſpicuitatis condenſationem ut alias luces, ita etiam hîc luminoſi corporis originem cum Peripato judicioſiſſimè adſtruis. Quomodo autem id fiat aut fieri poſſit, vix apud ullum reperio. Non dubito, quin perſpicuitatem non utramq;, ſed indefinitam, ſeu illam quæ viſum omnem transmittat, intelligant Auctores; quia de altera determinata & figente, nullum dubium, quæ in ſe & ſua natura lucem abundè habet & oſtentat. Nec in eo controverſiæ cardo vertitur, an perſpicua indeterminata lucem ab extra recipere poſſint, tanquam in

ſubjecto; qvum id natura medii indicare videatur & confirmare. Verùm hoc eſt quod nos angit, utrum perſpicuum nudum lucem ex ſe generare poſſit per ſui condenſationem? Varia ſunt quæ diſſuadent. Qvum enim ex ſe & in ſe perſpicuum lucem non habet, ut docet aperte Ariſtoteles lib. 2. de Anima, quia indifferens eſſe debet tanquam medium aptum recipere utrumq; lucem tenebrasq;. Confirmat Alhazen 2. opt. c. 2. propoſ. 55. expreſsè inter lucem & perſpicuum diſtinguens. Innuit deniq; ipſe Excellentiſs. Vir in erudito de Lumine Commentario; & Litheoſphori cap. 49. nullam ab interno principio lucem aſſignans: ex condenſatione, ſeu arctiori unione partium extenſarum quomodo lux nova conſurget? Nihil agit ultra vires & principia, nec effectus causâ ſuâ nobilior eſſe poteſt. Quæ cauſa eſt, quare ex condenſatione perſpicui indifferentis non æquè tenebræ oriantur quàm lux? Quæ deniq; ratio ex aëre, tanquam primo perſpicuo, condenſato lucem promet? Condenſatur non rarò aër arctisſimè in regionibus noſtris in anguſtis bombardarum & tormentorum cannulis, à quo cum vi erumpente ſonitus quidem oritur, lucis ne tantillum. At ex condenſatione

aëris

aëris & nubium fit tonitru & alia meteora lucentia: Fateor, ſed ex condenſatione ſola nihil, niſi una ſulphurea & materia quædam accendi apta cogatur: adeoq; lucem quidem exprimat latentem, non generet ex denſitate, imò unit diſperſam & congregat quum appareat, ut in ignis elemento raro & diſperſo, quod facta luminoſorum corporum copulatione arctiori, non ſolâ perſpicui condenſatione, lucet & videtur. A diaphaneitate expanſi condenſata ſtellas lucemq; emergere ingenioſum videtur commentum, cui Sacræ paginæ fallere neſciæ reclamant, quæ Verbo Dei lucem factam ipſis Mundi initiis docent. Poſitô tamen, in exordio Rerum ex condenſatione factam, legem in natura creata jam & conſtituta inducet nullam. Lux ſemel creata omnia implet, & in ſpecierum varietate diffunditur: imò multiplicatur, ut ex Lithoſphori cap. 47. didici. Quantò faciliori igitur negotiô ad inſitum aliquod roris lumen, in omnibus ferè corporibus conſpicuum, ſplendentis in obſcuro carnis lucem derivamus, quam ex perſpicuitatè denſata ægre ſalvabimus. Sed te præſente ita ineptire volui datâ operâ, ut ex Sapientia tua & Magno Ore mei ingenii tenuitatem temperarem, adderemq;

remq;, quòd vix, præter te, ullâ seculorum experientia docebit. Hanc si vel tantillô calami ductu, pro more, qui solus potes, auxeris, duraturô obsequiô cultuq; in æternum Nominis Tui & Virtutum Studiosissimum obstringes. Vale digna Heliconis anima, publicoq; bono serior cœli incola mortalitatem exple. Scripsi, Amicô instante, Patavii, die XXVI. Martii M DC XLII.

Thomas Bartholinus.

Impress. Utin. 1646.

EPISTOLA XV.

De lucis ortu ex condensatione perspicui.

THOMÆ BARTHOLINO Patavium.

FORTUNIUS LICETUS B. A.

IMpar ingentium tuarum laudum oneri, quod imponere mihi voluit incomparabilis humanitas, ista tua, V. Cl. verecundô silentiô nunc eas occulens atq; deponens, venio statim ad responsa Quæsitorum abs te recens propositorum. Ad Aurei Cornu Danici Emblemata quod attinet primùm, mihi sanè dubium non est, ea potuisse more priscorum Ægyptiorum condi, non solùm quoniam Ægypti-

Ægyptiaca monumenta vetuſtiſſima producta fuerunt in omnes mundi plagas; verùm etiam quia Frotho Rex eloquentiâ celebratur à Magnis (Joan. & Olao M. Epiſcop. Upſal. & Sax. Gram. lib. 4. & 5.) hiſtoricis Septentrionalibus; qui Starchaterum etiam literîs & armîs inſignem ante Chriſti Domini natalitia teſtantur: ut paſſim legitur in eorum voluminibus. De uſu verò Cornu Aurei maximi, propter magnitudinem atq; figuram ineptiebellicis & venatoriis caſibus, abundè tractavimus in opere de Anulis (cap. 36.) Antiquis. Nec iſti compar in propoſito poteſt eſſe Cornu longè minus, & vilioti materiâ conflatum, ſolisq; venationi dicatis iconibus à Turcis Olyſſiponenſi Regulo, Principiq; dudum ablatum; quod ibidem fusè probamus. Quam commentationem ex illa eruditione non eſt ut huc afferam. Sed ad theoriam ſplendidæ carnis deveniendum, & in ea latius exſpatiandum cenſeo. Tu quidem rectè, non ita facilè recipis, perſpicui condenſatione corpus lucidum oriri, modum inquirens, quô condenſatio lucem pariat in perſpicuo. Bene ſentis, egiſſe me de perſpicuo interminato, quod viſum transmittat, ſeu potiùs, per quod ad viſum ulteriora viſibilia ſpeciem

ciem ſui viſibilem transfundunt in Peripato: Cæterùm nec abſolutè dicendum, determinata perſpicua ſine dubio in ſe & ſua natura lucem abundè habere & oſtentare: namq; perſpicua determinata plurima nihil omnino lucis habent in ſe, nihil ex ſua natura luminis effundunt: etenim perſpicuum non aliunde terminatur, quàm ab opaco vel permiſto, vel forinſecus appoſito; permiſto quidem opaci cum perſpicuo gignit corpora colorata; de quibus (de Sen. & ſen. c. 3.) Ariſtoteles ita: Luminis igitur natura indeterminato perſpicuo eſt: ipſius autem, quod in corporibus, perſpicui ultimum, quod quidem erit utiq; aliquid, palam eſt: quod autem hoc ſit color, ex accidentibus manifeſtum. Et mox: Perſpicuum ergo, ſecundum quod ineſt corporibus, ineſt autem plus aut minus, in omnibus colore facit participare. Quoniam autem in extremitate color, hujus utiq; extremitas aliqua erit. Quare color utiq; erit perſpicui in corpore determinato extremitas. Et reverà color omnis enaſcitur ex opaci atq; perſpicui ab eo terminati permiſtione. Colorata verò corpora perſpicuum determinatum in ſe habentia, lucem ex ſe non habere nec oſtentare, planum eſt; quum tenebras non exſtinguant,

guant, nec in iis omnia cernantur; quod lucidorum omnium proprium eſt. Appoſitio verò forinſecus opaci perſpicua terminare quidem, ſed in iis lucem ullam non parere, conſtat evidenter in vitreis cryſtallinisq; ſpeculis, ponè bracteatis hydrargyro; quæ nullam in ſe lucem inde ſortiuntur, nec in tenebris poſita lumen ullum oſtentant naturâ ſuâ. Sed luceant ea ſolùm perſpicua terminata, quibus cum exigua opacitate multa perſpicuitas ineſt in materia puriſima, & valdè defæcata; ſic lapilli pretioſi pleriq; fulgent in tenebris: de quibus Iſidorus in (l. 16. c. 9. & ſeqq.) Originibus poſt Plinium: (li. 37. c. 2.) Sic in quibus ineſt ignis prædominium cum aliorum elementorum puritate; ſiquidem (1. meteo. c. 4.) Ariſtotelis obſervatu ſingulorum elementorum partes aliæ ſunt magis, aliæ minùs puræ; quum ignis inter omnia elementa puriſimus habeatur & maximè (2. de gen. t. 12.) ſincerus, ut etiam terra procul à contrariis; ille ob maximam ſui activitatem aliena conſumens; hæc ob maximam ſui denſitatem non ita facilè patiens, & ob qualitates vividiores facilè repugnans. Quæcunq; corpora miſta conſtituuntur ex elementorum partibus puri-oribus & maximè defæcatis, cum debito ignis prædo-

prædominio, illa ſunt omnia lucentia, ubi debitam conſiſtentiam atq; denſitatem ſortita fuerint; etenim lux eſt qualitas fixa in corpore denſo, quam raritas exſtinguit atq; dejicit in perſpicuitatem. Sed elementa ſincera puriora diaphana ſi concreverint, aqua quidem, & aër in ſubſtantiam albam, lucidæ ſatis affinem & utcunq; lucidam; ignis autem in lucidam maximè ſplendidam commutabitur. Cœli verò partes diaphanæ primum denſitatis gradum adeptæ, candicant in duas albas nubeculas illas, quæ ſempiternô gyrô circa polum antarcticum volvuntur apud Indos: at ulteriorem condenſationis gradum ſortitæ micant in lucidiſſima ſidera tam glabra quàm crinita. Certè nemo non novit, vel ex (1. meteo. ſu. 3. c 2.) Ariſtotele tum & aquam arctiûs condenſatam, in albam glaciem, grandinémve, nec non in candidum cryſtallum converti: & aërem inſpiſatum puriorem in albam nubem mutari, hancq; ulteriorî condenſatione vi frigoris ingentis ac repentini concedere in candidiorem nivium ſubſtantiam: tum & albedinem candoremq; luci naturam affinem obtinere, ac eſſe veluti lucis quoddam rudimentum; nam in nocturnis horîs per loca nivibus obſita gradientes, itinera

nera reperiunt utcunq; lucida, & minùs obſcura, quàm iter agentes per vias nivibus expertes; qui tenebricoſiores valde calles inveniunt. Cæterum inter ea miſta diaphana puriora, quæ prædominium ignis obtinent, locum habet in rebus inanimis quidem ros; in animalibus autem ſpirituoſa ſubſtantia calidi naturalis inſiti; quod propterea nuncupare conſuevit (de vit. & mor. cap. 10.) Ariſtoteles ignem ab elemento prædominante, nam oculorum orbitæ, cæteræq; partes in animali viventes, eô calidô prædítæ, fulgorem quendam vitalem præ ſe ferunt & oſtentant oculis ad ſpicientium; quô ſplendore morte privantur omnino, degenerantes in lividum, atrumq; colorem; diſſipatâ prorſus igneâ ſubſtantiâ fulgidoq; ſpiritu calidi nativi, qui non remanet in cadavere, ſed evaneſcit, niſi lentore quopiam extrinſecus impactô contingat aliquantiſper in eo detineri præter ordinarium naturæ curſum. Roris etiam naturam non parùm ignis participem eſſe, demonſtrat & ejus origo temporibus regionibusq; calidioribus (1. meteo. ſu. 3. c. 1.) & facultas alvi ſolutiva; nam comedentia frondes & fructus rore madentes animalia, ventrem ſibi fluere ſtatim experiuntur: & auctoritas inſignium

Medicorum, Avicennæ, Meſues, & Averrois: nec non & natura mellis atq; mannæ, quæ ſpecies quædam roris exiſtunt, & habent calidum temperamentum ab ignis inſigni participatione. Qvum autem certò conſtet, ignem rarioris materiæ vel non lucere penitus, ſed eſſe naturæ perſpicuæ interminatæ; cujusmodi repetitur ſuper aërem in propria ſphæra; vel ægrè tenui luce multô diaphanô diluta conſpici, qualem ignem fatuum, inter meteora locatum, eſſe novimus; qui non ſolùm lucem, ſed etiam caliditatem habet imbecillimam, unius ob raritatis culpam; etenim qualitates omnes in ſubjecto denſiori ſunt actuoſiores, in rariori debiliores erga ſenſum. Rectè proinde corpora puram ſubſtantiam apud nos obtinentia cum ignis prædominio, ſi rara fuerint, lucida non ſunt, ſed interminata diaphana; quæ ubi denſitatem acquiſiverint, lucem contrahunt. Aſſentio tibi quidem, in eo controverſiæ cardinem non verti, an perſpicua indeterminata lucem ab extra recipere poſſint tanquam in ſubjecto, quid in natura medii indicare videatur & confirmare. Verùm, quod ais, te angere, utrum perſpicuum nudum lucem ex ſe generare poſſit per ſui condenſationem? Cenſeo non omne perſpicuum

ſpicuum nudum, ſed puriorî materiâ conſtans, & cum ignis debito prædominio, apud nos per condenſationem induere lucem, & ex ſe lucem emittere. Nec obſtant objecta: nam ab Ariſtotele (2. de an. t. 69. 70.) quidem accipio, perſpicuum indifferens eſſe debere tanquam medium, aptum recipere tenebras pariter & lumen: ſed ideo dicendum non eſt, perſpicuum ex ſe & in ſe lucem non habere ſimpliciter; nam eam actu quidem non obtinet, ſed poteſtate; dum verò condenſatur, lucem actu ſtatim adipiſcitur, quâ ſplendet obtutui: lux etenim qualitas eſt, quæ conſequitur denſitatem in materia pura & ignea; raritate diluitur ac exſtingvitur. Alhazen autem in loco citato (l. 2. c. 2. prop. 55.) ſcribens, corporis diaphani non eſſe colorem neq; lucem, noſtræ poſitioni non refragatur, quia peragit ipſe de corpore diaphano ſimpliciter, & adhuc abſolutè perſpicuo, quod à lucido contra diſtingvitur; at ipſe non negat ullibi, corpus diaphanum purum per addenſationem mutari poſſe in corpus lucidum; imò ſatis hoc innuit ibidem aſſerens, diaphanum ſecundum ſe videri non poſſe, at contractâ denſitate videri, proindeq; coloris ac lucis utcunq; particeps fieri; verba viri ſunt: Et

diaphanitas corporis diaphani non comprehenditur à viſu, niſi quando fuerit in eo ſpisſitudo quædam, & fuerit diaphanitas ejus ſpisſior diaphanitate aëris interjacentis inter viſum & ipſum. Si autem fuerit in fine diaphanitatis, non comprehendit viſus diaphanitatem ejus: & non comprehendet niſi illud, quod eſt ultra ipſum tantùm. Et qvum in eo fuerit quædam diaphanitas, comprehendetur à viſu propter illud, quod eſt de ſpisſitudine in eo; & diaphanitas ejus comprehendetur ex comprehenſione illius quod eſt ultra ipſum. Scilicet, diaphanum rarum purâ ſubſtantiâ conſtans, eſt omnino invisibile; denſitatem acquirens redditur viſui conſpicuum; & quantum de denſitate conquirit, tantum amittit de perſpicuitate, ſimul & acquirit de colore candido, ſi fuerit à prædominio aqueum, ut cryſtallus, vel aëreum, ut nubes: de luce verò ſplendidiori, ſi fuerit igneum, ut anthraces lapilli, & id generis miſta lucida: Quæ dum adhuc aliquid in ſe perſpicuitatis obtinent, viſui ſpectantur ut lucida, ſimpliciter ac ſecundum ſe; verùm viſus ea cernit ſub ratione perſpicuorum, ſeu comprehendit eorum perſpicuitatem, reſpiciens viſibilia corpora, ſeu colorata, ſeu lucida, ulterius collocata,

quæ

quæ per horum perſpicuitatem proprias ſpecies viſibiles ad oculum demandant. Quæ fuit ipſiſſima Alhazeni ſententia. Quod verò ſubdis, me in commentario de Lumine, & Litheophori cap. 49. nullam perſpicuis corporibus ab interno principio lucem aſſignare, paulò diſtinctius explicandum eſt: nam inprimis ego diſtinxi lucem à lumine, quòd eam poſuerim qualitatem fixam & permanentem in corpore lucido, lumen autem qualitatem aliam ab illa fluentem, ſeu genitam in corpore diaphano, tanquam lucis imaginem, ſpeciemq; viſibilem: ita dicens in opere de Natura & efficientia luminis, (l. 2. c. 1.) Propriè tamen loquendo viri doctiores, & omnium maximè Latinæ Scholæ proceres Luminis vocabulô radium omnem à luce prognatum intelligunt, ſive immediatè ab eo producatur in perſpicuo interminato, ſive illo mediante generetur per refractionem reflexionémve, vel in ſuperficie denſi cujusq; corporis ſub nomine ſplendoris; vel in propinqvo perſpicuo extra radios per repercuſſionem appellatam, tenebras arcentem, ac umbras opacorum corporum in ſe admîttentem, ſub titulo claritatis. Et ſanè lux in corpore lucido manens propriè non eſt lumen, quia

lumen (2. de an. t. 69.) Aristoteli definitur esse actus corporis perspicui secundum quod perspicuum; cujusmodi non est corpus lucidum, cujus actus formaliter est lux. Sed in Litheosphoro citato, (cap. 49.) nullam ab interno principio lucem asignavi perspicuis naturâ suâ gravitatem ac densitatem habentibus, ut aquæ aëriq;; contrà tamen censui deperspicuis levibus, & neutris; quæ quomodocunq; densentur, ex se statim lucida fiunt ut ignis & cœlum: en ipsissima verba mea: Dicimus deinceps, Corpora purè perspicua densa sine opacitate tam congenita, quàm adventitia, triplicis esse naturæ; gravia nimirum levia, & neutra: gravia sunt aqua pura, seu limpida, & aër (4. cœl. t. 29. 36. & seqq.) simplex condensatus in nubem: levis est (4. cœl. t. 29. 39.) ignis in sua sphæra, ubi condensari potest, si majorem in molem augeatur, quàm ut sub raritate nimia contineri valeat in proprio loco sursum simpliciter, ut alibi probavimus in opere de (lib. 3. cap. 12. 14.) Novis astris & cometis: Neutra corpora sunt cœlorum partes diaphanæ; quas (lib. 5. cap. 59. 60. seq.) ibidem motu locali condensari posse confirmavimus. Profectò corpora purè perspicua densitatem habentia in cœlo, de se lucem

lucem habent ſibi congenitam, quâ fulgent in ſpeciem cometæ, vel novi ſideris, ut ibi ſimiliter (l. 5. c. 57.) oſtendimus: quam quidem lucem adepta ſunt à ſuo genitore per modum habitus indelebilis à ſua ſubſtantia, ut nigredo in corvo & Æthiope, conſequens ejus formam ſubſtantialem ac eſſentialem temperaturam. &c. Et mox. Addimus ulterius, corpora perſpicua à prædominio, cum ingenita ſibi quapiam opacitate, recipere poſſe in ſe novam lucem à generante, velut habitum eſſentialis formæ ſuæ ſectatorem; ſic flamma, quæ fumus (2. de gen. t. 28.) ardens eſt, lucem habet ſibi congenitam ab ortu, per modum habitus, qui ejus eſſentiam conſequitur; & ideo ipſam eandem lucem totâ ſui duratione retinet, vel absq; principio illo productivo; à quo ut formam eſſentialem in ortu ſuo, ſic eâ formâ mediante ſuſcepit omnia conſequentia talem formam; ac propterea lucem ſibi connaturalem. Unde clarè patet, me perſpicuis quibusdam addenſatis ab interno principio lucem aliquam aſſignâſſe, nimirum cœleſtibus, & à prædominio igneis ac levibus: nullam verò ſolùm gravibus, ut aéri & aquæ. Modò ros ille qui reſplenduit in carnibus obſcurô locô ſitis, perſpicuum corpus extitit

cum multo prædominio ignis, tum ratione ſui, tum ratione ſpirituoſæ ſubſtantiæ innati calidi, quàm ſibi penitus implexam lentore ſuô prohibuit, ne ſtatim à cadavere per mortem abſcederet in habitus inſenſibiles diſſipata, ſicuti fieri conſuevit in aliis carnibus, eô glutinô roris deſtitutis. Quod inſuper quæris, Vir Cl. Ex condenſatione, ſeu arctiori unione partium extenſarum quomodo lux nova exſurget? Cogita non omnes formas, accidentales pariter ac ſubſtantiales, ineſſe cuicunq; materiæ ſed ſingulas propriæ, quod ait Ariſtoteles, cui (2. dean. t. 24.) videntur in patiente & diſpoſito activorum ineſſe actus (tex. 26.) unius cujusq; enim actus in eo, quod potentia exiſtit, & in propria materia aptus naturâ eſt fieri. Quin & animadverte cum eodem Ariſtotele, (8. meta t. 10.) formas eſſe, ſicuti numeri ſunt, ad invicem ſubordinatas, ut in ſubjecto quædam præſupponat aliam veluti diſpoſitionem & apparatum ad ſui productionem. Quum itaq; corpus perſpicuum igneum ſummæ ratitatis, ut diſpoſitionem obtinet ad lumen à præſente lucido ſuſcipiendum, non tamen diſpoſitum eſt ad lucem induendam; quia lux in ſubjecto ſuo denſitatem poſtulat; quum lumen eſſe valeat in ſubjecto ra-

ro.

ro. Quumq; denſitas ultima diſpoſitio ſit ad lucem in perſpicuo igneo, & æthereo procreandam; profectò formam ignis atq; temperaturam igneam in materia quidem rara conſequitur perſpicuitas, in addenſata verò lucem conſequi neceſſe eſt; quemadmodum formam aëris in materia rara diaphanitas, in denſata magis color candidæ nubis; & formam aquæ in materia rara ſimiliter perſpicuitas, in addenſata verò candor grandinis atq; cryſtalli pasſim conſeqitur. Concedam tibi planè, nihil agere ultra ſuas vires & principia; nec effectum causâ ſuâ nobiliorem eſſe valere: ſed hæc non ſequuntur, ſi poſueris perſpicui ſubſtantiam addenſatione in lucidam cogi atq; mutari; tum quia ſubſtantialis forma corporis ignei nobilior eſt accidentalì formâ lucis, quam per condenſationem in ſua materia producit: tum quia denſitatis proprium eſt terminare viſum in objecto; quare non agit ultra ſuas vires atq; principia corpus diaphanum igneum, dum beneficiô formæ ſuæ ſubſtantialis, inſitiq; temperamenti, undecunq; conquiſitâ condenſatione qualitatem lucis induit, quâ viſum terminat, exuens qualitatem indeterminati perſpicui notæ deterioris. Dum inſuper inquiris, quæ cauſa ſit,

quare ex condenſatione perſpicui indifferentis non æquè tenebræ oriantur quàm lux? Dicimus perſpicuum interminatum, quod indifferens appellas, ubi fuerit corpus igneum, denſatum fieri lucidum, quod formam ignis in materia denſa lux neceſſariò conſequitur; quæ propria qualitas eſt denſioris ignis: ubi verò fuerit corpus aëreum, & aqueum, condenſatione candidum fieri; quod tenebroſum fuerit, ſi lucidum corpus aliud præſens non extiterit. Quinimò tenebræ ſunt privatio luminis, quare utrumq; hoc oppoſitorum aptum natum eſt fieri in eodem ſubjecto perſpicuo interminato; non opponuntur autem tenebræ luci propriè, ſed lumini, ut ait Ariſtoteles (2. de an. t. 68. 69.) Dum igitur perſpicuum interminatum condenſatione lucidum evadit, amiſſâ natura perſpicui, non poteſt eſſe tenebrarum ſubjectum: quæ ſolùm in perſpicuo indefinito reperiri poſſunt ob abſentiam lucidi; quô præſente lumen in eodem perſpicuo gignitur, & exſtinguntur tenebræ. Quod ultra quæris: Quæ deniq; ratio ex aëre, tanquam primo perſpicuo, condenſato lucem promet? condenſatur non rarò aër arctisſimè in regionibus noſtris, in anguſtis bombardarum & tormentorum cannulis, aquâ

cum

cum vi erumpente, ſonitus quidem oritur, lucis ne tantîlhum: Inprimis eam ſolutionem habet; quod falsò ſupponitur, aër esſe primum perſpicuum: etenim primum perſpicuum eſt æther; ſecundum ignis ille ſimplex in ſublimi: tertium aër: quartum aqua: quintum corpora miſta diaphana: Niſi dicamus perſpicuitatem esſe communem qualitatem in omnibus iſtis, quorum in ratione diaphani nullum eſt altero prius, quod videtur velle Philoſophus inquiens, (loc. cit,) Perſpicuum autem dico, quod eſt quidem viſibile, non autem ſecundum ſe viſibile, ut ſimpliciter dicam, ſed propter externum colorem. Hujusmodi autem eſt aër, & aqua, & multa ſolidorum; non enim ſecundum quod aqua, neq; ſecundum aër, perſpicuum eſt: ſed ſecundum quod eſt natura eadem in his utrisq; & in perpetuo illo, quod ſurſum eſt, corpore. Lumen autem eſt actus hujus perſpicui, ſecundum quod eſt perſpicuum. Potentia autem, in quo hoc ineſt, & tenebræ. Lumen autem ut color eſt perſpicui, quum eſt actu perſpicuum ab igne, aut hujusmodi, quale quod ſurſum corpus; etenim huic aliquid ineſt, unum & idem. Quòd ſi recenſens perſpicua primùm meminit aëris Ariſtoteles, non reſpexit ordinem,

nem naturæ, ſed ſervavit ordinem doctrinæ, qui eſt à notioribus nobis. Deinde falsò ſupponitur, ex omni perſpicuo condenſato, quamobrem & ex aëre coacto lucem promi: non enim hoc aſserui; ſed lucidum evadere dixi perſpicuum æthereum & igneum ubi condenſetur: ex aëreo verò, & aqueo perſpicuo per condenſationem poſui non verè lucem promi, ſed luci valdè ſimilem atq; finitimum colorem album in nube, nive, grandine, glacie, cryſtallo. Deinceps autem in regionibus tuis Danicis, & aliis borealibus aër ab intenſo frigore quando condenſatione deperdit perſpicui qualitatem, rigetq; condenſatur in candidam pruinam; nivem & glaciem: Quia & ante tantam concretionem addenſatur in conſiſtentiam vaporis albi, quapropter ibi noctes eſſe clariores conſueverunt, & aptiores obſervationibus æthereis aſtrorum, ut ex inclyto tuo Tychone patet, qui Venuſiam inſulam Vraniburgumq; in ea ſibi delegit ad obſervationes Aſtronomicas admirabili felicitate peractas. In anguſtis autem bombardarum tormentorumq; cannulis, ſi aër condenſatur in Dania rigente frigore brumæ, certè non aliâ ratione fit, quàm in cavernis montium, antequam denſetur in aquam, co-

actus

actus in vaporem nubosum albidum. At apud nos è tormentis bellicis cum vi non erumpit sonitus absq; luce micantis flammæ statim è pyrii pulveris incensione genitæ. Nisi fortè memineris tormentorum quæ sine pulveris illius incensione disploduntur, locô pulveris ventum impetuosè jaculantia, priùs repleta coactissimô aëre, cui data repente via cum ingenti sonitu per fistulam exitus est; at sine luce, tum quòd aër ille coactus non est verè condensatus, at arctatus tantummodo pristinam perspicuitatem retinens, tum quòd etiam non luceret, sed alberet solùm, si condensatus esset: tum quòd in exitu liberum & amplum in locum latus raritatem pristinam acquirit, cum qua non lucem sed perspicuitatem obtinet. Quod adjungis, At ex condensatione aëris & nubium fit tonitru, & alia meteora lucentia: fateor. Sed ex condensatione sola nihil, nisi una sulphurea & materia quædam accendi apta cogatur; adeoq; lucem quidem exprimat latentem, non generet ex densitate: imò unit dispersam & congregat qvum apparet, ut in ignis elemento raro & disperso, quod factâ luminosorum corporum copulatione arctiorî, non solâ perspicui condensatione lucet ac videtur.

Id ha-

Id habet quidem in quo tibi consentimus, tonitrua, fulminaq; fieri non ex aëris condensatione sola, sed ex ignita materia coacta. Non tamen concedimus omnia meteora lucentia sic oriri; nam inter ea ponuntur, quæ sine fulmine ac tonitru coruscationes plerumq; fiunt aëre Sereno, veteribusq; dicuntur comminationes, aut risus Vulcani & Vestæ, per solam condensationem aut exhalationis igneæ, aut portionis elementi ignei vi deorsum trusæ cœlorum rotatione: in quorum generatione sanè lux de novo gignitur ex condensatione, non autem exprimitur antea latens; quia lux præsens latere non potest, qvum sit summum atq; primum visibile. Quin imò, sicut adversus Anaxagoram & Empedoclem edisserit Aristoteles, (2.meteo.c. ult.) Simile est, ac si quis putet, aquam, & nivem, & grandinem, inexistentes prius, posterius excerni, & non fieri; velut ad manum faciente semper concretione unumquodq; ipsorum: eodem enim modô & illa concretiones, & hæc excretiones existimãdum est esse. Qvare si altera horum non fiunt, sed sunt: de ambobus eadem congruet ratio. Sicut ergò verè generatur aqua, & nix, ex condensatione varia nubis; & grando ex condensatione aquæ,

in

in qua non præexiſtebat; ita verè generatur lucidum corpus ex condenſatione perſpicui ignei, in quo non actu præexiſtebat. Nec in ignis elemento raro lux ineſt actu; namq; nullibi forent nocturnæ tenebræ; etenim quæ luminoſa corpora ſunt in igne raro & diſperſo, quæ viſus aciem ſubterfugiant? nonne ſcintillæ ignium exilimæ viſui conſpicuæ ſunt? diſperſa quidem exilima corpora lucida conſpicientur ſub multorum lucidorum exilium, congregata formabunt unum corpus lucidum magnum; at nihilominus viſui conſpicientur ſub utroq; ſtatu: qvum autem ignis elementum ob maximam raritatem ſit omnino perſpicuum inviſibile; ubi verò contigerit ejus aliquam portionem addenſari, ſtatim effulgeat oculis ſub ſpecie lucidi; certum eſt lucem verè generari per condenſationem rari perſpicui; non autem præexiſtentem diſperſam eſſe prorſus inadſpectabilem, unitam verò & congregatam apparere viſui. Quod addis, à diaphaneitate expanſi condenſata ſtellas lucemq; emergere, ingenioſum videtur commentum, cui ſacræ paginæ fallere neſciæ reclamant, quæ Verbo Dei lucem factam ipsîs mundi initiîs docent: hoc inquam non me tangit neq; turbat; qui non e-

gi de ſideribus mundi coævis, dum eorum generationem ex condenſatione perſpicui conſtitui; ſed de novis aſtris. Verùm enimvero nec utcunq; ponens aſtra mundo coæva per addenſationem perſpicui creata, reclamantes habet ſacras paginas; quæ Verbô Dei lucem factam docet ab initio mundi: primùm enim lux illa Verbô Dei condita fuit primô die creationis ante ſtellas omnes, quæ poſtea die quartô: ut apertè conſtat legenti Moſen (Gen. 1.) Deinde verò Verbô Dei facta fuit lux, & unaquæq; ſtella, Sol inſuper, & Luna, ut & alia cuncta, nam alibi legitur, (cap. 9.) Tu Deus feciſti omnia Verbô tuô; ſcilicet imperans voluntate, non manibus operans; quare ut hominem fecit de limo terræ, jubens illico limum in humanum corpus configurari: ſic in verbo ſuo lucem primò fecit, imperans diaphanas cœli partes raras illico denſari in corpus lucidum; Quam ſententiam eſſe SS. Patrum admonet Pererius inclytus aſſerens, (1. in Gen. cap. 1. v. 3. nu. 74.) Beda in ſuo Exameron: Ugo de S. Vict. 1. de Sacram. Mag. Sent. lib. 1. & ibid. D. Bonaventura, aliiq; complures Scholaſtici: & Nicol. de Lyra, & Toſtatus in com. ſuis ſuper hunc locum Geneſ. arbitrantur primam illam

illam lucem non fuiſſe Solem, ſed corpus quoddam lucidum, ad ſimilitudinem denſæ lucentisq; nubis in ſuperiore parte mundi, videlicet in qua poſtea Sol eſt poſitus, quod circum denſiorem materiæ partem, quæ medium mundi locum complectebatur in orbem converſum, dierum & noctium vicisſitudines efficiebat. Erat enim lux illa perquam tenuis, & langvida atq; imperfecta: talis nimirum, ut inquit Beda, qualis eſt lux Solis in aurora, priusquam Sol appareat ſupra noſtrum horizontem, non habens vim calefaciendi, nedum vivificandi. Ex illo autem corpore lucido poſtea quartô die formatus eſt Sol amplioris præſtantiorisq; lucis additione: jubente Deo ſcilicet illud corpus nuboſum ulterius condenſari magis in Subſtantiam lucidiorem. A qua ſententia non recedit (4. de Div. nom. c. 1.) Areopagita, neq; (1. p. o. 67. ar. 4. & q. 70. a. 1. ad 2.) D. Thomas, aſt eam profitentur, etſi cum aliqua variatione; quorum opinionem recipit (loc. cit. num. 76.) Pererius: verba D. Thomæ ſunt: Sic ergo oportuit ordinem divinæ ſapientiæ manifeſtari, ut prima inter opera diſtinctionis produceretur lux, tanquam primi corporis forma, & tanquam communior. Et mox:

Quia dies non poteſt eſſe ſine luce: unde oportuit in prima die fieri lucem. Et infrà, (q. 70. 1. ad 2.) Si autem lux primô die facta, intelligitur lux corporalis, oportet dicere, quòd lux primô die fuit producta ſecundum communem juris naturam: quartô die fuit producta ſecundum communem juris naturam: quartô a. die attributa eſt luminaribus determinata virtus, &c. Dionyſii verba ſunt, (4. de div. nom. c. 1.) Lumen menſura eſt atq; numerus horarum, dierum, totiusq; noſtri temporis, lux enim ea eſt, etiamſi tum formâ certi corporis carebat, quam divinus ille Moſes primos etiam illos tres dies noſtros definiſſe ac diſtinxiſſe commemorat. Atq; ut omnia ad ſe convertit bonitas, primaq; ea colligit quæ diſperſa ſunt. Quare conſentanea ſacræ Scripturæ, & orthodoxis doctoribus dicitur, à Deo primùm verbi ſui juſſu creatum fuiſſe cœlum diaphanum raræ ſubſtantiæ puræ, ſed tenebroſum, ob lucidi corporis abſentiam: primoq; die juſſiſſe lucem fieri, factamq; fuiſſe per condenſationem quandam perſpicui cœleſtis. At die quartô, jusſione ſimplici quoq; condenſaſſe magis adhuc eandem ſubſtantiam utcunq; lucidam, atq; diſtinxiſſe in lucidiora corpora

Solis,

Solis, Lunæ, ſtellarumq; cæterarum; in quibus compactioribus remanſit eadem corporis ætherei materia naturaq;, non corrupta, ſed magis compacta; denſata quidem primô die, ſed ulteriorem gradum denſitatis adepta in quarto, lucidiorq; ſatis effecta. Quod inſuper addis, Poſitô tamen, in exordio Rerum ex condenſatione factam, legem in natura creata jam & conſtituta inducet nullam: refragantem habet D. Thomam, & Moſen; ille namq; ſcribit, (1. p. q. 67. ar. 4.) Sicut autem in cognitione proceditur, à communioribus, ita etiam in operatione; nam prius generatur vivens quàm animal, & animal quam homo, ut dicitur in lib. de generat. (lib. 2. c. 3.) animalium. Sic ergo oportuit ordinem Divinæ ſapientiæ manifeſtari, ut prima inter opera diſtinctionis produceretur lux, tanquam primi corporis forma, & tanquam communior. Unde conſtat eandem, ſimilemve legem eſſe in operando Creatoris & naturæ creatæ, quantum ad ordinem effectuum producendorum. Sed inter easdem eſſe paritatem quandam etiam in natura rerum effectarum, conſtat ex Moſe ſcribente, (Geneſ. 1.) Et vidit Deus quod eſſet bonum, & ait; Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum

lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumq; faciens fructum, & habens unumquodq; ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Nonne nunc etiam terra creata de ſe pasſim germinat herbam virentem, & facientem ſemen, lignumq; pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen eſt in ſemetipſo ſuper terram? nonne prima illa ſtirpium creatio de terra, Creatoris opus legem certam dedit, quâ terra poſt creationem germinat asſiduè cuncta plantarum genera? cur ergo creaturæ lucis negandum eſt, quod creaturæ terræ atq; vegetabili competit? Subnectis, Lux ſemel creata, omnia implet, & in ſpecierum varietate diffunditur, imô multiplicatur, ut ex Litheoſphori cap. 47. didici. Quantò faciliori igitur negotiô ad inſitum aliquod roris lumen, in omnibus ferè corporibus conſpicuum, ſplendentis in obſcuro carnis lucem derivamus, quam ex perſpicuitate denſata ægre ſalvabîmus. Ego verò primùm concedere non poſſum, lucem ſemel creatam omnia implere; nam ſi de luce propriè dicta ſermo eſt, ea ſolùm ineſt in lucidis

corpo-

corporibus; non implet opaca neq; diaphana, quæ lucidis multò plura ſunt: ſin agas de lumine, ſolis ineſt perſpicuis à præſente lucido; non implet opaca, neq; perſpicua præſentî lucidô carentia, neq; lucidâ propriè cuncta. Deinde concedo quidem vaporem in aëre noſtrate, quia perſpicuus eſt, præſente Sole, vel igne, lumen in ſe admittere, continereq; ſed vapor iſte non eſt omnia corpora, nec abſente lucidô, diu continet in ſe lumen hauſtum ab eo præſente: In Litheoſphoro citato poſui corpora pleraq; fulgere in tenebris, quòd imbiberint vaporem utcunq; lumine perfuſum; ſed obſervavi vaporem non niſi denſatum, & igneæ naturæ participem emicare, ſplendoremq; ſuum corporibus impertire variis, quibus implicatur. Nec accipere valeo rori cuicunq; lumen aliquod inſitum eſſe, quod etiam in omnibus ferè corporibus conſpicuum ſit; quia noctu ſtirpes multô rore madidæ non lucent hilum ejus beneficiô in tenebris Lunæ ſilentis: multaq; corpora pariter latent obſcura nocturnis in interluniis tenebricoſis. Quare veriorem cenſeo poſitionem, probatamq; ſatis, carnium Monſpellienſium, & fortè Patavinarum, ſplendorem in tenebris nocturnis non aliunde fuiſſe,

quàm ex rorida ſubſtantia multa & pingvi condenſata, cui plurimum admiſtum fuerit inſiti ſpiritus calidi nativi, præpediti à glutine roris viſcidioris carnes illas infercientis, ut antea ſatis explicavi.

Hæc in præſentia mihi ſub calamum venerunt, egregie Vir., tibi reſpondenda, quæ velim tuæ menti ſatisfaciant, & Amico tuo, ad cujus inſtantiam literas alteras iſtas ad me dediſti. Vale, & me ama. Dabam Bononiæ XV. Calend. Maji., M DC XLII.

Impreſſ. Utin. 1646.

EPISTOLA XVI.

De femina ex imaginatione gravida.

PETRO SANCHIO. Monspelium.

LIterarum tuarum momentum expendenti mihi, id tandem occurrit quod Reipublicæ noſtræ literariæ dudum non inani voto à Numine ſummo mecum erectus quisq; expetiverat. Serius quamvis, propter ambages, ut videbatur, partibus fidi pararii functæ ſunt, quas elapſi anni ultimo ad nos expediviſti, morâ tamen, ſtupentis animi deſiderium & votum non parum auxerunt. Purpuram gratisſima colorum ſpecie adumbrarunt, ſplendoremq;

doremq;, quem præſens admiratus eram, in longius provectum digna tantis meritis facie ſtiterunt. Terrarum veſtrarum felicitatem ex Tua metior, renatamq;, me abſente, ingeniorum fertilitatem tuæ purpuræ, qua orbis oculos & veſtrorum perſtringis, grata debebit poſteritas. Ad antiquam enim majeſtatem jam reſurgent Muſæ veſtræ Peſulanæ, vel in æternum de exilio conquerebuntur. Te Duce & Actore hæc peragetur fabula, quam non ſemel ſtrepentium inanes conatus interruperunt. Innocentiam veterum & antiquam illuſtris loci dignitatem cum Collegis ſaniori-bus tuere pro viribus, & feliciter in ſeculi noſtri laudem ſeriò vindica. Id quod erectis mentibus intrepidè ſpondere auſim, qui de ſincero tuo in Muſas noſtras illarumq; alumnos animo tantum teſtabor, quantum proprio exemplo apud Vos didici. Nec minora ſibi perſuadent juvenum ad virtutem incitatæ mentes, quæ neſcio qua inclinatione ad tui ſplendoris famam catervatim feruntur & quaſi occulto divorum inſpiratu ſeſe ad veſtra pulpita effundunt. Ego verò laudum Tuarum deprædicatione nunquam fatigabor, quas aliquando ad majus eveham, donec nos deſideratum tempus copulaverit, & ad interceptam amici-

amicitiæ uſuram reduxerit Numinis favor. Interim non tacebit hic calamus merita tua, quæ brevi in edenda Diſſertatione de Luce Animalium, amicorum ſuaſu & impulſu in itinere conſcripta, leges clarius & intueberis. Operoſius ibi de carne veſtra lucente acturus ſum, de qua occurrunt multa quæ dici deberent. Unum* eſt quod dubiam diu mentem exercuit, de quo præſens egisſem, niſi ab aliis revocatus fuiſſem. Prodiit nempe Pariſiis 1631. typis publicis Memorabilis ſententia Parlamenti Gratianopolitani, in cauſa matronæ cujusdam, quæ filium peperit ſine viro quatuor poſt ejus abſentiam annis, ſine alterius Viri conſuetudine, quam ſententiam Medici veſtri Monſpelienſes, & obſtetrices dicuntur approbaſſe. Nominantur inter alios Medicos Monſpelienſes Hieronymus de Reviſin., & Eleonorus de Belleval. Quid hiſtoriæ veritatis ſubſit ex Te ſcire deſidero veſtrarum rerum peritiſſimo. Suſpecta enim mihi eſt narratio. De noſtro Sena nihil intelleximus, ejusve fato, de quo ſolliciti ſunt amici communes, qui Te cum fratre utroq; meo officioſiſſime ſalutant. Meo quoq; nomine eandem ſalutem Collegis Courtaudo, Belleval, Duranco, Riverio nunciabis. Reliqua in ſeqvuturam brevi occa-

occasionem reservabo. Vale. Patavii Cal. April. 1642.

T. T.
Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XVII.

Ad præcedentem Responsio.

THOMÆ BARTHOLINO. Patavium.

DUm superis placuit laboribus nostris terminum imponere & velitationem Medicam ad tranquillum deducere portum, simulq; compescere animos invidorum & malevolorum ut coacti nobis reliquerint munus Regium & officium docendi in his partibus cum stipendiis, nulla major lætitiæ ratio (coram Deo testor) quam quia rem vobis à longo tempore probatam & desideratam, & ad quam promovendam omni officio ad fuistis; multum quoq; dulcem & gratam futuram speravimus, opus vestrum magna ex parte, consentaneum igitur ut ad vos dirigatur & vobis arrideat; mihiq; quamdiu illo uti dabitur, integram relinquam vestrorum officiorum memoriam, & obsequii verum & interminabile desiderium.

Carnis lucentis quam expoſcis delineationem ex his partibus vix ſperare debes, non habemus congruos artifices, nec attentos, & res vix benè fuit probata. De illa etiam graviditate annorum nihil credas, fabula eſt à nebulonibus inventa quæſtus gratiâ: Quæ de luce animatorum & aliis, publicæ utilitati ad tempus ſubtrahis, ſi communicare placuerit, gratiſſimum facies, & in eis mentem noſtram lubenter aperiemus.

Res veſtræ in ædibus noſtris in tuto ſunt, & tradentur quando placuerit veſtro nomine petenti: Interim Te rogo Vir Doctiſſime, & etiam amantiſſimum fratrem Caſparum ac ſocios nobis cognitos, ut me tanquam fideliſſimum amicum, & obſequentiſſimum amare velitis, & veſtris mandatis adimplendis paratiſſimum credatis, & ego nusquam deſinam excelſum tuum animum, magnam doctrinam, veram virtutem palam profiteri donec mihi aliqua ſuboriatur occaſio ulterius & utilius inſerviendi. Inter maximas artis occupationes Monſpelii currenti calamo 1. Julii 1642.

P. Sanchius.

EPISTO-

EPISTOLA XVIII.

De Danicis Hieroglyphicis in Cornu Aureo.

THOMÆ BARTHOLINO. Patavium.

TEmpestivè satis ad me delata est Clarissimi Liceti de Cornu nostro judicium. Quamvis enim in cudendis Monumentis occupetur Typographus noster, priores tamen tres saltim absolvit libros, in quarto locum obtinebit Cornu, cujus editionem, suadente etiam Rhodio, differam usq; dum censuram Kircheri, numismatis Trojani apud Rhodium extantis delineationem, & cornu Florentinum à Te mihi promissum, nactus fuero. Cæterum vehementer mihi placet Liceti institutum, etsi videam eum in quibusdam à me dissentire, fundamentum enim suarum meditationum ex meis depromit, & illud quod ego ad calcem tractatus mei, aliis tractandum reliqui, opportunè arripit. Docet suo exemplo errare invidos ac morosos quosdam apud nos, qui palam profiteri non verentur, dignum hoc subjectum non esse, in quo horæ aliquot perdantur, nec tanti esse ut temporis ullam extrahat partem. Cum tantum Virum in hisce desudare intelligam, nunquam impen-

penſi laboris me pœnitebit. Sunt hæc in quibus diſſentire incolumi ſemper licuit amicitia, modo non injuriis, ſed rationibus res agatur plauſibilibus. Nolim igitur de dubiis, quæ multa occurrere poſſunt, ei facesſas negotium, ne irritatus ab incepto deſiſtat & benevolentiam in vindicias convertat. Subditorum fidem hoc pacto à Frothone exploratam Saxo docet, loco ad calcem libri à me allegato, qui procul dubio Liceto de hiſce cogitandi occaſionem præbuit. Hieroglyphica quod attinet, certum & ratum, quod noſtratia cum Ægyptiis in multis non conveniant. Nec enim Capopos, Iſides aut alia ejus genetis monſtra exſpectabis, ſed ab animalium quorundam & rerum aliarum ſibi familiarium proprietatibus multa ſunt mutuati, ut docent adhuc apud nos extantia ſaxa & monumenta à me delineata. Sed quæ mea ſit de Danicis Hieroglyphicis ſententia, ſiquidem in tractatu de Cornu pag. 49. 50. & 51. ſufficienter, ut puto expoſuerim, hic plura non addo. Cumq; talia ſint, ut propter diverſas quæ eidem rei inſunt proprietates, diverſimode etiam explicari poſſint, ut de Schyticis ibidem docuimus, non mirum ſi in diverſas opiniones diſtrahantur interpretes. A me diſcedant alii pro-

lii probabilibus inducti rationibus: tantum abeſt litem ipſis ſim moturus, ut gratiam potius debere me fatear, modò candide ſine convitiis, ut Viros bonos decet, mecum agant, & humanæ memores ſint conditionis ad lapſum & errorem pronæ. Florentino cornu acceſſionem noſtro futuram ſpero inſignem, non ſine grata tui memoria, Kircheri præſertim ſi acceſſerit judicium. Huic enim Viro in hiſce multum tribuo. Vale Hafniæ 16. April. 1642.

T.

Olaus Worm D.

EPISTOLA XIX.

De cornuto Homine apud Thuanum.

OLAO WORMIO Hafniam.

FEſtinans nuper manus non pauca excluſit quæ ad judicii tui tribunal ſiſtenda fuiſſent. Quare poſtliminiò jam reverſa officii debiti telam reſumpſit. Quid Liceto noſtro Clariſſimo de Cornu Aureo in mentem venerit ea qua ad me perſcripſit fide retuli. Nihil verò ab illo tempore prioribus addidit, niſi commune gaudium quod prodituri Monumen-

mentorum Tuorum Danicorum operis fama excitavit. Aliorum tamen doctiorum vota eò inclinant, ut ſeparata in publicum exeant diverſi argumenti monumenta, neve communi copula jungantur Monumenta cum aureo cornu, quam curam ego Authori excellentiſſimo, cui facti ſui & conſilii ratio conſtabit, puto relinquendam. Facæta alia ingenia neſcio quid de cornu aureo jocantur. Quia de cornubus nobis ſermo eſt, ſed alienis, nec à nobis poſſeſſis, cornutus quidam dubium mihi movit, à te facili negocio ſolvendum. Quum nuper Hiſtoriam Inclyti Scriptoris Thuani volverem, incidi lectionis ordine ad librum Hiſtoriarum 123. ubi cornuti illius Fr. Troviluvii circa annum Chriſti 1599. in Gallia oberrantis ſeriem exponit; non dubitavi quin ex eodem hoc authore hauſerit Emanuel Urſtiſius id quod ad Fabricium Hildanum perſcripſit, niſi aliter perſuaſeris promptè creditturo. Neq; ſcio an hujus cenſus eſſe velis quod Abenzoar l. 1. Theiſir. tr. 6. l. 2. c. 5. de quodam homine narrat, cujus dorſo concretum os inſtar cornu, non ita tamen durum ut os naturale, ſurrexit. Et quod de ſeipſo ibidem ſubjungit, natum ſibi ſuper dorſum os graviter moleſtum craſſa vacuantibus phar-

pharmacis & emplaſtris diſſolutivis ademiſſe. Quibus ſimilia ex Ingraſſia in aureo Tractatu p. 13. obſervavi. Quid porrò cornu Ammonis apud Plinium, Gesnerum, & Agricolam ſit, clarius nobis explica, quale in Muſæo ſuo aſſervat Fr. Calceolarius Veronenſis, ſicut teſtatur in edita Muſæi deſcriptione, Sect. 3. ubi inter rara alia Manucodiatam delineavit ſuis coloribus, ſed ſine pedibus conſpicuam, quamvis pedes eam habuiſſe non inficietur, quales in illa viſebantur, quam nuperis annis ex Belgio Tibi transmiſi. De cornu illo Florentino per amicum Rhodii noſtri refertur, quod non unum ſolum ibi ſit, quod viſum mihi, ſed plura variis emblematis & literis antiquitatem ſapientibus inſignita, quæ omnia accuratè depicta quam citiſſimè mittet conductus ære pictor. Ex ebore conflatum inſigni opere variis animalium figuris per circulos diſtinctum idem narrat, cum hac inſcriptione INFANTE DOM LUIGIS. Quamvis ille non bellico uſui credit apud Turcas inſerviiſſe, quod tamen incolæ mihi retulerunt, ſed potius venationi ex animalium ſerie conjectet. Quis Infans ille fuerit, ex vett. Annalibus & Hiſtoricorum fide diligenter interim inveſtigabimus, donec proximus internun-

ternuncius ipſa cornua depicta & deſcripta attulerit. Hiſce diebus titulus libri cujusdam Anonymi nobis oblatus fuit, quo ſe probaturum jactat, chylum omnem immediatè ex ventriculo ad hepar deferri, inteſtinis inſalutatis. Quod de univerſo chylo an ſit probaturus, valdè dubito. Kircheri de Magnete Opus aditer paratum habet Conſobrinus Fuirenius, qui hæc rariora ſemina per me transmittit. Ego quo minus paria faciam, pondere literarum impedior. Vale. Raptim Patavii X. April. 1642.

T. T.
Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XX.

De eodem, & cornu Ammonis Reſponſio.

THOMÆ BARTHOLINO. Patavium.

DE Liceto nuper ſcripſi, gaudere me vehementer quod Vir ille celeberrimus huic operi etiam manum admoveat. Inprimis cum intelligam ad Regem Danum Hieroglyphica dirigere. Sunt hæc ejusmodi, ut facilè diverſas admittant interpretationes, quod pag. 50. ingenuè faſſus ſum & exemplo demonſtra-

monſtravi. Quod reliquis Monumentis Danicis cornu hoc jungam cauſas habeo prægnantes. Præterquam enim quod monumentum eſſe negare nemo poſſit, an Danicum, dubitare auſus eſt quispiam apud nos, qui docuit cornu hoc illud eſſe quod Suantovith Idolum in Rugia manibus geſtabat, de quo vide Saxonis lib. 14. Titulum detorqueant alii pro lubitu; quid intelligam res ipſa docet. Moros iſtos non moror. Cornutus ille Franciſcus cujus Thuanus meminit, is ipſus eſt quem Urſtiſius delineat, ſed à Thuano nequaquam hiſtoriam ſuam eſt mutuatus. Narrat enim loco à me allegato ſe anno 1598. Pariſiis eum vidiſſe, cornu tetigiſſe præſentibus D. Jacobo Feſchio & diſcipulo ſuo Joanne Echenſtenio. Rem eandem plures eodem tempore videre poſſunt, & diverſimode delineare. Hic apud nos eſt Doct. Chriſtianus Fabricius qui eodem tempore Pariſiis fuit ac eundem vidit. Abenzoaris locum tibi acceptum fero. Lapis qui cornu Ammonis dicitur, à Plinio inter gemmas recenſetur, ſed perperam, ut mihi videtur, delineatur exactè ab Anshelmo Boetio à Boet. lib. 2. cap. 246. Mihi unus fuit, qui convolutum in ſpiram anguem exactè referebat, hunc Magnifico

Dn. Cancellario p. m. concedere coactus sum, quod ab aliis persuasus esset à serpentibus conflari & viribus stupendis pollere. Vereor ne nimis tibi molestus sim cornuum Florentinorum delineatione. Quid chylificus ille nobis opportet novi expectabimus. Lacteas omnes ad intestina delatas nobis abrogabit prius quam suam obtineat scopum. Henrico Fuirenio pro transmissis seminibus meo nomine gratias age; si quid ex iis enatum fuerit, eo ipse ad nos redux gaudebit. Audio enim reditum ad nos anno sequenti moliri, Deus ipsum conducat ut salvum videamus. Quia non dubito quin librorum & aliorum quæ apud nos aut rara aut nimis chara præclaram sibi sit comparaturus supellectilem, monere volui, Aldrovandi opera hactenus Bononiæ excusa à Bibliopolis Amsterodamensibus hic vendi 80. Imperialibus, quæ procul dubio minori apud vos habebit precio. Kircheri Magnetem valdè commendari audio, magno me beabit beneficio si transmiserit, de precio ubi ad nos redierit conveniemus. Tuas laudes in Præf. libri 7. Prax. Hist. decantantem Zacutum Lusitanum nuper vidi. Vale & Vige. Hafnia 5. Maji 1642.

T. Olaus Worm.

EPISTO-

EPISTOLA XXI.

De Unicornu Grönlandico.

THOMÆ BARTHOLINO Patavium.

TUas 29. Maij datas 16. Junii probe accepi, ex quibus colligo nondum redditas quæ menſe Aprili & Majo ad vos dedi. Interim quid tui cauſa egerim te intellexiſſe gaudeo: Cancellarii in Te affectum non deſinam data opportunitate firmare. Solet namq; quandoq; num à vobis literas habuerim, inquirere. Miſſum tractatuum tuorum oſtendam catalogum, qui haud parum ipſum recreabit, tibiq; favoris dabit augmentum. De Unicornu eſſent forſan quæ tuo propoſito inſervire poſſent, tam icones quam rerum momenta. Vidiſti quid de eo egerim obiter in Corollario ad Diſputationem meam ſecundam Inſtitutionum. Habui hic in manibus ac pro lubitu tractavi, & genuina ſua magnitudine & proportione delineari curavi cranium integrum hujus animalis, cui illud quod cornu vocant adhuc inhæſit, cum tamen cornu nequaquam ſit, ſed dens, ut docuit *αυτωψία* & rationibus firmis evicimus. Fruſtulum ejus Pharmacopæus noſter à Reg. Majeſt. ipſi traditum, calcinatione, ut vocant, Philoſophica (per

liquoris calidi vaporem) præparavit, cujus etiam mihi copiam fecit. Hoc in tenuisſimas laminas reſolvebatur, quod in cornubus ita calcinatis non contingit. In dente Rosmari & Elephanti idem experimur. Hujus animalis (Cete namq; eſt) iconem, ſed rudiorem mihi transmiſit Epiſcopus Islandiæ Borealis Dns. Thorlacus Sculonius, qui cum glacie Grönlandica eo appulſum vidit. Minutisſima cranei & dentis hujus rimatus ſum, & fuſius in prælectionibus de Rebus in Muſæo meo extantibus, deſcripſi, ac in icone Auditoribus oſtendi. Eſt mihi fruſtum duarum librarum pondo, corii item particula, ex cranio ante dicto abraſa. Si omnia quæ obſervaverim & notaverim hic exaranda eſſent, mediocris tractatus implerent chartas. Tibi ſi Deus vitam & valetudinem concesſerit, communicabuntur omnia. Vale, Hafn. 20. Jun. 1642.

T.

Olaus Worm D.

EPISTOLA XXII.

De Cornubus Florentinis

OLAO WORMIO Hafniam.

COrnuum Florentinorum iconibus tandem potitus hac levi vetuſtatis externæ acces-

accesſione auctiorem Tractatum veſtrum proditurum non tam meo quàm Reipubl. literariæ nomine gaudebo, quæ ipſo venerandæ antiquitatis fulcro niſi ſuſtentaretur, de brevi futura ruina metuerem. Atlante te ſalvam ſpero & auguror, qui ejus majeſtatem ſolus inter taciti ſeculorum ſilentii tenebras ſuſtinuiſti, eruiſti primus. Loquetur poſteritas grata, quod mordet invidentium livor. Novum ſeculo huic non eſt, omni ævo in canina familia uſitatum, conatus majorum odiſſe quos aſſequi per genii infelicitatem vel non poſſet, vel non vellet per ignaviam. Semper tamen inter tam ſordidas mentes ſublimius evecta virtus ab aliis vel neglecta vel deſperata feliciter expedivit, tempſitq; invidos quorum miſeræ condicionis fatum ſequuturum tempus deplorabit. Te, Virorum maxime, hoc nomine amant omnes & venerantur, quod ſeculum noſtrum diutius latere non permiſeris, quæ à majoribus noſtris effecta de illorum pariter & Tuo teſtentur ingenio. Ad teſtimonium non vocabo tot Belgii, Angliæ, Galliæq; lumina, quæ præſens vidi virtutè & fama tua obſtupeſcere. Quid ſentiant de illa Italorum noſtrorum delicata ingenia, Te non ignorare ſinemus. Loquantur pro-

priis verbis Kircherus, Ferrarius, Puteanus Eques, Licetus, Naudæus, Viri ad æternitatem dudum deſtinati, quorum de Cornu judicia publicis typis meditor ſubmittere. Quid autem ad Cornu tuum hæc Florentina? Ex opere impari dignitatem veſtram æſtimabit orbis. Deeſt enim his ex auro precium, ex Wormii genio lumen, ex antiquitate veneratio. Utrumq; ex ebore formatum antea ex relatione fida ſcripſi. Author primus Rex, ut videtur, Luſitanicus, quem ex Hiſtoriis accepimus Barbariam reliquasq; orientis plagas occupaſſe. Figuræ inſculptæ ad venationem omnes tendere videntur, cui forſan primo deſtinata. In triremibus autem Turcicis à Magno Florentiæ Duce occupatis vice buccinarum inflata ad pugnam incitarunt. Quo id tempore ſit factum, expiſcari non potui. Cornua ipſa vetuſtatem quidem oſtentant, ſed multis ſeculis non repetendam, quippe Equites venatoresq; hinc inde depicti conſpiciuntur calcaribus equos ad curſum incitantes, quæ quidem calcaria non niſi poſteriorum ſeculorum inventum eſt, qvum antiquiores equos calcaneo ſolo concitarint, ut Antiquarii proponunt & Statuæ Romanorum omnes demonſtrant. Chriſtianorum verò opus primum fuiſſe,

fuisse, sculpturæ docent, quas & Mahometani & Judæi omni ævo abhorruerunt. Crux præterea evincit signum expeditionis Christianæ in Orientem. Insignia in altero Cornu eminentia Lusitanorum Regum propria esse illius terræ gnari mihi retulerunt, quibus & Infantis titulus tribui solet, ut proprius. Alia ex defectu & Historicorum & Relationum de his referre non possum. Magnitudinem justam pictura ostendit, reliquaq; fideli opera adumbrasse pictorem à me precio conductum testatur amicus Rhodii, cui id negotii datum fuerat. Licetus noster humanissimus nunquam rogare desistit ut data per literas meas occasione Wormium officiosissimè salutem, cum pronipta affectus oblatione. Absoluto jam contra Galilæum libro, typis brevi subjiciet Opus suum de Anulis, cujus Caput XL. cursim percurrens, multa egregia in laudem Antiquitatis nostræ & Authoris Wormii deprehendi cum doctissima Hieroglyphicorum enodatione parum à Tuis diversa. Corda novem totidem Cimbrici Regni Provincias (Süßeier dictas nobis) denotari arbitratur, nec consentit in explicatione Circuli Tertii, ubi per hominem alterum vulnerantem Aquilinarem pœnam hoc argumento non signi-

ficari evincit, quod & in abdomine ventrisq; parte anteriori pluribus fisſuris vulneretur, qvum illa Aquilinaris tergum ejusq; coſtas duabus tantum divaricationibus diviſerit. Sed dubia res ut varias admittere ſolet interpretationes, ita unicuiq; de laude pari contribuit, quam nullus, niſi Dis iratis natus, Tibi derogabit authori antiquitatis noſtræ & unico defenſori, cui in æternum debebunt quicunq; patrii amoris ſcintilla vel minima calent. Quo nomine qvum publicè me quoq; devinctum teſtabor, domeſticis beneficiis in præſens omisſis, id reſtat à favore tuo impetrandum, ut patriam & me, lumine & affectu proſequaris pro ſolito. Vale Patriæ decus, columen meum, & pro meritis ſeneſcentem orbem comitare pari ævo. Pat. 26. Jun. 1642.

T. T.

Thomas Bartholinus.

Impreſſ Hafn. 1643.

EPISTO-

EPISTOLA XXIII.

Dubia quædam contra Circulationem sangvinis.

GUILIELMO HARVEJO Londinum.

VIrtutum Tuarum memoriam coram recoluisſem jam ante, ſi per fata licuiſſet, quæ meritæ famæ addictum animum pertinaçius remorabantur. Coram præſtare quod non licuit, in abſentem contuli, ne judicii æquitatem ex affectu temperatam ſupercilioſi cenſerent. Ex ſcriptis noſtris immaturis quantum Tibi & inventis certisſimis pretii tenuior Muſa ſtatuat, æſtimari velim à cordatis. Nec intra urtius pagellæ clauſtra mentis ſecreta circumſcripſi, verbis & ore per omnium locorum, quæ tranſii, campos liberius ea explicavi forſan quam feliciùs. Judices ſint quibus ſpectatoribus hæc peracta fabula, quorum partim applauſus merui, partim ſibilos. Interim experientiæ ſacramentum dixi, cui ſtare & cadere firma propoſitione conſtitui, niſi ſanam hanc mentem iniquiores ſuperi pervertant. Tuum erit, Aſclepiadum decus, ingenioſisſima inventa eadem felicitate juvare, qua in ſeculi gloriam propalaſti, de tanti nominis ſplendore in æternum teſtatura. Plura quidem in re

obſcura cogitanti ſuggesſit genius, quæ ipſe de facili expedirem, niſi anteferendam judicii Tui cenſuram præſumpſiſem, cui hac parte primas defero partes. Varices in motu ordinario non raro mentem ſuſpenderunt, & circuitum ſangvinis in orbem aquæ thermarum uſus hiſce locis frequens ſatis turbavit, quæ in venoſum genus aſſumpta tantum abeſt ſingulis horis cum ſangvine recurrat, ut poſtridie demum vel longiori intervallo temporis per ſaccatum humorem, ut loquar cum Lucretio, excernatur. Si autem eodem cum ſangvine curſu ferri cogitemus, qua ratione à totiens redeunte ſeroſitate illæſum à palpitatione cor ſervetur, ex Te ſciam. Alias difficultates in edendis Controverſiis Novis ex ingenio diluam. Sola me torquet *Scribonii Largi* ſive experimentum ſive placitum, qui Comp. 48. æquè incitari ſangvinem venæ in brachio animalis (i. e. ſpirabilis) ex ea parte quæ ſuper laqueum eſt, quam ex inferiore loco cum percuſſa eſt vena. Quod ne jurato quidem homini ſervo credam, ſi de larga effuſione loquatur. *Marcelli Empirici* approbarem potius negligentiam, qui verba illa Scribonii omiſit, forſan quia in antiquo ejus Codice defuerunt, vel eliminanda judicavit.

Quid

Quid enim insolitæ verborum ambages, sinceritati authoris contrariæ? Quid vena animalis? An spirabilis, quo sensu Tullio animalis vox venerat? An mobilis? Utrumq; certè pulsantibus venis, ut eas veteres appellabant, ex æquo competit, imò jure potiori. Venæ autem mobiles? magnis nos difficultatibus expediret, si probatum daret. Sed de hoc non admodum laboro, qvum motum nutritionis, attractionis expulsionisq; ibi agnoscamus. Hæc Te præsente ineptire libuit, ut ex ingenii tui ubertate nostros lusus temperarem. Si devotum magnæ famæ animum & constantem veritatis amorem aliquo loco apud Te esse avido persuaseris, stimulum currenti addes & æterno speratæ humanitatis vinculo addictissimum obstringes. Vale Medicorum decus, publicoq; bono immortalitatem extende. Raptim Pat. XIV. Jul. 1642.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XXIV.

De pisce Illetif.

OLAO WORMIO Hafniam.

EX tribus quas mense Aprili, Majo & Junio rectè accepi, indefessum & sollicitum in promo-

promovendis rebus meis ſtudium Tuum ſatis intellexi, nec aliud mihi relictum, quam ut Tibi me meaq; in æternum conſecrem. Revelata mihi preſſo ore ſervabo, dubia quamvis, veſtræ tamen in me curæ evidentia argumenta. Corollarium illud de Unicornu ſuppoſiticio dudum meo autegrapho adjunxeram, & nunc gaudeo in eam rem mihi plura documenta ſuppeditata & iconem ejus extare apud vos, quam facile impetrabo ab eo qui laboribus meis favet. Delineationem Unicornu Fridericiburgenſis ab ſororio meo, D. *Jacobo Matthiæ* mihi ſpondere auſim, ex Anglia enim, Gallia & Belgio expecto ab amicis quæ ibidem vel vidimusipſi vel ſervari fando accepimus. Aliquas Unicornuum ſpecies à *Patre* prætermiſſas diligenti lectione adjunxi, ut Bucampen Unicornem à *F. Columna* annotatum, Scarabæum Unicornem & alias. Quis autem illè piſcis Illetif in Indico mari frequentiſſimus, unumcornu gerens, de quo ex L. Romano *Renodæus* l. 3. libenter edocerer, uti & de avibus Æthiopicis, quas Unicornes vocari apud *Ælianum* reperi. Ab Avo nuperis literis aliqua lucentium animalium documenta ſollicitavi, ut iis potirer antequam librum meum typis committam. Bononia quoq;

quoq; ab *Aldrovandi* hæredibus reſponſum expecto, an de his, ut fama eſt, aliquid in ſchedis reliquerit. Alia propter urgens Conſiliarii munus refugienti impoſitum, in præſens differre cogor. Vale, & me ama. Patav. 7. Aug. 1642.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XXV.

De cranio Monocerotis.

THOMÆ BARTHOLINO. Patavium.

NOvos honores Conſiliarii ut tibi gratulor, ita ad majores in patria olim obtinendos aditum ut ſtruant, ex animo voveo. Conatus tuos ut quantam in me eſt promoveam, iconem capitis unicornis cum dente, quod manibus hic tractavi & accuratè per pictorem in debita proportione exprimi curavi, transmitto in arctiorem tabellam redactam. Cujus hic erat ratio: Cranium ipſum mandibula inferiori deſtitutum; nullisq; præter magnum hunc præditum dentibus, colore erat griſeo nigricante, qualis oſſium eſſe ſolet aëri diu expoſitorum & ad putredinem tendentium, inæqua-

inæqualibus variis foraminibus & protuberantiis præditum, quibusdam in locis æquale & læve, quibusdam ſcabrum, ſubſtantia oſſis partim natura poroſiore exiſtente, partim à cutis particulis & fibris tenaciter ei adhærentibus talis reddita. Figura triangulari ferme in longitudinem protenſa. A vertice ad extremitatem proboſcidis ſeu tenuioris ejus partis cui dens inſerebatur, duos exactè habebat pedes Romanos. Ab unius latioris proceſſus qui cilia firmabat & oculum dextrum muniebat extremo, ad ultimum proceſſus qui ſiniſtrum tegebat, cranii latitudo erat pedis unius cum ſemiſſe. Ea enim parte latiſſimum erat. Hinc paulatim gracileſcere & imminui cepit in extremum usq; oris. Occipitium verſus etiam paululum extendebatur, ibidemq; à parte ſuperiore ad inferiorem, eandem tenebat latitudinem, quam occupat linea ab una oculorum orbita ad aliam tracta. Occipitium in diametro pedem paulum ſuperabat. Sed extremitas oris parte ſiniſtra cui dens inſerebatur, pollicum erat trium cum dimidio; dextro latere ubi nullus erat alveus qui dentem caperet, craſſa erat unciam cum dimidia, ſubſtantia fungoſa. Dens ipſe integer non erat, ſed tertia ferme ſui parte mutilatus,

tilatus, quinq; interim pedes longus, duos pollices ſi exceperis, craſitie inæquali. Baſeos quæ fundum cavitatis ſeu alvei occupabat diameter duorum erat pollicum, circumferentia ſex cum dimidio. Hinc paulatim in ampliorem ſurgebat molem, usq;dum cancellis alvei liberatus, liberè vagari cepit. Egreſſus alveum, in diametro tres fermè habebat pollices, in circumferentia octo. Diameter ſummitatis, cujus portio periit, pollicis erat unius cum dimidio, circumferentia quinq;. Ex quo quanta ejus deſideretur pars facilè colligere licet. Figuram eandem obtinebat, quam reliqui omnes hujus generis. Multa mihi ſcribenda de eo ſuperſunt, quæ hujus chartæ anguſtiæ capere nequeunt. Vide quædam hujus dentis experimenta apud Philippum Hechſtetterum Obſ. Med. decad. 5. caſu 9. Aliquot ex animalibus quæ Tu ad claſſem Unicornuum refers, Rhinocerotis titulo ab aliis inſigniri animadverto. Cujus generis eſt ſcarabæus ille unico cornu præditus, qui hoc anno, præter ſolitum, frequentiſſimus erat in hortis noſtris, ex quibus aliquos collegi quos in Muſæo ſervo. Aldrovandus & Ferrandus Imperatus, qui diligentiſſimè eum delineavit ſcarabæum Rhinoceratem

rotem vocant. Ludovicum Romanum obiter pervolvi, ſed quæ de piſce Illetif ex Renodæo adfers, apud ipſum invenire non potui. Si quis ſit ejus generis à noſtris, qui circa Grönlandiam ſtabulantur, non multum differre arbitror. Quod Ælianus lib. 17. c. 10. aves unicornes in Æthiopia naſci ait; de illa ave intelligendum arbitror quam Indi Topau vocant, alii Rhinocerotem. Hujus accuratam deſcriptionem apud neminem adhuc videre licuit. Conjecturas quasdam proponit Aldrovandus lib. 2. Ornithol. cap. 20. Sed curioſis vix ſatisfacient. Ideam capitis ex transmiſſis picturis exhibet, ſed quam ego hic tibi mitto, ad vivum ex ipſo cranio quod in Muſæo meo teneo deprompta eſt, hoc autem ex India Orientali ſecum attulerunt mercatores noſtri. Ex quo apparet illud quod cornu vocant, proprie cornu non eſſe, ſed molliorem apophyſin quandam, in eam quam vides formam à Natura effectam. Elegans alioquin roſtrum eſt & mirum, coloribus, luteo, albicante, purpureo & nigro pulchre variegatum, magnitudine ſpectabile, utpote quod pedem Romanum longitudine attingit, latitudine uncias quinq;. In Hiſtoria Muſæi noſtri accuratius illud deſcripſimus. Bizontes

Unicor-

Unicornes in Borusſia inveniri refert Erasmus Stella circa calcem lib. 1. Antiquit. Borusſ. In Regno Basman unicornes eſſe docet M.Paul. Venetus l.3.de Reg.Orient.c.15. quorum tamen deſcriptionem apud ipſum ſi expenderis, per Unicornu Rhinocerotes eum intelligere videbis. Id etiam intelligendum venit de iis quos in Regno Lambri conſpici dicit. Quæ de Lunariis & noctu lucentibus commentatus eſt Cunr.Gesnerus, vidiſſe te puto.Fuirenius & fratres officiosè ſaluta. Plura volentem & negocia publica & chartæ retrahunt anguſtiæ. Vale quam felicisſime. Hafnia 26. Auguſt. 1642.

T.

Olaus Worm D.

EPISTOLA XXVI.

De Circulationis Authore.

JOHANNI WALÆO Leidam.

DIuturnioris ſilentii moram ægrius fortaſſe ferres, & culpandam cenſeres, niſi exemplo præires, quo non rarò mortalium animi capiuntur. Tanti tamen Viri memoriam crebrius ut recolam, ſuadet animus gratus, nec reformidat calamus hic, illius gloriæ ſacratus.

Teſtes ſint alii quibus, quod omnes miramur, laudare ſoleo, apud quos tantum abſentis fama valuit, ut à me Epiſtolas de Motu ſangvinis quaſi precario impetraverint editioni Harvejanæ adjungendas. Publici boni & famæ Authoris amans, libens ſine invidia illorum votis annui ut ex transmisſis libri titulis vides, ſerioq; à correctore obtinui, ut quam emendatisſimè prodirent, ad editarum exemplum, quod partim exſcripſi ipſe, partim exſcribi curavi. Quid præſtitum ſit, commoda occaſione ex transmittendis apparebit. Veniam autem meruiſſe me, qui concesſi, & curioſos, qui avidè eas expetiverunt, facilè boni publici amantisſimus judicabis. Loca ex Galeno, Hollerio, Laurentio, quia fallit numerus, Te non repugnante, omiſi, quia nec anguſtior forma iſta admiſit. Loca Diogenis, Polybi & Platonis presſius nobis indicabis. Ex Ariſtotele ſuo ſimilia veſtigia ſpondet ſe monſtraturum Cl. Licetus. Cætera huc ſpectantia in aliud tempus differam. De luce Viventium Opus ſub manibus creſcit breviq; lucem videbit, ſi tuis obſervationibus juveris, cui ſe Unicornu adjunget. De Ultrajectenſibus ſcirem cujus precii ſint & quanti illa æſtimes. Si enim rectè conjicio, ex noſtro Borea venerunt,

runt, & literæ Runicæ in ea opinione me confirmarunt, quas ibidem olim legi exſculptas. De circulatione Harvejana ſecretum mihi aperuit Veslingius, nulli revelandum, eſſe nempe inventum Patris Pauli Veneti (à quo de Oſtiolis venarum ſua habuit Aquapendens,) ut ex ipſius autographo vidit, quod Venetiis ſervat P. Fulgentius, illius diſcipulus & ſucceſſor. Hiſce Vale, felicisſime Batavorum Æſculapi, & me ama ſemper tuum. Scripſi Pat. 30. Oct. 1642.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XXVII.

De Luce hominibus innata, & monilibus orientalium.

THOMÆ BARTHOLINO. Venetias.

VOlupe mihi fuit, quod abſentiæ Tuæ tædium, ſuavi literarum alloquio diluere potius, quam inutili ſilentio gravius infeſtiusq; reddere volueris. Placet de lucis in animantibus veſtigio, dignum eximia eruditione, ingenioq; Tuo πεῖβλημα. Mihi ſedet illius non veſtigia ſolum animantibus ineſſe; ſed

promum condum, fomitemq; etiam ipſum. Neq; enim, ut cum Marone loquar

-- oculis tantum micat acribus ignis;

Sed toto pariter corpore benè valentium, lucidus nitor ſeſe diffundit: quem, cum vel momento ſubducunt morbi, quid aliud quam obſcurare videntur nativum fulgorem, &

-- radios inter quaſi rumpere lucis?

Cauſam optimè patere tibi cum Philoſopho ſcio, & ἀνάλογον τῶν ἄστρων στοιχείῳ, puriorem in animantium penetralibus ignem. Igitur in contextu illo univerſi,

Largus uti liquidi fons luminis ætherius ſol,
Irrigat aſſiduè cœlum candore recenti;

Sic in animantium corpore, à corde cum calore ſpiritus ſeſe explicat cœleſtis, à quo tam teneris in genis, quam reliquo membrorum habitu ſplendor efflorescit. In recentius mactatorum pecudum cerebro, tenuius diſſecto, nitorem aliquem luminis evidenter oculis uſurpamus. Memini cum catuli Hyænæ viventis pericardium diſcinderem, cor igneo quaſi fulgore aliquantisper micaſſe, mirante, qui diſſectioni favebat Aloyſio Cornelio Venetorum Conſule. Abn Ismael Tograi carmina haud dum mihi comparavi, adeoq; nec judi-

judicium de Poëmate toto ferre posſum. Diſtichon tamen quod proponis, qualiscunq; profectus meus fuerit, Διαῤῥήδλω ſic interpreter:

Cum eo qvod divino decori & Palatio
appropinquant avidè

Cinctu & monili rubro incedit forma
præſtans.

An monile rubrum diverſo à propria ſignificatione ſenſu hic accipiendum ſit, nolim aſſeverare. Mihi certum eſt, in pretio Arabibus, & Indis, Perſisq; colorem eſſe rubrum, ut etiam corallia rubra nobilioribus mercibus commutent, ad colli, brachiorum, manuum, pedum item in mulieribus, ornatum. الحال de perizomate potius, & cinctu intelligendum cenſeo, quam tunica, ut rectè monet Lexicographus, deducta nominis ab حل radice, quæ ſolutionem innuit rei adſtrictæ. Utuntur etiamnum feminæ apud Arabes tæniis, quibus & mitras capitis firmant, & anguſtant pectus, ſerici rubri intextu variegatis. Reditum utiq; tuum, ſi præter invido-

rum voces alia non obſtant, ex animo ſuadeam & exoptem. Neq; enim illæ vel nebulam ſpargere Virtuti tuæ poſſunt, vel debebunt obſtare ſtudiorum commodis. Summa, ferre voces malevolorum malim, quam fugere: deniq; ſi ſapientiæ magis monitum probas, λάθρα βιώσας. De Anatomiæ editione, haud exiſtimo typographum ſeriô cogitare, qui in alia ordinanda officina jam totus eſt. Habeo gratias ſingulares de vino Cretico, quo nauſeantem inter Anatomicos labores ſtomachum demulcebo. Vale felicisſime, flos juvenum, & inter ſolidæ doctrinæ robora, annes ſuaviter, ac perennes! Nob. Dn. Thomam Fuiren ex animo ſalvere jubeo. Dedi Patavio XXVI. Decemb. cIↃ IↃC XLII.

Pr. T.

deditisſimus

Joannes Veslingius.

EPISTOLA XXVIII.

De Piſcibus nonnullis lucentibus, & Ductu Pancreatis novo.

THOMÆ BARTHOLINO. Venet.

LAborioſis Te expeditum muneribus gaudeo, mi Bartholine, non quòd honores tantos

tantos Tibi invideam, ſed quod ad conſueta ſcribendi officia ac ſtudia privata Te paratum magis futurum videam. Utinam & ego his ſolutus vinculis amœnioribus vacare poſſem; at aliquantiſper adhuc in turbis hisce mihi deſudandum. Lubens audio Bibliopolam veſtrum Parentis Tui Anatomiam velle recudere: Sed vix credo ipſum aut typorum nitore, aut chartæ præſtantia, aut iconum accurata delineatione ſuperaturum Belgas. Novæ figuræ opus inſigniter commendabunt, modo accuratæ & docta manu elaboratæ. Nil ego momenti alicujus quod mutatione dignum obſervavi. De ſex oſſiculis in ipſa ſutura Lambdoidea à me primum notatis alias monui, & niſi eorum hiſtoriam dudum miſiſſem, hic repeterem. De Dedicatione neſcio quid ſuadeam, niſi placuerit Dn. Cancellario offerre, ſiquidem Roſecrantzius cui parens eam inſcripſit, diem ſuum hic Hafniæ 28 Octobr. placidè obierit, ut is jure quaſi hæreditario ſuccedat. De Piſce ardentibus oculis in Norwegia exiſtente, nihil plane apud Olaum Magnum inveni eo, quem citas, loco, libro nempe 21. cap. 3. Agit quidem ibidem de piſcibus Islandiæ, ſed ne verbulo tangit eum qui ardentibus ſit oculis. Editio mihi eſt Romana

in folio. At libro præcedente, 20. nempe, capite ultimo, ex libro 9. Plinii cap. 61. cujus nomen more ſuo diſſimulat, de Dactylo quædam recitat, quæ ad rem tuam facere videntur. Sed quam Plinius concham, ipſe piſcem vocat. Inſpice locum & non pœnitebit. Concha autem hæc Dactylus dicta, quibusdam ſolen, aliis Onyx ſeu ungvis vocatur, Venetiis cappa longa. In foro veſtro piſcario haud infrequens eſſe ſolet; quocirca an vera ſint quæ Plinius referat, facile experiri poteris. Cauſam ſplendoris Rondeletius, glutinoſum eſſe ejus ſuccum refert, ſiquidem quæ tenacia & veluti glutino compacta ſunt ea lævia, æqualia atq; perpolita eſſe ſolent, atq; ob id relucentia, ut pix, aſphaltum, albumen ovi: cui opinioni etiam ſubſcribit Aldrovandus. Sed præter glutinoſitatem, aliud quid ſubeſſe ſuſpicor, cum ipſum gluten in tenebris non luceat, nec picem aut Aſphaltum lucere unquam animadverterim. Aliud igitur lucis hujus πρῶτον δεικτικὸν eſſe oportet. Reperiuntur etiam in mari Norwagico hi Dactyli, ſed conchæ eorum ſaltim ad me ſunt delatæ, magnæ ſatis. Longitudine dodrantali, craſſitie pollicis in meo extant Muſæo: in quibus

lucis

lucis nihil depræhendi. Poëta à me de Moſe citatus, incertus eſt. Carolus Paſchalius de Coronis lib. 10. c. 4. Drepanium eſſe ſuſpicatur. Novi ductus Pancreatis delineatio mihi gratisſima, miror nulla Lactearum venarum obſervata veſtigia. Quid ſi ductus hic chylum à duodeno forbeat, per lacteas deferendum, à fæcibus purget ut commodius per anguſtas eas vias ad Hepar feratur, receptum verô excrementum demum ad inteſtina amandet, ut vim expultricem ſtimulet & fæces nigricante colore tingat. Monumenta mea ad umbilicum jam perduxit Typographus, in quibus etiam tuam invenies epiſtolam. Eorum exempla lubentisſime vobis transmitterem, ſi ulla daretur commoditas. Neſcio an videris ea quæ de Coccojus inſecto Americano lucem noctu fundente tradit Petrus Martyr decad. 7. cap. 9. in primis Nierenbergius Hiſt. Nat. lib. 13. cap. 3. Quid tibi videtur de cauſa lucis in Noctilucis quam reddit Margarita Philoſophica lib. 10 tract. 2. c. 10? Conſule lib 4. Voſſii de Idololatr. cap. 71. 93. & 94. item 48. Vale Hafniæ pridie Cal. Jan. 1643. quem tibi vobisq; omnibus proſperum ac felicem precor.

T.

Olaus Worm.

EPISTOLA XXIX.

De osſiculis in ſutura lambdoidea.

THOMÆ BARTHOLINO Patavium.

LIbrum tuum de Luce Viventium videndi maximo teneor deſiderio. Omnibus innatum lumen, unde ortum trahat, cur ſe in tam paucis prodat, ſcire geſtit animus. Coccui hiſtoriam eleganter tradidit Mouſettus in Theatro Inſectorum lib. 1. cap. 15. quem ſi conſulueris, invenies quæ ad rem faciant: etiam de liquore ex iis præparato, noctu lucente. Cum Lugduni Batavorum adhuc hæreres & Anatomiæ Parentis editionem meditareris, de osſiculis Lambdoideis me tibi ſcripſiſſe memini; ſed quia, quæ tum exarabam excidiſſe videntur, jam repeto, modo uſus alicujus eſſe poſſint. Anno 1628. cum frequenti auditorum coronæ oſſa ſceleti humani demonſtrarem atq; exponerem; in ipſa ſutura Lamdoidea, oſſicula ſex inveni, quæ utrumq; tabulatum cranii perforabant, à nemine, quod ſciam, ante animadverſa. Diverſiſſima enim ſunt ab iis, in quæ os ipſum quandoq; diſpeſcitur, quod ſutura Lambdoidea circumſcribitur, Triquetra quibusdam dictis. Tria in dextro, totidem in ſiniſtro ejus extant ductu, magnitudine,

tudine, figura & ſitu diſcrepantia. Infimum ad proceſſum mammillarum conſpicitur, medium paulo ſuperius, vix dimidii digiti intervallo, tertium aliquanto longius à ſecundo diſtat. Figura ſunt varia, triquetra, oblonga, ovalia. In ſiniſtro ductu majora omnia apparent, quam in dextro. Maximum unguem pollicis non excedit. In concava cranii ſuperficie diſtincte magis quam in convexa apparent, quocirca ablata calvaria melius obſervantur. Ut omnia ſint clariora iconem addo. A. portio eſt ſuturæ ſagittalis. B. ſutura Lambdoidea. C. ſectio ſerra facta. D. primum os ſiniſtri ductus. E. ſecundum. F. tertium. G. primum dextri ductus. H. ſecundum. I. tertium. K. magnum cranii foramen, per quod medulla in ſpinam deſcendit. LL. Proceſſus mammillares. Diſſimulare interim hic nequeo, in diverſis craneis, tam numero, quam magnitudine & figura, item ſitu variare hæc oſſicula. Dum hæc ſcribo, mihi ad manum quinq; ſunt crania; quorum duo ſuturam ſagittalem per os frontis in naſum usq; protendunt. Horum alterum, quatuor ſaltim iſtorum oſſiculorum oſtentat, atq; ex iis unum in ipſa junctura ſagittalis cum lambdoidea, quo in loco Triquetrum dictum, conſpici ſolet:

ſolet: in altero verò duo ſaltim extant, eaq; in dextro ductu tantum. Verum hæc crania integra erant, ſi calvariam auferre licuiſſet, forſan plura oſtendiſſet interior ſuperficies. Sed cum naturam in oſſibus majoribus, futuris ipſis, & aliis humani corporis partibus variè ludere videamus, quid mirum ſi in hiſce antiqvum obtineat? In monumentis ac ſepulchris majorum noſtrorum licet res variæ reperiantur, ut lib. 1. cap. 7. Monumentorum noſtrorum docuimus, lucernarum tamen perpetuarum nulla prorſus veſtigia. Inter veterum inventa deperdita eas ni fallor, refert Pancirollus, qui de iis ex profeſſo agere videtur. Vale & bono publico feliciter vive. Hafniæ 6. April. 1643.

T.
Olaus Worm D.

EPISTOLA XXX.

De lucis origine, & circulatione nova Liceti.

OLAO WORMIO Hafniam.

GRatiſſima oſſiculorum cranii idea ductu pictoris mihi transmiſſa me & literariam

am Rempublicam ad ulteriorem tui veneration-onem excitabit. Hoc ſolum me angit quod ex priori editione tabellariorum incuria ex-cluſa ſit. Hac tamen obſervatione auctio-rem prodituram, quam meditor, in parte læti-tiæ habebo. Librum meum De Luce Ani-malium Typographorum ſolita oſcitantia moratur. Omnibus innatum lumen, unde trahat ortum, ex ipſa quæſtione eruo, nempe innatum eſſe & à parentum ſemine in nobis transferri conjicio, non ſecus ac animam. Ad ulteriorem originem ſi me quis ducat, in creatione prima ſubſiſtam, qua cum aliorum elementorum mixtura lucem produxit Plaſtes ſimul & mixtorum corporibus inſevit ut pro-pagaretur per generationem. Pauca tamen & ob Naturæ indigentiam, corporibus ita diſperſa, ut in Univerſa cœlorum fabrica per rariorem partium ſegregationem, quæ niſi orbium cœleſtium initar condenſentur & co-eant, non magis in nobis lucent quam in mundo cœlum. Paradoxa videntur, ſed qui-bus omnia ferè explicamus quæ aliis negoti-um faceſſunt. *Licetus* nudius tertius advenit, opus de Circulatione Sangvinis à ſe concin-natum monſtravit, cui non pauca rationum momenta oppoſui. Duplicem enim circulum

ſibi

ſibi imaginatur, in venis unum, alterum in arteriis, utrumq; autem in ſuo vaſe proprium; ſanguinem verò ex dextro in ſiniſtrum ventriculum non per pulmones, nec anaſtomoſin, nec deniq; per ſeptum pervium, ſed per venam Coronariam ferri. Cum Bibliopola Veneto egi, qui nihil magis in votis habet, quam cum noſtris commercia exercere. Publicas res quod attinet, adhuc in dubio ſunt, turbata Italia. Vicinum Ferrarienſium agrum cis Padum Venetus exercitus occupavit, urbiq; ipſi imminet Dux Mutinenſis. Romam meditarer inſtante Autumno ſi per has turbas liceret, quum hic frigeant ſtudia ob ſcholarium petulantiam. Typographi noſtri ferè feriantur. Caprilium tamen de febribus ſecundo prælo ſubjecerunt, & brevi Veslingii noſtri opobalſamum dabunt. Miraculi loco nuper in nundinis galli hujus cornuti cornutum filium oſtentarunt, cujus iconem mitto. Aliàs plura. Vale. Patav. 18. Jun. 1643.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTO-

EPISTOLA XXXI.

De Harveio judicium.

THOMÆ BARTHOLINO Patavium,
MARCUS AURELIUS SEVERINUS S.P.D.

MErcurio conciliatori, Gratiisq; inſpirantibus hodierno die mihi litandum eſt, quemadmodum certè jam lito, quorum munere factum arbitror, Exc. Tuæ venerit in mentem tuis me muneribus ditare, &, ut dicam verius, tua me gratia & benevolentia beare, nam quid indicant porrò nuncupationes? propenſi animi teſtificationes? duplata dona? præterquam tua me dignum amicitia æſtimare, ac re ipſa facere, quod ornamentum, quodve decus à me diu percupitum, atq; ambitum, ſi nunc aſſequor, debeo plurimum humanitati tuæ, debeo καὶ ἐυπχίᾳ meæ nonnihil & amicis, qui mihi Patavii multi & præcipui cum ſint, ipſi fortaſſe tuæ comitati bonam quampiam de me opinionem excitarunt; Ego autem ex quo tempore cum ornatiſſimo Viro Joanne Georgio Volchamero conſuevi Neapoli de te perhonorifice loquente; ſummam de ingenio, præſtantiaq; tua exiſtimationem concepi, quam video nunc comprobari ſcriptis, auſisq; tuis ſanè magnificis; nam quod

majus

majus molimen, quam de luce animantium admiranda argumentum? confirmationem credo plenam, & abſolutam facem adverſus omnem ambiguitatem de refluo ſangvine. Quod ſi eſt, quæſo te, mi Thoma ſuaviſſime, judicium meum quoddam, quod de Harvei monumento feceram ad Virum inclitum ſcribens, à me nunc miſſum legito: quod ipſum ſi videatur Harvejo aut luce dignum, tuis his eximiis ſcriptis adnecte, nimirum optarim & ego videri, qui claritati tuæ ſerviam, ſingulari Viro bene amem: aſtipulari non dicam, cujus judicium quam minimè valeat, in me ipſo ſentio. Cæterum me tuas virtutes colentem amare te oſtende, & cum Harveo noſtro ad Cœlum te tolle. Benè Vale, Neapoli Idibus Aprilis 1643.

EPISTOLA XXXII.

De ſerpentibus ignitis in deſerto.

FORTUNIO LICETO Bononiam.

VIſus nuper libellus Caſtrenſis Veronenſis, me ad interruptum ſcribendi munus impulit, qui & virtutum & beneficiorum memoriâ famæ Tuæ incolumitati invigilo. Quod

res eſt eloquar. Ezechiel Caſtrenſis admirandam hiſtoriam Mulieris Veronenſis ſcintillas ex corpore ejaculantis ſcripto erudito pertexuit. Contra Licetum lib. 1. cap. 6. ibidem urget, ſerpentes in deſerto ignitos confundi non poſſe cum Dracunculo puerorum morbo, quia id cum textu Biblico parum conveniat. Ego ex Plutarcho, Aëtio, Actuario, aliisq; vett. Medicinæ conditoribus viſus mihi ſum videre, minus utrumq; differre quam Caſtrenſis putat, nec ex levi differentiâ diverſitatem morborum colligi. Quæ quidem in laudem Liceti mei in Libello de Luce Animalium prælo vicino, commoda occaſione fuſius deduxi, tuum interea de propria ſententia judicium exſpectans. Præſentium exhibitor Vir Nobiliſſimus conterraneus noſter, Aldrovandini Muſæi aditum Liceto pario facilem ſibi ſpondet. Vale ſeculi decus Latii amor, nosq; perennaturo affectu proſequere. Patav. X. April. 1643.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XXXIII.

De iisdem Responsio.

THOMÆ BARTHOLINO. Patavium.

FORTUNIUS LICETUS, B. A.

LEgi nuper & ego, rogatus ab amico doctisſimo, libellum Ezechielis à Caſtro de Igne lambente: ſcriptorem eruditum, doctum, & modeſtum inveni. Qvi præter cætera, meorum dogmatum, in editis jam pridem voluminibus à me confirmatorum, ut nunnulla collaudat, & pleraq; tanquam è ſuo condo proponit, meo nomine ſuppreſſo; ſic unum illud 3. de ſpontaneo viv. ortu cap. 51. probatum de ſerpentibus ignitis Hebræos in deſerto laceſſentibus ad interitum, ni ſalutem viſu ſerpentis ænei ſibi comparaſſent; quos ego ſerpentes oſtendi genus fuiſſe morbi divinitus immiſſum in eam gentem, ob idoli vitulini cultum nefarium; is inquam autor hujuscemodi ſententiam meam, rationibus, & autoritatibus præſtantium Medicorum veterum & hiſtoricorum à me munitam, jejune ſatis arguere videtur, id ſolum absq; probatione, gratis aſſerens, opinionem Liceti cum textu Biblico parum convenire. Decebat autem eum, qvum Hebræus verè ſit, iſtam con-

convenientiam parvam oſtendere. Sed is ipſe phraſim Moſaicam, & Prophetarum in Bibliis frequentem diſſimulare videtur, dum non conſiderat, in hiſtoria ſacra ſæpiſſime (2. Reg. cap. 24. Ezechiel. 14. 28. Exod. 9.) legi tum à Deo mitti plagas, peſtilentiam, & ulcera ſontibus hominibus, dum in eorum corporibus exoriri facit ejuscemodi morbos: quos divinitus contingere, notavit etiam Hippocrates 1. Progn. auſim dicere, doctus è ſacra pagina; quicquid Galenus aſſerat adverſus antiquiores; tum igniti vocabulum per metaphoram multis attribui, Clypeo fortium, (Habac. 2. Prov. 30. Pſ. 118. v. 140.) ſermoni Dei, eloquio, & ſimilibus. Cæterum quando nullis argumentis meam opinionem urget, ac ſimplici dicto ſuo ſtatuit, eam parum convenire cum textu Biblico, cenſuram iſtam elumbem, nulla ratione fultam, ſilentio neglexi. Gratulor interim Tibi, Reiq; Literariæ, quod Volumen Tuum de Luce Animantium admiranda publici juris efficias. In quo quæ perhonorifica de me referre geſtis, me nunc ad ingentes gratias tibi reddendas impellunt. Vir ille Nobiliſſ. popularis tuus, quem mihi per literas commendaſti, nudius tertius ad me ſub noctem eas pertulit, proximo diluculo

Romam iter habiturus, quare non licuit noctu procurare petitum aditum in Aldrovandi Musæum. Vale, meq; ut facis, ama. Bononiæ XVI. Cal. Maij M DC XLIII.

EPISTOLA XXXIV.

De pustulis lucentibus, & Viperis.

MARCO AURELIO SEVERINO Neapolim.

NOn levi nuper rubore suffundebar, qvum lectis vestris ad me litteris expressa in iis viderem vestigia intimioris erga me affectus, duplici nomine in majus aucti. Hunc antea quidem notum illis exornavit laudibus disertisimus calamus, quæ non nisi vestri similibus debebant accommodari. Nempe tantum, ut video, de nobis spei habes, quantum animi, & ex ingenii tui ubertate tribuis quod tanta amicitiâ dignum videtur. Ego verò meæ tenuitatis mihi conscius gratulor mihi quod affectionis tuæ potius quam judicii veri severitatem sim expertus. Interim quicquid in Bartholino amas, tuæ virtuti & famæ destinabitur. Ne dubites, specimen exhibeo in Opere meo de Luce, cujus ideam in præsenti tabella signavi. Duplici dubio, quo implicabar,

bar, te advocavi ut Oraculum. Enimverò probaturus veſtigia clariſſima lucis nobis inſitæ ad exteriora nonnunquam effuſæ, per partes in corpore reſumpſi tam quæ per naturam inſunt, quam adventitia. Poſterioris generis ſunt effectiones quibus ſplendor ſubinde ab Hippocrate aſſignatur. Quo referendæ ſunt etiam puſtulæ apud Bilbilicum Vatem lib. XI. Epigr. 99. ſive puſtularum lucentium notione Epinyctidas ceperit, ſive roſeolas ſive deniq; quas à cryſtalli ſplendore cryſtallos quidam vocant, id omne ad tuum arbitrium detuli, à quo lumine quid lucentes ſint puſtulæ, diſcere velim. Poſtea ordine ad brutorum ſeriem delapſus in ſerpentium ſplendore igneo ardentiq; parum hæreo. Quos enim ignitos Num. XXI. 6. vocat legislator in pœnam populo immiſſos, de Viperis interpretantur quidam, inter quos Paulus Eberus & Joh. Buſtamantinus, qui juſto volumine reptilia S. S. perſeqvutus eſt, adeoq; ignitos urentesq; non tam igneæ lucentisve naturæ conditione quam ob morſus venenatos. Ego quæ in re obſcura dici poterant, breviter expoſui, donec à Severino fuero edoctus meliora, quæ ſive ex erudito de Viperis opere, demorſos ungues ſapituro, ſive ex literarum commercio ex-

ſpecto. Ludunt enim ſubinde Interpretum verſiones nec ad paucorum licentiam verum metimur. Quippe magno intervallo diſſidet à Vipera Baſiliſcus, illam tamen pro hoc ſubſtituit vulgata verſio Eſaiæ XXX. 6. qvum apud Ebræorum Magiſtros צפע Baſiliſcum non Viperam notet. Cæterum horum enodatio à te dependet, ſicut & ſequentium quæ in re ſimili forte mihi jam occurrunt. De ſingulari carnis viperinæ uſu author eſt Porphyrius l. 1. de Abſtinentiâ, p. m. 36. 37. Fuerunt, inquit, qui viperæ eſu utriusq; oculi deperditam lucem recuperarint. Quin & Crateri Medici familiaris novo & inaudito morbi genere correptus, quo carnes ab oſſibus abſcedebant, cum nullo medicamine juvaretur, appoſitis piſcium vice viperæ carnibus, ut iis veſceretur, poſt uſum autem carne cum oſſibus coaleſcente, priſtinæ ſaluti reſtitutus eſt. Quæ cauſa ſit tantarum virtutum, à nullo, quod ſciam proditum. Ab inſita lucis miſtura deducerem ego, ſi ingenioſo eſſe liceret, quæ viperæ cum homine communis & evidenti macularum varietate elucet, quin ex ipſo candore, lucis æmulo, quo in regionibus noſtris ſeptentrionalibus hoc reptilium genus, ſingulari Alexipharmaci argumento, emicat,

quales

quales & in Germania reperiri cornua albissima variis ramis diffusa testantur nudius tertius apud Capuccinum Saltzburgensem hic à nobis visa. Solinus cap. 27 Basiliſco narrat, ſerpentem esse pæne ad semipedem longitudinis, alba quasi mitrula lineatum caput, nec hominis tantum vel aliorum animantium exitiis datum, sed terræ quoq; ipsius, quam polluit & exurit, &c. Venenatorum autem occultam vim ab aliquali lucis principio provenire in Opere meo de Luce Animantium suspicabar, hincq; cognatam in oculis lucem & reliquo corpore facilè à simili restitutam. Quemadmodum enim à simili juvamur, ita & subinde lædimur, evidenti lucernarum exemplo. Hinc non mirum quod apud Suetonium de Claudio Druso narratur, edicto admonuisse, nihil æquè facere ad viperæ morsum, quam taxi arboris succum. Nam Taxus, authore Dioscoride l. 4. cap. 75. & l. 6. c. 12. pro veneno exitiali non injuria jactatur. Aliud viperarum lucis ignisq; argumentum ex Julio Obsequente eruo, qui seqvuturi Civilis belli omen ex viperis desumpsit. Ita enim in Prodigiis sub Coss. M. Antonio, P. Dolabella: Padus inundavit, & intra ripam refluens, ingentem viperarum vim reliquit, inter

Cæſarem & Antonium civilia bella exorta. Non tantum ab effuſa aqua relictas viperas, ſed & alias ab inundatione illa generatas probat in verſione ſua vulgata Interpres Damianus Maraffi. Armorum autem civilium ſplendorem commodo augurio igneum viperarum genus, Pado Latioq; domeſticum portendebat. Sed hæc aliaq; à veſtra ſcientia dependent, cui eà ſubmitto. Quam de Harvei invento ſcripſiſti cenſuram, opportunæ occaſioni pro bono publico reſervabo, cui te natum poſteri fatebuntur veriores virtutum æſtimatores, nec diſſentit ſeculum quod terimus, tanto jam viro ſuperbum. Vale felicisſimè & nominis tui famam dignisſimis monumentis ulterius extende. Pat. VIII. Maij 1643.

T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XXXV.

De iisdem puſtulis & ſerpentibus

Reſponſio.

THOMÆ BARTHOLINO Patavium,

MARCUS AURELIUS SEVERINUS.

Amice ſuaviſſime:

MIhi quippe talis obverſaris, ad unguem animo, qualis dudum compertus eſt Barto-

Bartholus Germanus frater tuus; quo ſic me Diî benè ament, ſic vos utrosq; bene fortunent; fieri nihil poteſt amabilius. Gentilitius autem, ne dum hic videtur veſter elegans mos, ſed & patrius. Quotquot enim bene auſpicata mea ſors cognoſcere dedit Danos, totidem officioſiſſimos & comiſſimos expertus fui: ubi autem præſtabiles ſexcentos nominare non poſſim, ſelectiſſimi ſatis videntur Rhodii, Veslingii, Chariſii, Bartholini, Fuirenii, de quorum ſingulorum gratia, & neceſſitudine tam multum eſt, quod hodierna die gaudeam, ut ſuperbiam etiam de hac re, lætusq; vitam vivere debeam. Debeo autem immortalem gratiam meo Thomæ, qui ſic me exornat, ſic magnifacit, ut in dubiis & graviſſimis naturæ quæſtionibus conſulat, quo quidem honore, qua æſtimatione quam minimè me dignor ipſe, tam promptiſſime tuis quæſitis ſatisfacio; id eſt reſponſum reddo. Utinam autem ſatisfaciam, præſertim in multis, quibus nunc diſtineor, ocii avocamentis. Quod igitur ad argutiſſimi Poëtæ Martialis attinet locum, lib. XI. Epigr. 99. propoſitum, qui quidem habet;

Non ulcus acre puſtulæve lucentes &c.

Eſt hæc obſcuriſſima planè particula,

eo maximè indicio, quod interpretes ad unum omnes dissimulatam hanc difficultatem, quasi scopulum prætergressi, caverunt attigisse, dignam alioqui quam studiosissime pertractavissent; cui tu, Generose Bartholine, vitio voluisti primus occurri, lucemq; suam in lucidissimo alioquin & admirando monumento tuo, reddi: ac reddidisti profecto, ni fallor, absolutissimè: Verum tamen dedignatus ipse non es pro comitate tua summa, me quoq, quo non erat opus, abundanter huic vestigationi comitem adsciscere: qui tuam facem sequutus obsequio pari non dubitabo Sus Minervam. Consuevcrunt in hominis corpore sublata ad extimas partes bile, quasi per fermentum in panis crudi massa, excitari pustulæ, quas ejusdem succi bilioſi serum complet atq; distendit. Has divino suo penicillo sic depinxit eloquentissimus Fernelius lib. 7. Path. c. 9. Huc pertinent phlyctenæ & phlyctides Græcis nuncupatæ, quæ repente emergunt subflavi humoris copia distentæ, bullarum modo lucidæ atq; his similes, quæ ab aqua fervida vel ab igne ambustis erumpunt, non manifesto tamen dolore graves. His ruptis humor excidit, crustulæq; obdurescunt, dum sanescant. Has constat non nisi

niſi à ferventiſſima bile gigni, quæ ignem viribus ſuis adæquet: ut non idcirco præter rationem illas vulgus ignem ſylveſtrem appellarint. Hæc ille de phlyctenis; quas veſicarum nomine Philippi Ingraſſias opinione complexus eſt Avicenna l. 4. fen. 3. tr. 1. c. XI. & XII. Hæ autem veſicæ ſeu phlyctenæ dictæ, lucentes ſint oportet: quandoquidem διάφανον translucentem veſiculam & διάφανος translucens itemq; fluor occupat, perinde ac vaſculum, & contentus humor concordare geſtiant ἐν τῇ διαφανείᾳ. Hinc eſt porrò, quod Lucidas, ut & Martialis, appellavit Vir Ambianus in modo memorato loco; atq; hinc eſt etiam, quod ex dirupta veſicula effuſum humorem aquam lucidam dictitat vulgus; à quo ipſo ſubinde ampullæ, bullæve iſtæ cryſtalli nominantur; neq; enim aliud cryſtalli ſunt, quam ipſæ phlyctenæ Phil. Ingraſſia judice lib. de Tumor. tract. 1. c. 1. pag. 194. F. per hæc: Præter duas ambas ſpecies (variolas morbillos) & alias duas adinvenire paſſim conſpeximus: quarum alteram noſtri vulgo roſſaniam ſive roſſaliam vocant: Alteram vero cryſtallos, quoniam ſcilicet in hac quædam per univerſum corpus

diſpar-

diſparſæ puſtulæ efflorescunt lupini magnitudine plus minusve albæ & ad inſtar cryſtalli reſplendent, quibus deinde apertis aquoſitas quædam affluere viſa eſt. Et paulò inferius, verum cryſtallos non aliud, quam phlyctænos, bullasve (Avicenna veſicas nuncupat) eſſe opinor, de quibus poſtea ſermo fiet. His Autorum Principum verbis, quid clarius dici queat, mi Thoma, vix invenies. Erunt igitur Martiali phlyctenæ græcorum, vel cryſtalli vulgi puſtulæ lucentes, niſi meus me animus meaq; diſſertatio fallunt. Transeo nunc ad ſerpentes, qui cum igniti Sacro Numerorum lib. 6. vocentur: eſt hæc appellatio, quæ tua de reſciendo penitus epitheto ſedulitatem movit. Erit autem Poëta ſcientiſſimus Maro, qui præſto nobis fuerit ad nodum reſolvendum; qui qua ignea, qua flammantia anguium lumina, qua nitidos iſthoſce vocat ſuis inclytis in monumentis. Aquaticum porro colubrum in 3. Georg. ſic expreſſit:

Exilit in ſiccum & flammantia lumina torquens
Sævit agris, aſperq; ſiti, atq; exterritus æſtu.

Et Æneidos v. 276. ſerpentis oculos ardentes dixit in his:

Qua-

Qualis ſæpe via deprenſus in aggere ſerpens,
Aërea quem obliquum roſa transiit, aut gravis ictu.
Seminecem liquit Saxo, lacerumq; viator
Nec quicquam longo fugiens dat corpore tortus
Parte ferox, ardensq; oculis.

Et Æneidos 2. verſ. 211. ſerpentes Laocoontis ſupplicio immiſſos, oculos tum ardentes, tum igneos, cumulatius dixit per hæc:

Fit ſonitus ſpumante Salo, jamq; arva tenebant;
Ardentesq; oculi ſuffecti ſanguine, & igni;
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Cæterum non oculos ſolum, ſed extima cute tenus, rutilos fecit ſerpentes 3. Georg. 435:

Cum poſitis novus exuviis nitidusq; juventa
Volvitur aut catulos teſtes aut ova relinquens
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore trifulcis.

Et 2. Æneid. 471. iisdem ad unguem verbis, poſt aliquot, quæ ſunt;

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina paſtus

Fri-

Frigida ſubtumidum, quem bruma tegebat;
Nunc poſitis novus exuviis nitidusq; juventa,
Lubrica convaluit ſublato pectore terga.

Sed multo clariſime V. Æneidos 87, tumulum Anchuſæ luſtrantem anguem deſcripſit ad hunc modum:

Cœruleus (cui terga notæ) maculoſus & auro
Squammam incendebat fulgor ceu nubilus arcus
Mille trahit varios adverſo ſole colores.

Ad Poëtam ladde Medicum Principem, qui l. 4. fen. 3. c. 21. Aſpidis ſiccæ vehementis luminis dixit oculos; quem ducem ſeqvutus Arnoldus in l. de Venen. pag. Baſilienſi 1552. Vipera, inquit, ſerpens minimus oculos habens valde luminoſos, igneos alii dixerunt, Vides jam nitentes micantesq; cute & corpore toto ſerpentes, qui ſenectutem recenter exuerint, præſertim ſi ad vernum ſolem apricentur. Porrò novella cutis tenuior, expolitior, lubritior, lenior tum ſuapte natura tum ſolis radiis colluſtrata, non poteſt non illuſtris ac ſplendida eſſe, ut jam liquido ſplendidi lucidiq; pernoſci poſſint angues liberide depoſita. Atq; hæc eſt ratio modusq; mihi, cur fulgidi charactere notandi ſint ſerpentes, Tuum nunc eſt, Eruditiſſime

ditiſſime Bartholine, noſtra hæc qualiacunq; meditatus vel admittere ſi colliment, vel inſuper habere, ſi digna videantur corite cera. Gratum autem impendio feciſti, nec revelatas ulli palati mei delicias ſolertiſſime divinaſti, qui Catalogum divinarum tuarum commentationum communi caſti: quarum argumenta ſingularum ſic admiror, ſic vere ſuſpicio, ut primo quoq; tempore publicas eſſe Deos, hominesq; orem, utinam autem exorem. Perge ad gloriam, mi Bartholine, pergeq; tuis me honoribus ornare, quibus nil optatius, nil glorioſius accidat in vita mihi; ego item deprædicationi tuæ perpetuæ non parcam ullo loco. Bene vale, clariſſimoq; Rhodio me commenda. Neapoli XVII. Kal. Julii ciɔ Iɔc XLIII.

EPISTOLA XXXVI.

De Duplici ſangvinis motu, & numero ventriculorum cordis.

FORTUNIO LICETO Bononiam.

THOMAS BARTHOLINUS, S. P. D.

PRæteriti morbi vim ſingulari Numinis providentia & proprie artis cura jam feliciter ſuperatam, nimium quantum gaudeo. Enim

Enim vero ex ægritudine veſtra non parum dolui, ut ſimilem doloris ſenſum jure amicitiæ videretur mihi impresſiſſe, quod utrumq; pari vehementia vexabat. Sed facilem ejus affectionis ſolutionem ſponte mea augurabar, cui nota antea Liceti & virtus, & ex ea apud ipſos Deos veneratio. Dictante Genio ſciebam pro tua ſalute vota concepiſſe Saluti quotquot literato Orbi favebant. Nec minus Muſarum interfuit & Apollinis, quorum à Te vigor dependet, ut in Orbis ſui duraturum decus dignisſimum magnæ animæ domicilium diutiùs circumferres, quam nobis, qui ſolita libertate quid ad publicum fori noſtri bonum conferas non ad oſtentationem deprædicamus. Quippe parvum hactenus tibi viſum mortalia ſcrutari & labentia ſeculorum veſtigia juſta diligentia perſequi ; parvum &, ut credo, ad tantæ gloriæ culmen minus fuit terrarum ſedibus contineri, nobilisſimi incolæ varia animi corporisq; monſtra ad examen & luſtrum vocaſſe. Ex ſublimiori genio terras prætervectus æternos cælorum gyros ſcrutaris & labentem per diverſa diverſorum ejusdem corporum curſum ea fidelitate explicaſti, ut altioris Naturæ Interpres jure meritisſimo, de cœlo lapſus poſt

Cato-

Catonem quartus exiſtimeris. Æternum hunc nobis augurarer, ſi per Deorum injuriam liceret, & niſi valde fallor ad Divi Julii exemplum, duraturum Orbi noſtro ſidus pari ſplendore ingredieris, cui jam obſcurior terra faſces ſubmittit. Stat terra, & mens noſtra ad exemplum trahitur facili deſidia. Tu mentem altiorem poli motu metiris, & famam ad Eoas occiduosq; cum Phœbo meritis tuis devoto transfers. Infinitus fertur ſuperorum gyrus, quia circularis, & ad perfectum compoſitus. Tua virtus, & fama mortalitatem vicit, nec prius quam homines deſinet, aut clarorum meritorum veneratio. Hoc fato in circulum delapſa ingenii tui ubertas videtur & promptitudo ab Annulorum veterum ductu forſan excitata, quos doctiſſimo Commentario nuperrime a ſitu vindicaſti & ærugine. Imagines ſunt hæ æternitatis, in qua ſubſiſtis; & dum circulo caperis, univerſum reciproca vicisſitudine amplitudinis Tuæ cepiſti, ut non tam mirer quam exultem in hos Circularis ſangvinis motus devolutum, qui doctrinæ vaſtitate omnia complectitur. Duplicem ſangvinis circuitum reciprocum in duplici venarum genere a te deſcribi ſumma intellexi admiratione, forſan ad Univerſi

ductum, quod duplici revolutione in contrarium ducunt Mathematici, subinde & Tertium longo seculorum decursu adjicientes, quem nec in nobis desiderares. Dubium tamen animum versat in eodem loco & tempore motus contrarius, qui mihi ex data opinione exsurgere videtur. Locus seu medium commune est vel vena, vel Arteria: Eodem autem temporis spiramento à partibus redit, quod ab earum superat nutritione, labiturq; novus sangvis ut continuo alat: quem motum & refugit Natura ordinis servantissima, & impediunt valvulæ ad unius tantum transitum, velut ostioli portitores, constitutæ. Certe appareret & ad sensum ligato brachio, nec cordi viciniores venæ inanitæ detumescerent, nec remotiores arteriæ intercepta vinculo via. Sed mihi nunquam præsumo dubia facere, quæ Ingenii Tui felicitas firmavit, aut impugnare, quæ Licetus ad aciem instruxit. Non enim dubitare licet quin hæc, aliaq; quæ novæ conjecturæ opponi possunt ab ingeniosis, ingeniosius ab Auctore operis solvantur. Interim dum legendi spem facto, liceat coram Te ineptire ut erudiar, & sapientiæ Tuæ fonte genii mei tenuitatem temperem. Commodum autem nec Reipubl. literariæ repugnans acci-

accideret, si ex circulo, quem versas, ad centrum momento temporis desilires, ab hoc dependere fertur ille, sicut utrumq; a Liceto. Centrum communi ore cor jactatur, a quo lineæ profluunt, & ad quod reducti gyri reflectuntur. De eo talia passim divulgantur, ut nec rationi fere, nec oculis plane fidamus, adeo diversa docent Ratio, & Auctores; adeo dubia oculorum sensus. Aristotelis summi Naturæ Interpretis nota de ventriculorum cordis numero sententia, notum & vulgare de ea Doctorum nostrorum judicium, nempe errasse bonum virum, &, ut in paucis aliis, deceptum. Et sane quis aliud prima fronte suspicaretur? Constans ejus doctrina de Hist. anim. lib. 1. cap. 17. Sinum triplicem esse omni animantium generi, & ex singulis sua vasa profluere. Verum enim verò sui immemor duorum vasorum ex finibus vulgatis exortorum ubiq; meminit, tertii nusquam: neque verbulum de Tertii istius usu notavit alioquin diligentissimus. Observationem suam communem homini vult, ut ex laudato capite est evidens. At quis tertium unquam, etiam maxime Lynceus, in humano corde vidit? Unde positionem istam Aristotelis non immerito Galenus multiplici ratione convellit

lib. 6. de uſu part. cap. 9. & mox cap. 11. Quod enim in corde Veneti iſtius velaturam facientis obſervavit non ita pridem, & lib. 6. Nobil. Exerc. 1. c. 5. ſcripto ſignavit, Cl. V. Aemylius Pariſanus, communem Naturæ Ordinariæ ſortem transgreditur. Et quamquam ſententiam ſuam videatur Philoſophus reſtrinxiſſe ad animalia ſolum majora lib. 3 de part. cap. 4. tamen neque hic experientiæ conſonat. Obſervavit quidem in bovini ſepto intermedio ſuperna parte ſecundum ejus longitudinem ſinum tertium experientiſſimus noſter Johannes Vallæus, ut ex data ad me Epiſtola Priore innotuit, ſed neque cum Ariſtotelis illo convenit, neque id ſæpius ab ullo obſervatum: Ludit namque Natura, & ſubinde grata varietate individuorum ſortem diſtinguit, ex qua in perpetuam veritatem nemo eam aſſerere audeat. De triplici, ni fallor, Cordis ſinu in ſquamoſa piſcium ſpecie fidem fecit Gulielmus Rondeletius lib. 3. de Piſcib. cap. 14. quæ tamen de ſubſtantiæ varietate verius quam ſinuum numero interpretari poſſumus. Niſi aliud ſuadeat Tua auctoritas, qua Philoſophum vel aſſeres, vel deſtrues, nosq; doceas quæ vix alius ſeculi Doctor perſuadebit. Vale Major Helicone anima, publico-

blicoque bono ſerior cæli incola mortalitatem transgredere. Scripſi Patavii 4. Julii, æræ Chriſtianæ M DC XLIII.

EPISTOLA XXXVII.

De duplici ſanguinis euripo.

THOMÆ BARTHOLINO Patavium,
FORTUNIUS LICETUS.

A Summa benignitate tua, quam oſculor & valetudinis meæ ſenſus, & exiſtimationis meæ cultus eximius ille prodiit, quem in Epiſtola tua legi. Gratias tibi ſummas habeo de mira voluntatis tuæ erga meam incolumitatem propenſione, quam ſcias me pari affectu recolere. Indicium vero tuum de mentis meæ qualicumq; facultate non poſſum non magnificare, lætusq; ſuſcipere, quippe tui ſummum candorem agnoſco, mirificamq; doctrinam: etſi talis eſſe vellem, qui tuis arduis difficultatibus æqvam ſolutionum adhibere poſſem cum integritate diſciplinæ Peripateticæ: Dicam tamen, ut juſſioni tuæ paream, quid mihi nunc in mentem venerit de propoſitis. Ac ſanè pauca de priore quæſito, duplicem ſanguinis euripum per easdem vias eodem temporis libramento, lacelſente; quoniam hac de re

latius videre poteris, quæ Cl. Veslingio noſtro, conſimilia roganti, perſcripſi; nam hujuscemodi ſpartam de circulo ſangvinis Harvejano fuſius apud eum ornare tentavi. Sane cenſeo jugiter tum a dextro ſinu cordis per venam Cavam & ejus ramos influere ſanguinem ad omnes corporis particulas alendas, quoad earum ſubſtantiam craſſiorem, & quod earum nutrica tui ſupereſt exiguum redire per eadem vaſa verſus cor, inde copiam ſpirituum & coloris uberiorem recepturum, neceſſariam ſemini prolifico, in quod verti debet, ubi teſtes hoc ultimi nutrimenti mutati excrementum utile de trunco venæ magnæ, & per hunc a corde, ad ſe attraxerint: tum ſimiliter a ſiniſtro nuncupato ſinu (quem Ariſtoteles medium vocat, ut mox apparebit) per arterias proficiſci ſanguinem ad alendam ſpirituoſam ſubſtantiam implantati calidi, & humidi radicalis particularum omnium: & quod earum nutricatui ſuperabundat, excrementum utile rurſum per easdem arterias recurrere ad eundem ſinum cordis, a quo ſpirituum & caloris influentis eam ubertatem acquirere debet, quæ neceſſaria eſt materiæ ſeminis prolifici, quam teſtes attrahunt per vaſa ſpermatica de trunco aortæ, ac eo mediante de ſinu cordis, unde

talis

talis arteria naſcitur. Qui quidem uterque motus neque vere contrarius eſt, neque fit eodem temporis libramento, neque in eodem proprie loco, neque Naturæ turbat ordinem ullum. Non quidem contrarius eſt, quia non eſt ejusdem omnino mobilis; etenim a corde movetur ſanguis multus a partibus nondum mutatus; recurrit autem ad Cor non idem abſolute ſanguis, verum ejus jam actione partium mutati ſuperabundans excrementum utile, futurum ſemen: Quare ſicuti non eſt vere contrarius motus chyli a ventriculo & inteſtinis ad hepar, in quo mutatur in ſanguinem, motui partiunculæ ſanguinis hujus per easdem venas meſeraicas (ut multi volunt) ad alendum ventriculum & inteſtinorum genus; quia contraria nata ſunt fieri circa idem ſuſceptibile, ut ait Ariſtoteles Cap. de oppoſ. Pd. ita vere contrarius non eſt motus ſanguinis nondum mutati à corde ad partes per venas & arterias, motui excrementi utilis mutati ſanguinis à partibus ad cor per eadem vaſa. Sed uterq; motus iſte vere non fit eodem ſpiramento temporis; nam prius à corde ſanguis totus influit per venas & arterias ad mēbra ſingula, deinde ſanguinis hujus mutati portio recurrit à membris per eadem vaſa ad cor: abſurdum quidem eſſet,

ſanguinis eandem particulam ſimul moveri motibus cõtrariis; at vero ſecuti non eſt inconveniens eodem ſpiramento temporis per eundem aërem medium ſimul de terra leves exhalationes aſcendere, atq; terrenas aduſtiones ad terram deſcendere; ignem de terra ſurſum ſcandere, pluvias ex alto deorſum agi: Sic abſurdum non eſt, ſanguinem non mutatum, à corde ad partes moveri, & antea mutati excrementum à partibus ad cor ferri per easdem vias. Præterea neq; motus iſte reciprocus proprie fit in eodem loco; quia quum locus æqualis omnino ſit locato corpori, locus idem duo corpora non patitur: ſed in communi loco plures eſſe poſſunt partes, per quarum unam unum mobile feratur, per aliam aliud ad oppoſitos terminos: ut enim vena meſeraica locus eſt communis tum chylo ab inteſtinis ad hepar, tum ſanguini ab hepate ad inteſtina (de multorum ſententia, quam ſuo loco poſtea conſiderabimus) jugiterq; motus uterq; utriusq; mobilis in eadem vena fit: ita ſane nullo negotio eadem vena cava, eademq; arteria communis locus eſt, per quem aſſidue fluit à corde ſanguis ad partes alendas, & ſimul excrementum mutati ſanguinis à partibus ad cor recurrit. Neq; demum

hujusmodi motus reciprocus ordinem ullum Naturæ turbat, quia Naturæ ordinem non turbat viris doctis consimilis motus reciprocus chyli & sanguinis in venis meseraicis: & revera si non perturbat ordinem Naturæ motus circularis assiduus in magno mundo notatus ab Aristotele 2. de gen. t. 59. 68. 69. 70. & 1. meteo. su. 3. c. 1. vaporum de centro, sive de terra sursum ascendentium in sublimi, ubi frigiditate aëris mutantur in aquam, quæ deorsum iterum per eandem viam descendit ad terram universi centrum: neq; turbabit ordinem naturæ jugis iste motus reciprocus in microcosmo sanguinis de corde, veluti de centro fluentis ad partes omnes per utrumq; vasorum genus ad eas alendas, & ibi mutatus in materiam futuri seminis prolifici per eadem vasa recurrens ad cor, veluti ad microcosmi centrum. Nec istiusmodi circulationem impediunt valvulæ tanquam ostioli portitores in venis constitutæ, tum quia non in omnibus venis valvulæ sunt, ubi fit sanguinis ista reciprocatio, sed in artubus & in corde tantum: tum quia ubi sunt, non ita clauduntur exacte; quin per aliquas rimas fluxui sanguinis adium præbeant, ut adnotat 6. de usu par. c. 10. 11. Galenus, & observare licet in analo-

gis valvis fluvii Medoaci, quæ tantum impediunt aquarum velociorem motum, & nimium fluxum, retardantes, non prohibentes; nam Hippocrati de corde, venæ de corde promanantes fluminibus de fonte ſcaturientibus comparantur: tum quia pro partium exigentia valvulæ naturali motu modo clauduntur, modo reducuntur, ut pylorus in fundo ſtomachi modo clauditur ante chylificationem, modo recluditur ea peracta fæcum & chyli exitui ad inteſtina. Deniq; vero ligato brachio, cordi viciniores venæ non ſemper inanitæ detumeſcunt, ut ſæpius obſervavi, vel in meipſo; ſi quando vero tale quid contingit, nil mirum eſt, quia cordis ventriculus dexter de proximis venis ſanguinem haurit, quem per coronariam refundat in ſiniſtrum appellatum. Arteriæ vero remotiores à corde, intercepta vinculo via detumeſcere conſpiciuntur inanitæ; quod ſanguinem tribuunt nutritioni ſpiritus in implantati ſolidarum partium nec ſubinde novum hauriunt, quo repleantur, nam qui recurrit à partibus ad feminis prolifici materiam in arterias, tantulus eſt, quo non poſſunt illæ repleri, tumereq; ut antea. Verum hac de quæſtione conſulas velim, quæ latius apud Clariſſimum Veslingi-

um

um noſtrum diſſerui. Nunc ad aliam tuam de numero ventriculorum cordis inter Ariſtotelem & Galenum potiſſime controverſo deveniamus. Qua quidem in contemplatione primùm afferenda ſunt, & diligenter expendenda loca ſingula, in quibus Ariſtoteles agit de propoſito, ut ejus mente plene perſpecta, de illius genuina ſententia rectum judicium ferre valeamus, eamq; vel abjicere, ſi veritati conſentire non videatur, vel accipere, atq; ſartam tectam tueri, ſi veritatem in ſe contineat.

Perdifficilem & arduam ſane quæſtionem aggredimur, de numero ventriculorum cordis in animalium quoq; genere; quam paſſim tractant, ſed breviter expediunt Medici, quippe qui cenſent in ea nihil difficultatis haberi, cuncta ſenſu metientes, vel ea quæ ſenſus aciem ſubterfugiunt, autopſia ſenſuq; dijudicare, determinareq; volentes, non ita fortaſſe ſano conſilio: Et profecto nihil eſt, in quo magis cum Galeno Medici putent de Ariſtotele triumphare, quam dum de corde fermo fit, atq; ſpeciatim de cordis ventriculis, quos Ariſtoteles aſſerit eſſe tres, at in minutiſſimis animalibus vix unum conſpici; ſed in non ita puſillis geminos apparere, in majo-

majoribus aperte cerni tres amplitudine, situq; distinctos: Galenus in magnis æque ac in parvis animalibus duos cor habere semper ventriculos fatetur, ac tantum non irridet Aristotelem. Ceterum si Philosophi dicta diligentius considerentur, facile veritati consona videbuntur, & à Galeno non recte culpata. Litem istam componere nititur Avicennas l. 3. f. 2. tr. 1. c. 1. inquiens Aristotelem pro ventriculo tertio, qui medius inter dextrum & siniſtrum habeatur, accepisse cavitates à Galeno quoq; notatas in septo dirimente sinum dextrum à siniſtro; quod non accipimus tum quia cavitates illæ multæ sint, non una: tum quia cavitates illæ multo sint angustiores quam siniſter ventriculus, quo medium Aristoteles vult esse satis I. hist. c. 17. ampliorem: tum quia de ventriculo medio vult 3. hist. c. 3. Aristoteles aortam oriri, quæ nullo pacto de septo nascitur. Præceptori annot. in Avic. loc. cit. Cl. Costæo placuit, Aristotelicum ventriculum in corde medium esse partem ventriculi dextri ad lævum inclinantem. Sed ista pars nec est, unde nascitur aorta; nec medium situm habet inter dextrum & siniſtrum ventriculum; at siniſtrum appellatum medium cingit ut & dexter.

Non

on defuere, quibus in ſepto quandoq; ɔectatus fuerit ſinus amplus æquans indicis ligiti magnitudinem. Verum hoc raro ſpec-atur; Ariſtoteles autem in omni corde tres ponit ventriculos. Age dicta Philoſophi diligenter conſideremus. Ait ergo primum 1. hiſt. c. 17. & mox. & inferius accurate magis 3. hiſt. c. 3. Ex quibus apparet, Ariſtoteli ventriculum cordis medium appellari eum, à quo naſcitur aorta, & arteria venoſa, quæ arteria eſt, venæ formam habens: adeoq; ſiniſtrum ventriculum Philoſopho dici particulam illam, ſeu brevem appendicem, quæ vergens ad ſiniſtram partem cordis, jungitur cum dextro ſinu, & cum eo veluti falcatam lunam efficit, intra cujus cornua medius ventriculus habeatur, qui dicitur à Galeno ſiniſter. Quam ſententiam fuiſſe Ariſtotelis genuinam, nemo ante me poſuit, quantum ego viderim, præter unum Galenum; cujus, poſtquam iſta ſcripſeram, hujusmodi verba legere contigit in libro de venarum arteriarumq; diſſectione: cap. 9. Adjungit alia Philoſophus agens de conſpicuis ventriculis cordis, 3. de par. c. 4. Quæ ſic interpretabere, ut velit Ariſtoteles in magnis animalibus cor habere tres ventriculos ſenſui con-

conſpicuos: in minoribus duos tantum, dextrum ſcilicet, atq; medium, ſiniſtro propter exilitatem inadſpectabili; ſed in minutiſſimis unicum, dextrum videlicet, aliis duobus ob exiguitatem ſenſui penitus occultis. Nullumq; reperiri cor animalis absq; ſinu prorſus, quod eſſe debeat conceptaculum ſangvinis primi, tum quo ſangvineæ partes omnes primo conſtituuntur, tum quo conſtitutæ primo nutriuntur. Sed revera licet inconſpicui, plures tamen uno debent in corde ventriculi ſimpliciter eſſe; quoniam à corde duæ principales venæ ſangvinem deducant in ſuos ramos pluriſicatæ ad univerſas corporis partes alendas; quarum una cava nuncupata de ventriculo dextro ſangvinem craſſiorem ſumit, afferrq; nutriendis omnibus membris ſolidis; altera minor, aorta nuncupata, de medio ventriculo ſangvinem puriorem perferat ad enutriendam ſpirituoſam ſubſtantiam implantati calidi, & humidi radicalis partium ſingularum, diverſi vero ſanguinis, quales ſunt aortæ, ac venæ cavæ, diſtincta conceptacula debent eſſe, proindeque diſtincti ventriculi cordis: qui ſolum in magnis animalibus conſpicui ſunt ob cordis amplitudinem. Sed tamen melius eſt aſſerere, præter

duos

s majores, dextrum ſcilicet, atq; medium
triculum, qui ſunt principia venarum prin-
lium, cavæ nimirum, & aortæ, dari ter-
1, quem ſiniſtrum appellamus, etſi tertius
ſiniſter omnium minimus in magnis tan-
animalibus conſpicuus habeatur, & à
tro diſcretus non ſit omnino dirimente
o, ſed fere ſolo ſitu ad lævam partem cor-
inclinatus; quo nomine viſui dicitur unum
commune principium venæ cavæ, venæq;
rioſæ cum dextro; quare vena magna
tur habere unum commune principium
dextro maximo, ſiniſtroq; minimo ſinu
it in unam cavitatem coeuntibus, unde
gvinem haurit pro toto corpore vena ca-
qvum aorta principium impar habeat,
lium ventriculum: qui vulgo Medicis di-
r ſiniſter. Dexter autem ventriculus
nium amplisſimus pro capacitate ſua plu-
um ſanguinis continet, & ideo calidiſſi-
n, etenim caliditas eſt corporea qualitas,
in majori ſubjecto major eſt; quo nam-
nomine pueri calidiores eſſe juvenibus
ntur, quia in majori copia radicalis hu-
i majorem ubertatem caloris obtinent;
uvenes æſtuoſiori calore polleant; eadem
e ratione ventriculus dexter cordis omni-

um

um amplisſimus in ubertate majori ſanguinis plus obtinet caloris, quam alii ſinus, qui prout anguſtiores exiſtunt, ideo pauciori ſanguine repleti minorem calorem habere dicuntur. Quare ſiniſter ventriculus, qui Ariſtoteli eſt appendicula dextri ad lævam partem cordis extenſa, ſanguinem admodum paucum in ſe continet, exiguumq; propterea calorem; unde cómparatione ad alios ventriculos majores frigidiſſimum ſanguinem continere ſtatuitur. Medius autem inter hos ventriculus, ex quo naſcitur aorta, mediocrem ſanguinis copiam habens in ſe, mediocriter calidus eadem ratione dicitur; continet autem ſanguinem puriorem, ut puta ulteriori coctione magis elaboratum; & qvum amplius non recipiat novam concoctionem; ideo ſanguis in medio ventriculo coctus quieſcere conſtituitur apte ab alteratione nova in corde ſuſcipienda, qvum ſatis purus ſit, & aptus alendæ ſubſtantiæ ſpirituoſæ particularum omnium. Neq; vero, quod maximus ventriculus in corde ſemicirculari figura Lunæ creſcentis appendiculam ſui ad lævam cordis partem inclinatam habeat nullo à ſummo ad imum ſepto ſolido diſtinctam, ſed fere ſolo ſitu, ideo cenſendus eſt unicus cum Galeno, & Medicis

contra

ıtra Philoſophum; tum quia duo maria o ſitu diſcreta, nullo medio ſepto diſtincta te dicimus oceanum, & mediterraneum; in mediterraneo pelagus orientale, atque cidentale: tum quia ſi Medicis licet in erebro tres, aut quatuor ventriculos agnoere, quia ſinus varii quapiam in parte nullo pto corporeo dirimuntur, ſed ſolum ſitus & oci diverſitate; quid aliquid ſimile non liceat ıriſtoteli cognoſcere in corde? id quidem acile patebit ſi cor per transverſum diſſecueis, in quo conſpicies ventriculum, à quo naıcitur aorta, medium ſitum retinere inter cornua ſemilunaris ampliſſimi, cujus portiuncula ſiniſtrum cordis latus occupare videtur, qvum ejusdem ſinus amplitudo maxima dextram cordis regionem teneat. Et revera Valverdii l. 4. c. 4. notatu, quamvis in cerebro ventriculus dexter à ſiniſtro quapiam in parte diſpeſcatur intermedio ſepto corporeo, tamen in eodem viſcere medius ventriculus tertius ponitur, qui nullo ſepto corporeo, ſed ſolo ſitu, locove diſtingvitur à dextro, & à ſiniſtro, qui coeunt in unico illo medio, nec ipſi eo loci diſcreti ullo ſepto corporeo; ſiquidem tertius iſte mediusq; cerebri ventriculus eſt communis dextri ſiniſtriq; cavitas conjungens

continuansque dextrum cum ſiniſtro procul ab omni diſcrimine ſepti; At vero quid Valuerdium memoro? Galenus ipſemet duos priores ventriculos cerebri tandem in unum alium terminari ſcribit ſolo ſitu, locique poſitione diremptum ab eis, non ullo penitus interpoſito ſepto: ſicut ſcribit 8. de uſ. par. cap. 11. Perperam igitur 6. de uſ. Par. c. 9. antea Galenus accuſavit Ariſtot. qui majoribus animalibus l. 3. de part. c. 4. tres ventriculos dederit, minoribus tantummodo duos, etenim qui dexter unus eſt Galeno, geminus eſt Ariſt. nempe ſiniſter dextro conjunctus ad lævam cordis partem pertingens, & inclinans; quæ quidem inclinatio perſpicua ſatis eſt in majoribus animalibus, ob cordis amplitudinem; aſt in minoribus ob viſceris exilitatem nulla fere viſui percipitur, ac pro nulla cenſetur. Et revera cavitas amplisſima dextram cordis regionem tendens, viſcusq; veluti cingens, figura creſcentis Lunæ ſemicirculum æmulatur; cujus tamen exigua portio cuſpidem terminans alterius cornu, cordis ad partem ſiniſtram terminatur; quam à ſitu propterea nuncupat Ariſtoteles tertium omnium ventriculorum minimum, atq; ſiniſtrum; ut à ſitu pariter medium vocat, unde

naſci-

ſcitur aorta, ventriculum, quem Galenus
cit eſſe ſiniſtrum, quia voluit in corde ven-
culos diſtingui ſepto; quod tamen non
ixit eſſe neceſſarium diſcretioni ventriculo-
m in cerebro; ſed ut Ariſtoteli de more
ntradiceret, ſibimet ipſi contradicere non
t veritus, nunc aperte ventriculis cordis ne-
ns, quod alibi ventriculis cerebri conces-
: in eodem numeri diſcretionisq; propoſito.
eterum ſi diligenter inſpexeris dextri voca-
ventriculi baſim, aperte comperies ab imo
ordis paululum extolli breve quoddam ſe-
tum usq; ad quandam altitudinem, quo dis-
eſcitur ampliſſima cavitas illa in dextrum &
niſtrum ventriculum: etſi ſeptum id non ex-
ollatur ad ſummum cordis apicem ab ima
aſi ſurgens; nam ad brevem altitudinem ex-
ollitur. Sed jam videamus argumenta, qui-
us Tu V. Cl. cum Galeno Ariſtotelis placi-
im urges de triplici cordis ventriculo. Con-
edimus quidem Tibi, conſtantem eſſe doc-
inam Ariſtotelis de triplici ſinu cordis in
mni animantium genere, non ſolum in lo-
o abs te citato, 1. hiſt. c. 17. ſed etiam lucu-
ntius alibi, 3. hiſt. c. 3. ut viſum eſt: ſed
egamus primo, dixiſſe Magiſtrum, ex ſin-
ulis ventriculis ſua vaſa profluere; nam ex

medio deducit ibid. & 3. de par. c. 4. aortam, ex dextro vero atq; ſiniſtro, tanquam ex communi principio (quippe nullo ſepto integre penitus dirimuntur) venam majorem, quæ cava dicitur. Dum vero ſcribit, 3. hiſt. c. 3. omnes ventriculos ad pulmonem ſpectare foramine perpetuo, ſignificat arteriam venoſam, quæ de medio ſinu fertur in pulmones; & venam arterioſam, quæ de ſiniſtro pariter atq; dextro, tanquam de communi principio, fertur itidem in pulmonum ſubſtantiam: ait autem omnes hoſce meatus ob exiguitatem latere, quia ramuli vaſorum hujusmodi tenuiſſimi deliteſcunt in ſubſtantia pulmonis; at ſolum ſenſui conſpicuus eſt eorum caudex unus, à quo multiplices illi derivantur. Niſi etiam dicamus ea verba potius eſſe ſumenda de ſinibus cordis, ibidem 3. hiſtor. cap. 3. *omnes ſinus ad pulmonem foramine ſpectant perpetuo* (nimirum medius arteria venoſa, quam ad pulmones mittit continuato ductu; & ſiniſter dextro conjunctus, ac ſolo fere ſitu diſcretus, arterioſa vena, qvum itidem ad pulmonem emittit) *ſed propter exiguitatem meatuum* in exiguis animalibus hi ſinus latent, *præterquam in uno*; latent enim ſiniſter, ac medius; at unus dexter ob amplitudi-

idinem ſenſui ſemper apparet. Similiter in-
lligenda ſunt, quæ prius dixerat, 1. hiſt. c. 17.
nnes cordis ſinus *ad pulmonem foraminibus per-*
i redduntur (omnes inquit non ſingulos) *quæ*
s in uno tantum perſpicua; nimirum ſemper in
nu dextro, qui ob amplitudinem non latet
nquam in ullo animali. *Inferius vero à nexu ſuo,*
aximo ſinu venæ conjungitur majori, ad quam
ctes etiam ſunt; quia vena cava dextro, non
niſtro ventriculo proprie jungitur. *Sinu au-*
m medio aortæ annexum eſt. Neq; concedimus
riſtotelem nullibi meminiſſe uſus tertii ſeu
nus, ſeu vaſis; nam ſatis innuit uſum tertii
nus, dum eum continere ſangvinem frigi-
iſſimum ait, quo temperetur calidiſſimus in
extro ſibi continuo contentus: Uſum vero
aſis aperit aſſerens à corde per venas ſangvi-
em ad alias partes mitti, adeoq; per tertium
as, quod eſt arteria venoſa, & arterioſa ve-
a, ſangvinem ad alendum pulmonem defe-
:ns. Negamus deinde Philoſophum imme-
iorem ſui, locis aliis ubiq; duorum vaſorum
: finibus vulgatis exortorum meminiſſe, de
rtii nusquam, neq; de tertii vaſis uſu verbu-
m notaſſe; nam ubique meminit aortæ,
:næq; cavæ, dum agit de vaſis, à corde per
iverſum corpus ingredientibus, tertii vero

meminit hic ſolum, dum de vaſe à corde in pulmones diducto ſermonem agit; quod geminum eſt, arteria venoſa, & arterioſa vena, de quibus ſub unius nomine peragit, quod ad unum pulmonem terminatur: de vena cava, & arteria aorta, ſub numero multitudinis agit ſemper, quod ad plures, omnesve corporis partes terminantur, nedum quod à duplici fonte cordis enaſcuntur. Concedimus etiam, Ariſtotelem obſervationem ſuam terni ſinus in hominis corde communem eſſe velle; negamus neminem unquam in humano corde tertium vidiſſe ſinum; etenim qui tertium & quartum in humano cerebro ſinum viderunt, à dextro ſiniſtroq; ſola poſitione ſitus, nec ullo corporeo ſepto diſcretum, Anatomici paſſim omnes cum Galeno, licet acie lyncea non ſint, iidem cum Ariſtotele videre potuerunt in humano corde tertium ſinum, qui dextri maximi parvà eſt appendix ad lævam cordis partem vergens, una ſitus poſitione, nullo integro, ſed exiguo ſurgente potius quam intermedio ſepto corporeo diſterminata à ſinu dextro. Nec tertium ſinum voluit Ariſtoteles, quem præter ordinarium Naturæ curſum aliquando conſpexerunt in ſepto diligentes Anatomici, ſed quem ſemper Natura poſuit in apice ſemicirculi prope baſim dextri maximi ad

lævam

vam cordis partem vergente. Neq; enim ſu-
n ſententiam de tertio ventriculo reſtrinxit
riſtoteles abſolute ad animalia ſolum majora,
ponitur; ſed omnibus animalibus tres cordis
us aſſignavit, ſive magna, ſive parva ſint, ut
re conſtat ex allatis antea 1. hiſt. c. 17. 3. hiſt.
;. 3. de part. c. 4. locis; at ſolum tres ob mag-
udinem ſenſui conſpicuos eſſe conſtituit in
ignis animalibus, in parvis duos tantum vi-
ri, tertio propter exilitatem ſenſus aciem ſu b-
fugiente, in minimis ob eandem cauſam u-
:um dextrum apparere, duobus aliis oculo
nitus occultis. Neq; quod ob exiguitatem
et, ideo non eſſe nemo recte dixerit: nam
multi cæci meatus in humano corpore ſunt,
os vel ipſe Galenus 6. uſ. Part. c. 10. inviſi-
es eſſe fatetur. Cujus propterea rationes
ntra tertium ſinum cordis ab Ariſtotele pro-
ſitum minus momenti habent, quam prima
nte continere videantur; etenim ad pri-
m. 6. de uſ. part. c. 9. concedentes, quibus
malium pulmones inſunt, iis dextrum ineſſe
:dis ventriculum: negamus ideo non omni-
; animalibus eundem eſſe numerum ventri-
orum cordis: etenim dexter ventriculus
1 eſt ob pulmones at ob venæ cavæ de-
tionem ad omnes corporis partes alendas,

ut ſiniſter eſt, ſive medius Ariſtotelis ob arteriæ aortæ perductionem ad ſingula membra ſpirituoſo ſanguine reficienda: ventriculi ſiquidem cordis Hippocrati de cord. ſunt fontes humanæ naturæ, adeoq; Ariſtoteli conceptacula 3. de part. an. cap. 5. prima ſanguinis per univerſum corporis habitum derivandi per venas & arterias, veluti per flumina, quibus totum corpus irrigatur; fontes autem ſunt gratia fluminum, non in alium finem inſtituti: quare ſinus dexter cordis eſt gratia venæ magnæ ſanguinem ex eo deducentis in univerſum corpus, non gratia pulmonum. Sed pulmonum gratia eſt arterioſa vena ſimul & arteria venoſa, quibus alitur pulmo, & cor in animalibus reſpirationem habentibus refrigeratur. Quare pulmone carentia carent arterioſa vena, & arteria venoſa, non autem dextro ſinu cordis; qvum vena cava non careant, cujus deductio eſt ab eo ventriculo dextro. Quin & multi piſces voce, pulmoneq; carentes, in corde plures habent ventriculos; unde dexter non eſt gratia vocis, & pulmonum. Addimus, ut in quibusdam animalibus, perfectioribus nempe, ſexus diſtinctus eſt maris & feminæ, ſed in aliis imperfectioribus ſexus indiſtinctus eſt, uterq; tamen ineſt;

ut

ut eſt in plantis; ita cunctorum animalium corda tres habent ſinus ſed alia diſtinctos, alia viſui non diſtinctos, quorum dexter eſt ſiniſtro conjunctus, unde prodit vena cava, medius unde arteria aorta; quæ vaſa ſunt in omnibus animalibus habentibus cor, & ſanguinem. Ad ſecundum concedentes, eandem cordis fabricationem habere bovem, & equum, qui maximi ſunt, & minimum paſſerculum: negamus Ariſtotelem proprie ſimpliciterq; definiviſſe numerum ventriculorum cordis ad magnitudinem corporis, & parvitatem, multitudinem eorum referendo. Siquidem apertiſſime conſtituit 3. hiſt. c. 3. omnium animalium corda, tam majorum, quam minorum, tres habere ſinus; at in majoribus hoſce ventriculos omnes aſpici viſu; ſed in minoribus minimum omnium, qui ſiniſter eſt, oculis obliterari; ſolum duos inſpici poſſe majores; in minimis autem animalibus viſui non apparere niſi dextrum unicum omnium ampliſſimum, verba Magiſtri clara ſunt, hic repetenda: habent intra ſe corda omnia ſinum triplicem, ſed magnitudine varia: minutiſſimorum enim animalium ſinus arctiores ſunt, ita ut unus, qui amplior eſt, vix conſpici poſſit; reliqui ſenſum effugiant: medi-

ocrium animalium ſecundus etiam conſpicuus eſt: maximorum perſpici omnes poſſunt. Quando vero alia ſcribit alibi, 3. de par. c. 4. non de ventriculis abſolute tractat, ut Galenus opinatur, ſed de ſinibus viſui conſpicuis qui tres in corde magnorum animalium habentur, duo ſpectantur in minoribus, unus tantum in exilimis. Ita ſane viſus in corde bovis, & equi conſpicit appendiculam dextri ventriculi ad lævum cordis latus attinentem; exigua ſepti parte diſtinctam: quam obſervare non poteſt in corde paſſerculi; in quo tamen ſinum medium conſpicit, è quo naſcitur aorta; ſed in minutiſſimi animalis corde non poteſt viſus agnoſcere niſi ſinum dextrum ceteris ampliorem duobus aliis ob exiguitatem non apparentibus, in corde tamen exiſtentibus è quo naſcitur aorta. Ad tertiam concedentes, Naturam non facere diverſas, aut immutare inſtrumentorum formas pro corporis magnitudine, aut parvitate: ſed in ipſa conſtructione propoſitam habere ſibi ceu ſcopum, actionis varietatem: obſervamus, quod negare non poteſt Galenus, Naturam pro corporis magnitudine, aut parvitate, facere diverſas, & immutare inſtrumentorum moles, ac magnitudines: adeoq;

ſubji-

ſubjicimus, quod etiam Galenus 6. d. uſ. Part. c. 10. non diffitetur, meatus, atq; ſinus magnos eſſe conſpicuos, mediocres itidem non omnino latere ſenſum, ſed exilimos eſſe cæcos, & inconſpicuos; unde recte ſcribit Ariſtoteles, in majoribus animalibus tres eſſe conſpicuos ſinus cordis, in minoribus duos, in minimis unicum, qui ceteris amplior eſſe ſolet. Ad quartam concedentes, utilitatem vocis in piſcibus plurimis, quibus frigidius eſt temperamentum, eſſe nullam, ut qui degant in aqua ſemper, nec uſum ſpirationis; quæ duo ſunt in avibus, & animalibus greſſilibus: negamus piſcibus hiſce nullam eſſe dextri ventriculi cordis utilitatem: Nam & Rondeletius diligentiſſimus obſervator naturæ piſcium, tres in eorum corde ſinus oculata fide teſtatur, adeoq; dextrum; quos quidem ſinus ad varietatem ſubſtantiæ ſolidæ referre, nimium magna petitio mihi videtur. Et quum piſces cor habentes, alantur ſangvine more ceterorum animalium ſangvineorum; ut in aliis cor per venam cavam è ſuo dextro ſinu ſubminiſtrat ſolidiori ſubſtantiæ partium ultimum alimentum, & per aortam arteriam ex alio ventriculo ſuggerit implanato ſpiritui membrorum itidem ultimum alimentum te-

nujus:

nujus: ita ſane piſcibus ineſſe debet dexter ventriculus, è quo vena cava craſſiorem ſangvinem deferat ad alendas partes ſolidiores. Galeno vero venam cavam ex hepate, non ex corde naſci, negat omnis Peripateticus. Qua de re nos latius in propria quæſtione tractavimus, quam in eo opere videre poteris. Hæc ſunt, Vir Clariſſime quæ tibi reſcriberem in præſentia reſpondens ad tua quæſita. Vale & me ama. Dabam Patavii XIII. Julii M. DC. XLIII.

Impreſſ. Utin. 1646.

EPISTOLA XXXVIII.

De circulatione dubia, & cornuto gallo.

THOMÆ BARTHOLINO. Patavium.

PRobe curatas ultimas meas gaudeo, in primis quod obſervata à me in ſutura lambdoidea oſſicula non diſplicuerint. Anxiè librum tuum de Luce Animantium exſpectamus. Quas ponis hypotheſes licet concedamus, reſtat nihilominus adhuc nodus, cur quædam animalia luceant, quædam minus, quid illis conceſſerit natura quod his negavit, etiam in ejusdem ſpeciei individius. Hoc eſt,

cur

cur inter omnes carnes agninas, quas in macello Monſpelienſi vidiſti, unica illa ſolum relucebat. In eo negotii cardo verti videtur, ut oſtendantur cauſæ quæ faciant ingenitam lucem magis lucere in uno, quam alio. Sed hæc omnia à Te expedita arbitror. Eruditiſſimum Licetum controverſiam de ſanguinis Circulatione, ſatis, ut mihi quidem videtur adhuc dubiam, eximio ingenii ſui acumine excuſſiſſe, lubens audio. Procul dubio ſolidi quid in quo animus acquieſcet, exhibebit. Ego hujus negotii deciſionem ex Anatomia & *αὐτοψία* pendere arbitror. Mihi, quos hic olim ventilandos propoſui ſcrupulos nondum exemerunt Harvæus aut Walæus. Cur quæſo Natura operoſior fuiſſet in arteriarum quam venarum ſtructura, ſi eundem humorem continere debuiſſent? Cur per plura id præſtitiſſet, quod per pauciora potuiſſet? Cur cum arteria ſecatur id non ſine vitæ fiat periculo, venæ verò impune aperiuntur, ſi idem ſanguis in utrisq; ? Nonne ocularis demonſtratio docet ſanguinem in arteriis contentum ab eo qui in venis conſiſtit, differre ſubſtantia, colore, ſubtilitate omnibusq; proprietatibus? perpende quæſo an ſanguis ab arteriis in venas

nas ferri poſſit, ſine comite ſpiritu vitali, qui illo multo ſubtilior, mobilior & ad penetrandum aptior. Sed nolo hanc controverſiam meam facere. Has omnes difficultates vitare videtur Liceti ſententia, quæ eo quoq; futura plauſibilior, ſi ad rationes firmas acceſſerit ἀυτοψία & obſervationes accuratæ. Pro icone Galli cornuti gratias ago maximas, ſed arte & mangonio talem redditum ſuſpicor. Noſti mulierculas noſtras, cum caſtrando ex gallis capones faciunt, criſtam amputare, ac in ejus locum calcaria ejusdem avis ſubſtituere, quæ coaleſcunt, creſcunt, & in cornuum viſendam formam augentur. Hoc hic factum mihi perſuadeo. Celeberrimum Licetum, Rhodium noſtrum, fratres & conſobrinos viciſſim meo nomine officioſe ſaluta, ut & Bordingium, de illorum ad nos reditu per occaſionem certiorem me redde. Sed ingemino iterum iterumq; tritum illud Tullii: Valetudinem tuam cura diligenter. Hafniæ 7. Julii 1643.

T.

Olaus Worm.

EPISTO-

EPISTOLA XXXIX.

Dubia de luce & circulatione ſoluta.

OLAO WORMIO Hafniam.

DUbia eruditiſſima ſunt quæ officioſis literis & auro contra æſtimandis annotaſti contra lucem meam, & circulationem Harveanam, quæ tacitus magis venerabor, quam operoſe contra ſtrepam. Tua enim authoritas mihi pro ratione eſt. Eo tamen es candore, ut ægrè non feras dubitantes, quum etiam olitorem non faſtidias oportuna loquutum. Plerasq; difficultates expedivi in lucente libro. Cur autem ingenita lux magis ſubinde luceat in uno animali, quam alio, variæ eſſe poſſunt cauſæ, vel ratione ſubjecti vel cauſarum externarum vel ipſius lucis connatæ. Ratione ſubjecti, ſi compactius ſit corpus, lucemq; comprimat, & putredini non ita obnoxium, qua laxatur corpus ut luci egredienti pateat aditus. Cauſæ externæ quoq; promovent ſplendoris manifeſtationem, ſi aëris ea ſit diſpoſitio, ut facile reſolvatur corpus. Ita hoc veris tempore Monſpelii carnes pleræq; ad putredinem diſponebantur, & ideo pleræq; in macello ſplendebant. Sic de piſcibus & ligno notum eſt, ſplendere, ſi pu-

ſi putreſcant. Ipſa deniq; lux ſe exſerit ſi copioſa ſit, ſi à cauſa quacunq; vel vinculis laxetur, ut ſe exſerere poſſit, vel condenſetur, ut videatur. Sic in cœlo non omnes partes lucent; ſed eæ tantum quæ in ſtellas condenſantur & cometas. Nec ſemper lapis Bononienſis lumen concipit & conſervat, ſed tantum calcinatione præparatus. Circulationem ſuam Cl. *Licetus* quomodo defendere queat, non video, quia experimentis deſtituitur, ſolis rationibus contentus. Res vero hæc tota ex vivis ſectionibus dependet. Cur natura diverſam arteriarum & venarum fabricam molita ſit, hanc circulationis fautores cauſam reddunt, quia arteriæ moventur à ſanguine ſpiritibus propter cordis viciniam turgido; venæ verò quieſcant & ſanguinem recipiant, qui deferbuit longo itinere poſtquam partes meliorem ſubſtantiam ad ſui nutritionem ſuxerunt. Eadem cauſa eſt, quod periculoſa ſit arteriarum ſectio, quia ſcilicet difficulter reprimitur arterioſus ſangvis ob ſpiritus copioſos, deinde quia partes privantur ſuo nutrimento quod per arterias ipſis apportatur. Quantum ego potui ex circulatione comprehendere, differt quidem uterq; ſangvis, quod alter ſubtilior & facilis motus, craſſior

craſſior alter & difficilis, præterea quod venoſus non nutriat, ſed ſolus arterioſus; verum id circulum non impedit, quo minus ex arteriis in venas ſangvis commeet, & locum mutet, & pro loci mutatione variet Exemplo rem illuſtrabo. Aqua per canales in hortum deducta, ſicut in Provincia Galliæ & Narbonenſi tractu per molas fit, eadem initio eſt qua proximè hortum per primos canales ingreditur, at ſegnior deinde eadem aqua procedit ubi canales ſunt longiſſimi & à fæcibus horti inquinantur, tranſitq; aqua in ipſas areolas. Sed de his balbutientem rectius ad doctiores remiſeris. Fiduciam tua humanitas facit quod ea quæ necdum accuratè didici, titubanter proferam. De amicorum, quos ſalutas, ad vos reditu, nihil certi ſcribo, quia necdum Italiam perluſtrarunt. Valetudine impedior quo minus plura addam, & quotidianis ægrorum cum Medico ſene venerando Jo. Dom. Sala viſitationibus. Vale, Affinis optime, & me ama. Patav. 13. Aug. 1643.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XL.

Quomodo apud Columellam Vipera ſublimiores domos perreptat.

MARCO AURELIO SEVERINO Neapolim.

REſponſum dudum debui eruditiſſimis Tuis pagellis, quibus ad mentem Bilbilici Poëtæ de puſtulis lucentibus me erudiviſti: Enimverò non fallaci genio ad eum devolvi hujus dubii explicationem, quem majoribus parem dudum exiſtimavi. Commodo ſanè loco inter lucis meæ tenebras hoc lucis majoris ſudum prænitebat, ut ſciat orbis & quanti ex merito Severinum æſtimem, & quantum lucis à Tanto Viro diffundatur. Sub prælo jam ſudant Obſervationes meæ de Unicornu levi brachio exaratæ, in quibus etiam illuſtre nomen tuum ad partes vocavi data de Viperis Unicornibus occaſione, ut brevi forſan ex transmittendo exemplari pro ingenuitate tua ipſe judicabis. Nunc jam de Vipetis veſtris occurrens dubitatio reſponſionem tuam præſtolabitur quam ad vos iturus frater repetet. Metuiſſe quondam Columellam Rei Ruſticæ ſcriptorem eximium lib. 8. c. 15. ne feles aut Vipera (l. 8. c. 3. coluber) ſublimiores domos perreptent, mirum mihi inprimis viſum

eſt,

est, qvum humi serpens vivipera, nihil minus quam alta cogitet. Apud Columellam igitur pro Vipera legendum viverra censuit Vir summus P. Victorius, quod an rectè, ab alio nolim exquirere, quam à Severino nostro Naturæ arbitro & intimiore mysteriorum scrutatore, cui perennaturam magnæ famæ vitam voveo, eruditionis illius indefessus cultor. Officiosissimam salutem nomine meo nunciabis Cl. Viro Mario Schipano Parentis amico veteri, quem lætus humanis adhuc interesse accepi, utinam diu. scripsi Pat. XVII. sept. 1643.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XLI.

De Vipera scandente apud Columellam Responsio.

THOMÆ BARTHOLINO Patavium.

MARCUS AURELIUS SEVERINUS

QVod hebes quidem judicium meum dubiis in plerisq; quæstionibus persæpe consulas, Bartholine solertissime, video jam honorificentiæ tuæ proprium characterem.

Quid enim ego ſus Minervam? Nam neque admirandam ingenii tui lucem ac perſpicaciam hic dicendo equidem attrectem; tum ne hanc infantia ipſe mea turpiter detrectem; tum ne videar virtuti tuæ palpum dare. Verum quantumcunq; ineptus modo morigerus ſuam hanc quæſito paro reſponſionem. *Neoſſotrophii tota macerics opere tectorio levigatur extra intraq;, ne feles aut Vipera perrepat.* Verba ſunt Junii Moderati Columellæ Lib. 8. de Re Ruſt. Cap. 15. propoſita. In quibus Petrus Victorius vir in caſtigandis bonorum autorum codicibus exercitatiſſimus in Adnotation. ad Colum. recte viſus eſt ſibi ſuſpicari mendum ſubeſſe: quod reptanti alioqui natura viperæ minime conſentiat in columbarii pullos aſpirare: quod opus privatum eſt animantium, quæ unguibus in ſublimes conſcenſus niti queant. Sic accommodate pro *Vipera* ſubſtituendum voluit *Viverra*, quæ Latina vox id valet quod γαλῆ Græcè. Adverſionem quidem principio ſagacem, & ingenioſum certe commentum. Verum ſi condonent id liberi à perturbationibus manes, lubricum, ac facile, id eſt, quod non expendit cuncta, Victorii judicium porro monſtrabo; & quam rectiſſi-

rectiſſime conſtare ſibi locum Columellæ, & vanam nullamq; fuiſſe caſtigatoris reſtitutionem; quam tua, Bartholine, ſolertia mea quidem opinione funditus intuita, præciſa ad omnem modum interrogatione ſubodorata eſt. Primum enim te non latet fama, qua perhibetur fœtas mature viperas ſuper arboribus ad partum conniti conſuetas, quæ vulgaris prædicatio ſi falſa ſit: attamen non fallent ſummatum quorumq; virorum teſtimonia, quibus ſingulis aut omnibus inſania ſit obloqui, vel contra ſentire, utrum amas rogo, juniorum recentem experientiam, an indubitabilem veterum autoritatem? utrorumq; nos utramq; producemus. E junioribus confidis ſedulitati Hieronymi Cardani, qui in Lib. 7. de Varietate plures, ait, viperæ ſuper arborem ſerpunt. Varinus autem ex Scholiis ad Veſpas Ariſtophanis, inquit, mures ac ſerpentes orophiæ dicuntur, quæ circa ὄροφας, hoc eſt ædium tecta verſantur atq; erodunt. Ante hos vero eſt conſultiſſimus animalium indagator Albertus, qui viperam ramos arboris emenſam cum pica pullos agnatæ defendente colluctatam narravit. Venio nunc ad amplioris notæ viros, quorum primus eſt Nicander, qui in

Theriacis Draco, ait, avium omnium nidos invadit. Neq; vero te moveat ſuſpicatio de alatis: nimirum meminuit Ælianus Dracones, ut elephantis arborum ramos ore decerpturis inſidientur, in has prius ſerpere. Poſt Nicandrum audi Philoſtratum in Apollonio, qui non obſcure ſcripſit ſerpentibus conſcendi ſublimes avium nidos. Accedit Oppianus, qui Laur. Lippio interprete Lib. 5. de Piſcib.

Et veluti ſerpens, qui tigno nactus ab alto
Altis eſt verna pullos ſub tecta ſonantes
Mactat, & occiſos ſubicit ſub dentibus artus.

Ab his non diſſentit Ael qui Lib. Animal. 13. de Jaculo ſerpente differens, ait: *Perſæpe etiam correpens in arborem aſcendit*: Qui & alibi draconem menſa conſcenſa eputem commemoravit. Eſt & in Anthologiæ. 1. 13. Epig. poſtremo Poëta, qui conſcendentis in arborem aſpidis meminit. Ad hos Conſtantinus de Agricultura Lib. 14. Cap. 5. *Serpentes non infeſtabunt columbarium, ſi in quatuor anglos columbarii inſcripſeris.* Id Adam rei non ignoravit Epiphanius, qui Lib. 2. Tom. 1. contra Hæreſes narrat è Phyſicorum neſcio quorum traditione myoxi, id eſt gliris, partos catulos à viperis venatione corripi. Qui glires præterquam in glandiferis, id eſt celſis arboribus

boribus non nidificant. Hæc Græci pleriq;. Cæterum Latinorum neq; Terentius Afer istius facti non meminit in Phormione dicens; *Anguis per impluvium decidit de tegulis.* Sed & Plinius in Cap. 12. Lib. 8. Histor. Natur. ait: *Mira animalium pro se cuiq; solertia est, ut iis una scandendi in tantam altitudinem difficultas. Draco itaq; iter ad pabula speculatus ab excelsa se arbore iniicit.* De Acontia nunc seu de Jaculo serpente sermonem feram. Recte Isidorus: *Exilium in arboribus, & dum aliquod animal obvium fuerit, jactant se super illud, & perimunt:* Et Albertus ait: *Acontias in arboribus latere.* Et alibi: *occultantur inter folia sub arboribus.* Et Vincentius Belluacensis: *Faculus est serpens, qui arbores subit.* Ita & Petrus Andreas Matthiolus in Commentario; & Solinus: *Faculos ex arborum ramis vibrari vulgatum* dixit; alias vero: *Faculi arbores subeunt.* Et Luc. Pharsaliæ nono:

Ecce procul sævus sterilis se robore trunci
Torsit & immisit, Faculum vocat Africa serpens.

Verum aliis longe plurimis dimissis adversus Petrum non aliis armis pugnare velim, quam suis ipsius, id est verbis Columellæ, qui non sinit imponi nec suaderi nobis aliud, quam quod modo dictum est in Lib. 8. cap. 14.

ajens: *In anſerum ſtruendis cellis ſervanda ſunt eadem quæ aliis generibus pullorum, ne coluber, ne vipera, felesue, aut etiam muſtela poſſit aſpirare; quæ fere pernicies ad internecionem proſternunt teneros.* Quo effato quid clarius? quando & coluber hic nominatur uti vipera, & quando etiam muſtela ſimiliter memoratur, quæ cum viverra congeneris eſt. Neq; noſtræ ſententiæ minus facit locus Columellæ, in quo Victorius offendit. Nempe cum dicit Romanus Author: *Neoſſotrophii tota macerieſ opere tectorio levigatur extra intraque, ne feles aut vipera perrepat*; apparet his verbis levigandam eſſe maceriem opere tectorio, ut per hoc recta (quod Varro dixit in 3. de Re Ruſt. Cap. 13.) id eſt levis & polite incruſtata ſit: nam ſecus videlicet viperam per aſpera correpere facile quiret. Igitur Victorio ne ſua ſibi opinio quid imponeret, vel ipſa Columellæ verba fuerant ſatis. Quippe per aſpera & ſcabra perrepere aſcendendo rectè vipera poteſt; per levia vero & polita non poteſt. Hæc quidem magni momenti ſunt: verum longè maxima ſunt, quæ mox ſubnectam; id eſt naturalia viperæ organa, & fabrefactæ ad uſum aſcendendi particulæ. Siquidem adnotarunt prior Iſidorus Hiſpalenſis in opere de

re de Originibus, & posterior H. Cardanus in Lib. 7. de Varietate Cap. 29. costis quasi cruribus, & squammis quasi unguibus uti serpentes ad incedendum, ac sese quoquo modo deferendum. Quarum quidem squamarum fabricatio tam nobilis est, tam luculenta, ut Virgilius accuratissimus observator astantes appellarit squamas in hydro per hæc: *Vipera & attonitis squamis astantibus hydri.* Id est mea quidem interpretatione arrectis sic, ut quasi adstent, metaphora ex animatis & providis ad inanima traducta; pro (astantibus) autem cum promptius dici fuisset (*horrentibus*) gravius fit argumentum nostrum, quod electum est dici (*astantibus*). Cæterum placuit Æneid. XI. dici: *Arrectisque horret squamis, & sibilat ore.*

Est igitur astantium squamarum epitheto energiæ plurimum, ut dixi. Nimirum serpentibus per antedictos autores surriguntur squamæ non aliter, quam histricibus spicula. Dixi de Serpentium ἀναβάσῃ, atque ad sublimia conscendendi facultate. Cæterum, ut longè superet admiratio; possunt & per semet rectas aliquandiu se sustinere viperæ. Nec me fallit Ælianus de Animal. Cap. 18. *Quibus surriguntur*, ait, *ita viperæ, ut extrema cauda*

nixæ rectas celsasque se constituant. Tali ad unguem positu in nomismate Æsculapii in sculptas apud Sebastianum Ericium legeris binas utrinque medias binas baculis suffultas; has quidem, ut ego interpretor, indicandæ minus integræ sanitati, illas vero absolutæ integritati. Sunt igitur indita instrumenta, & sese sursum attollendi, & in sublime ascendendi viperis: nam & cauda niti possunt. Audi magnum Albertum, qui ait: *Pareas est serpens, qui quasi totus erectus graditur super caudam, & partem corporis caudæ conjunctam.* Lonicerus item Nicandri Moluros serpentes interpretatur, quasi cauda ingredientes: & Ælianus alicubi Dracones, ait cauda ad terram adniti, reliquo erecto corpore. Quin & complexæ viperæ mutuis inter se spiris in coitu venereo rectæ se sustinent, ut Abbatius in Lib. de Vipera Cap. 16. nec non observatores alii ferunt. Adeo nimirum metaphreno validi sunt serpentes. Quæ si perpendisset aut si novisset Victorius, itemque illud Virgilii Georg. 3. certè summum; *Aut tecto assuetus coluber succedere, & umbræ;* haud quicquam hercules in codice Colum. emovisset, verum cuncta præter castigationem adornasset, & authoris prudentiam peculiariter explicasset.

Quæ

Quæ mihi per hanc epiſtolam ediſſerenda viſa ſunt, quatenus honeſtæ tuæ, Bartholine, petitioni ſatisfacere ſolennique tuæ circa pulcras adverſiones ſedulitati obſecundare libuit. Cæterum ſi quid in his deſideres amplius, perpetuarum mearum commentationum occupationumque multiplicium anguſtiis id condones rogo. Præterquam tui amicorumve cauſa quicquam alieni ſubjecti ſubire non patior in præſenti. Ex adverſo nulla eſt tam obſtricta, tam exellens gratia, quam tuæ, Bartholine, comitati non habeam nunc, referendam vero & rependendam non ſervem poſtero tempore, quod nomen meum pro virili tueris. Obſcurior equidem illuſtrari per viros authoritatis probatæ quid non amem, qui gloriolæ dulcedinem & non vulgarem amo? Diſertiſſimo Rhodio plurimam à me dic ſalutem, ſuadeque ut me non ſcribentem ferat, dum ei Meſſanenſem Hortum Caſtelli reddendum curem. Fratris adventum tui, ejus credo quem abs te tertium non adhuc cognovi, percupide opperior, tum ut hunc quidem private, tum ut te in eodem pernorim ſpecimina Bartholinæ domus, ſimul etiam cum Bartolo, clariſſima. Qui tres omnes feliciter valete. Cl. Viro Jo. Veslingio plurimam

mam meo nomine ſalutem imperti. Neapoli Idibus Octobris Anno M. DC. XLIII.

EPISTOLA XLII.

De ſalvatellæ ſectione, &c.

THOMÆ BARTHOLINO Romam.

JOANNES VESLINGIUS.

HAbeo, juxta cum M. Aurelii Severini, gratiſſimas literas Tuas, quibus non minus itineris Neapolitani feliciter exacti, quam affectus in me conſtanter ſervati certitudinem agnovi, cui pari ſemper animi devotione litaturus ſum, quamdiu ſenſum cœleſtis favor, ac vitam mihi indulſerit. De Aldrovandi,& Metallicis Kircheri edendis valdè lætor : nondum enim hujus argumenti quicquam hactenus vidi, quod palati mei aviditatem explere potuerit. Grata quoq; futura ſunt, quæ de fructibus Romanis dabit Ferrarius. De ſalvatellæ ſectione quæ contra Spigelium noſtrum protulit Severinus; parum lacertis ipſius digna videntur: quæ cum judicio meo permitteret, reſpondebam pro Adriano paucis, & forſan ſufficienter. At hæc quoq; protinus typis divul-

divulgãnda Volckamero commiſit, utcunq; nondum ut ex literis ejus à Te transmiſſis conjicio, vel viſa, vel expenſa. Quibus plantis amphitheatrum vel conſperſerit, vel ornarit Panarolus, libenter obſervarem. Quæſo emas quicquid eſt, & cum occaſio ſe dederit transmitte. Pretium ubi,& cui juſſeris ſolvendum, refundam libens. Tractatus meus de Opobalſamo veterum, jam luce publica frueretur, niſi homines miſelli,qui Arabica ligno incidere debuere, defectu characterum, operas hactenus retardaſſent. Illuſtriſſimum Equitem de Puteo, Clariſſimum Baldum Baldum, P. Servium, & Leonem Allatium officiosè veneror. Vale feliciter, & frequentionibus literis Tui deſiderium nobis temperes. Patavii Prid. Decemb. An. cIↃ IↃc XLIII. Incluſas ad M. A. Severinum curare Neapolin ne graveris, rogo.

EPISTOLA XLIII.

De Medicis Romanis.

CAROLO AVANTIO RHODIGINO Patavium.

QUod incultis meis literis humanam adeò reſponſionem reddideris, eſt quod mihi gratuler. Res meæ publicæ & privatæ Tibi debe-

debebunt meram ſalutem, quam tanto fervore urges. Omnia ad Rhodium noſtrum perſcripſi, qui benignus horum erit interpres. Aldinus Corvinusq; tui cauſa me amant. Ille draconis cornuti Sceleton promiſit ubi per negotia licuerit. Meditatur idem diſſertationem de Herba Medica, & de coralliis. Ferrarii Horti Heſperides ad umbilicum fere perducti, in quibus, niſi fallor, limonium veſtrum prægnans triplici cortice obſervavi. Parvi momenti eſt Catalogus Plantarum Amphitheatralium nuper cum obſervatiunculis ditus à *Panarolo* diſcipulo Caſtelli, cujus copiam faciet frater meo nomine cum venerit, ut & Ovidii, in quo inveniendo hactenus deſudavi. Characteres Arabicos à *Kirchero* Viro magno mihiq; amico promiſſos, quotidie expecto, nec longas moras ſpero. Mittuntur expetita ſemina à *Corvino*, tuoq; horto conſecrantur, nempe Capſicum Siliqua lutea, rotunda, falcata, olivari, cordata: Quamoclit. Cucumis anguinus. Canna Indica flore rubro: Meliſſa molucca: Nigella omnium ſpecierum: Sabdariffa: Bamia: Ricinus americanus: quæ deſiderantur, habere non potui, unde veniam cum illo mereor. Pauca ſunt quæ jam operas Typographicas exerceant, niſi

niſi opuſculum cujusdam Monachi de Infirmitatibus Vitæ Humanæ, clauſtris ejus dignum. Collegii Romani Profeſſores hoc tempore & multi ſunt & eruditi. Medicinam hoc anno profitentur ſequentes: 1. *D. Alexander Menghinus* de monte Illunio h. 15. matutina morbos mulierum prægnantium explicat. 2. *D. Joſeph de Sanctis* Æquicola Reatinus, & *D. Petrus Servius* Spoletanus, in Med. Theor. Hipp. prim. Aphor. ſect. 6. 16. mat. commentantur. 3. *D. Jo. Bened. Sinibaldus* Leoniſſanus, in Med. Pract. Extraord. Hipp. de affect. libros h. 17. exponit, 4. *D. Jo. Maria Caſtellanus* in Chir. & Anat. de Tumoribus p. n. h. 20. pom. tractat. 5. *D. Sylveſter Collicolæ* Spolet. Med. Urb. 8. *D. Jo. Manelphius* de Monte rotundo in Sabinis, & *D. Baldus Baldus* Florentinus in Med. Pract. de febribus docent hor. 21. Diebus vacantibus docent *D. Sinibaldus* in Simpl. Medic. de Vinis artificios. hor. 15. *D. Jo. Trullus* Verulanus in Chirurg. extr. de Lapide Veſicæ h. 16. Singulorum opera non recenſebo, quia Tibi cognita, & orbi univerſo, quæq; *Zacchias* in publicum emiſit, de quæſtionibus legalibus, melancholia hypochondriaca, de Victu quadrageſimali, ab omnibus leguntur & laudantur. Quid-

quid

quid præterea ſcire aves, verbulo indicabis, ad quævis enim officia propter ſummam eruditionem & perſpectum animum faventem mihi, obſtrictum me profiteor. Vale, Vir Inclyte, meq; ama. Romæ 4. Decembr. 1643.

T. T.
Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LXIV.

Reſponſio.

THOMÆ BARTHOLINO Romam.

CUltiſſimis literis Tuis, Bartholine clariſſime, jucundius nihil contingere mihi poterat. Ex iis enim manifeſtè perſpexi Te mei memorem ſemper vivere, & grata mente recolere ſincerum amorem, quo Te ſemper proſecutus ſum. Laudes verò, quibus tenue ingenium meum commendare ſtudes, in me non cognoſco, vereorq;, ne idem Tibi contigerit, quod iis qui conſpicillis utuntur, quibus objecta apparere ſolent longè majora, quam revera ſint. Verum quod ita de me ſentias, non poſſum mihi de tali judice non gratulari. Sardus Typographus Venetiis characterem græcum nactus eſt, quantum in hiſce

hiſce regionibus ſperari poteſt, non inelegantem. Is operi tuo manum admovebit, ubi primum Dn. Rhodius ἀυτόγραφον tuum ipſi tradiderit: qua de re illum ſtatim monitum faciam. Ego interim urgebo opus & caſtigabo moras, nec quicquam diligentiæ aut ſedulitatis in me deſiderari permittam, quo & affectum meum Tibi probare, & beneficiis quæ in me contuliſti, leve aliquod redhoſtimentum reponere valeam. Multum enim Tibi me debere profitcor, Vir amiciſſime, quod in conquirendo Ovidio rem meam ad unguem egeris, ſemina miſeris, & Romanorum Medicorum labores perſcripſeris. Scribo hodie ad Corvinum, petoq: alia quædam ſemina, quorum ille copiam habere ſcripſit. Affectui & amori in me Tuo acceptum referam, ſi illum adiveris, impetrataq; alicui populorum tuorum commiſeris. Quod reliquum eſt, ineuntis anni curriculum, qua animum, qua corpus ſpectat, Tibi fauſtum, fortunatumq; evenire precor & opto. Sic votis meis gratiam ſuam aſpiret ſupremus rerum opifex. Vale Vir Cl. & mihi moleſtas avocationes benigne ignoſce. Patavio Prid. Cal. Jan. M. DC. XLIV. T. addictiſs.

Carolus Avantius Rhodiginus.

EPISTOLA XLV.

De materia Soliſequa.

TUas 20. Novembr. Romæ datas, ultimo Decembr. probè accepi. Gaudeo Neapolitanum iter ex voto ſucceſſiſſe, teq; tot illuſtrium Virorum familiaritate auctum ſalvum Romam perveniſſe. Cæterum ultimas noſtras licet doleam interceptas, nihil tamen meæ continebant peculiare, præter Avi, reliquorumq; amicorum deſideria, quibus reditum ad nos tuum urgebant, & adhuc urgent præcipite labente occaſione, qua tuis commodis proſpectum cupimus. Quod de Muſæo meo locupletando ſolicitus adeô ſis, gratias ago maximas, ejus ante annum editum mitto catalogum ut videas quantum deſideretur ad univerſæ naturæ complendum Theatrum. Ex eo quo editus haud parum mea crevit ſupellex. Litheosphorum Liceti nec quo ad rem, nec quo ad verba videre adhuc contigit. Fratri Bartolo apud vos adhuc exiſtenti ea de re ſcripſi, ſed num ſecum tulerit ignoro, ſiquidem Pariſiis adhuc degat. Nec vidimus tuum de Luce librum, ut ad umbilicum perductus an ſit dubitemus. Parentis Anatomiam, ſi (ut olim monuiſti) recudere

dere gestiant Typographi vestri, ne manum operi adhibeant, antequam Hermanni Conringii de Sanguinis Generatione & motu legeris Tractatum, hortor. Multa in eo libro invenies paradoxa, & vulgatis Anatomicorum decretis contraria, quæ forsan instituto servient. Moltkenii fasciculum Venetias appulisse certa relatione accepimus, ut Tibi destinatum Monumentorum exemplum habeas, monendum duxi. Romæ si adhuc hæreas, ac facultas sit Kircherum conveniendi, vide expiscari ut possis quænam sit illa materia, quam ab Arabe quodam emit, quæ solem indissolubiliter sequatur, ut pluribus docet in Magnetismo Plantarum fol. 645. edit. Colonienſis. Rerum nostrarum status solito turbulentior jam est, Deus pacem largiatur optatam. Vale. Hafnia ultimo Decembr. 1643.

T.

Olaus Worm.

EPISTOLA XLVI.

De editione Anatomiæ, ductu Pancreatis, &c.

SCripturus Tibi Amicissime Bartholine Typographus noster, ut litteras meas suis con-

jungerem ſerio inſtitit. Parentis tui tuaq; Anatomia tuo cum honore jam divendita eſt, nec typographo ſuperſunt decem exemplaria, quæ etiam diſtraxiſſet jam dudum, ſi Bibliopolis petentibus ea voluiſſet tradere vendenda. Quare denuo editionem parat, ſi illi credimus charta, typis & figuris elegantiorem. Attamen monui eum te novam editionem Patavii edendam promiſiſſe, inſtructam novis figuris quæ ad Veslingii diſſectiones anatomicas eſſent delineandæ. Verum ille ſe tamen & nitidius Italis impreſſurum regeſſit, cum eos noſſet dubitare, an quod promitterent unquam eſſent præſtituri. Certe mihi nuper ſcrupulus injectus eſt cum Veslingii ad Vorſtium noſtrum litteras legerem quibus aſſerebat ſe totum in eo, ut compendium ſuum anatomicum locupletaret augeretq;, & in diſſectionibus ſuis anatomicis id curaturum ut figuræ novæ delineentur, quibus ſuum vellet compendium exornare, à quibus tamen ſectionibus eum intelligo prohibitum fuiſſe. Quodcunq; tibi hac in parte videbitur, ad id meam tibi operam offero, ſi Patavii imprimi velis, conabor novam editionem noſtro typographo diſſuadere, ſin Leidæ malis quidquid injunxeris curaturus. Quas aſſerit Typographus ſe juſſu

meo

meo novas figuras delineatas habere, eæ de motu ſangvinis ſunt: urgentibus enim amicis auctiores Epiſtolas editurus ſum iis obſervationibus quas vivorum mihi Anatome ſuppeditavit, etiamnum enim quandoq; illorum ſectione delectamur. Ductus ille in Pancreate nobis quoq; aliquoties viſus eſt omni humore vacuus, cum vero viderimus eum non raro in meatum cholidochum aperiri facile crediderimus eum expurgationi bilis dicatum. Carteſius ſibi adverſarium paravit Petrum Gaſſendum, qui magno volumine ſatis meo judicio probavit hactenus nihil Carteſium demonſtraviſſe & ut à Carteſii amicis intelligo ſatis ad reſpondendum ſollicitus eſt. Phiſicam ſuam generalem perficit, particularem aliis relicturus. Illius duos jam tractatus legi de loco & motu egregios ſane, verum haud arbitror eos pares expectationi futuros. Salmaſius de Saccharo veterum libellum prælo commiſit, impoſterum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ immoraturus. Si quid in Italia novi moliantur, ejus me reddas certiorem velim, ſimul & ſi quid de Patris Pauli Servitæ inventione de motu ſanguinis inaudiveris amplius, viciſſim præſtiturus quidquid ab amico ſed negotiis

impedito possis expectare. Vale Leida 11. Februarii An. 1644.

Tibi amicissimus
Johannes Walæus.

EPISTOLA XLVII.

JOANNI VESLINGIO Patavium.

HUmanissimis vestris literis jamdudum debeo responsum, privatis negotiis & renovato Neapolin versus itinere hactenus dilatum. Romam plurimosq; in ea melioris notæ amicos nova Urbe commutavi, non quod illi displicuerint quibus ætatem devoverem, sed iniquioris cœli gratia, quod communem cladem minitabatur. Nec facti pœnitet, quum faventiora omnia hic invenerim, cœlum pariter & amicos cœlo dignos. Ex quorum censu principem æstimo *Severinum*. Nec partibus amici deest *Jos. Donzellus*. Domestica Severini utor familiaritate, qui nihil omittit quod in tanto Viro desiderem. In adornanda Vipera magnum ingenium desudat, & propediem rem dabit expeditam, tuæ si accesserint observationes. Interea ad examen pressius vocavit meditatam olim de Salvatella

disputa-

diſputationem, multis additamentis auctiorem. Tuam tantum expectat ſuper ea ſententiam, ideamq; Epiſtolæ olim à Te acceptæ, quam invidus quidam mala arte ipſi ſublegit. Speraverat eam à Te nuper, ſed errore quodam propriam pro Veslingiana recepit. De Seile nomenclatura Arabica nuper dubitabat, quum ea de re inter nos ortus ſermo, quam in Sceile mutandum cenſet ex ſententia Arabum. Dubius ego, illam primarum literarum compagem infrequentiorem judicavi, præſertim elementi س. Reliqui Artis noſtræ proceres hic ferè tacent, ſi *Santorellum* excipiamus, cujus nuper de Sanitatis Natura Volumen prodiit. Anatomiæ ne nomen quidem perſonat, niſi apud privatos noſtros lares. Veslingio caremus. Vale ſeculi Theophile, meq; ama nominis Tui ſtudioſiſſimum. Neapoli 8. Febr. 1644.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XLVIII.

De Salvatella Arabum.

THOMÆ BARTHOLINO. Neapolin.

JOANNES VESLINGIUS S.

GAudeo ex animo, non minus de contu-

bernio Clar. Severini, quam valetudinis Tuæ incolumitate, & affectu quem absenti benevolè pariter ac constanter conservas; cui paria utiq; referam, quamdiu spiritum indulserit cœlestis favor, ac vitam. Partem epistolæ, olim ad animadversionem in Spigelium exaratæ, jam tertio descriptam, mitto, quam velim Clarissimo Severino cum salute mea reddere digneris. Displiceret utiq; si quæstionem illam in publicum exire pateretur, Vir alioquin prudentissimus: neq; enim ea mihi Spigelii sententia videtur, quam videri Severinus noster vult. Salvatellæ nomen apud Avicennam aliquoties سپیدلم & الاسپیدلم, per س, non ش expressum reperio: quod si retento Arabum sono latiali typo repræsentare lubet, non seile, vel sceile, sed potius seilem scribendum erit. Plura publicum officium, & occupationes prohibent. Vale feliciter. Patavii XXIX. Febr. ↄIↄ Iↄc XLIV.

EPISTO-

EPISTOLA XLIX.

Muſæa Neapolitana, & alia ad Medicam rem ſpectantia.

JO. RHODIO. Patavium.

DUm urbis hujus amœnitate fruor, & Severini familiaritate, memoria tui recurrit ſæpiſſime. Soles ea à me exigere, quæ hinc inde ſe curioſis oculis offerrent. Pauca ex multis recenſebo, quæ Neapolis ſubminiſtrat medico calamo, de aliis enim alii ſint ſolliciti, nec aures tuas rebus ab arte noſtra profanis obtundam. Adhuc viſitur Muſæum *Ferrantis Imperati* Pharmacopæi ſummi, quod inſtructiſſimum eſt omnibus Naturæ miraculis, de quo *Aldrovandi* ad Imperatum ibidem extat Epiſtola, comparans hujus Muſæum cum Menſa divitis, cujus micæ ſufficiant adornando Muſæo Ulyſiano. Deſcripſit ejus filius Franciſcus omnium hiſtoriam, cujus Nepos jam bonis potitur & Pronepos, ultra ætatem ſciens, exteris oſtendit ſingula. Franciſcus tamen author Operis non fuit, ſed Colantonius Stelliola, cujus in præfatione meminit, præceptor magnorum Virorum *Schipani, Severini, &c.* Vidi ibi fœtum bicipitem, item Sceleton Pygmæi exiguum vix palmam longum, quod tamen

factitium haud naturale putant *Severinus & Donzellus* urbis hujus Medici. Aquilinaris lapis quidam caput magnitudine ſuperat. X volumina herbarum vivarum propria Imperati manu agglutinatarum edacis temporis noxam effugerunt. Extat quoq; Muſæum *F. Donati Eremitæ* Pharmacopolæ olim S. Catharinæ Monachorum, qui de arte Pharmaceutica librum edidit, & de Elixire vitæ, quorum tamen operum author eſt P. *Caſtellus*, qui apud eum diverterat: item deſcriptionem floris paſſionis. In hujus Muſæo varia exponuntur, inprimis furni artificiales egregii & Sceleta variorum animalium. Hujus Elixir vitæ eſt farrago multorum ingredientium. Aliud verò eſt Elixir vitæ *Hieronymi Claramontii* ſiculi Leontini, pulvis nempe ex terra minerali alba medicata in Sicilia eruta, ex quo & ſuum Bezoar Minerale conficit & magno applauſu vendit, de quo librum confecit Genuæ primum, mox in Epitomen redactum Neapoli divulgatum 1633. ſecretum nulli niſi fratri ſuo Vito aperuit, & duabus Ciſtis conſignavit poſt mortem à Principibus Viris Patronis ſuis aperiendis. Habet & varia naturæ genera *Marius Scipanus*, ſenex venerandus & parentis noſtri olim amicus, cum Bibliotheca ſelecta. Noſocomium incu-

Incurabilium amplum ſæpe cum Severino amiciſſimo, ingredimur, & raras operationes ejus Chirurgicas ſpectamus. Ægri tamen rudius ab illo tractantur, niſi dicto ſint obedientes, aut vel verbulo muſſitent aut de dolore conquerantur. Placet tamen pietas Nobilium Neapolitanorum, qui non rarò epulas lautas ægris afferri curant, & ipſi, ne fraude intercipiantur, miniſtrant. Noſocomium alterum B. M. Annunciatæ magnificum eſt & ditius, in cujus inferiori cœnaculo febres omnes tractantur, ſuperiori vulnera. Supremo in tecto locus eſt amœnus & patulus, quo admittuntur convaleſcentes ut ſe reficiant & ſenſim aëri aſſueſcant. In inferiori ad latus dextrum, peculiare eſt cœnaculum, in quod moribundi & deſperati importantur ut Patribus Reverendis ſint vicini. Bibliotheca S. Joannis Carbonarii referta eſt mſtis, inprimis Medicis. Vidi ibi Dioſcoridem mſtum elegantibus figuris ornatum, ſed à curioſo aliquo herbæ omnes ordine alphabetico diſpoſitæ ſunt. Hippocratis Aphorismi cum Galeni Commentariis latino ſermone manu ſcripti ſunt A. C. 1380. Meſues particula, Solini duo, Plinius, Columella & & Cato de Re Ruſtica manu exarati quoq; extant. Numerantur præterea in vaſta hac urbe

Phar-

Pharmacopolia 120. præter Monaſticorum infinita, & barbitonſorum numerus ad 500. aſcendit. Tectum templi S. Claræ plumbeum argento æquiparatur, quod ſol longa temporis mora metallum creditur perfeciſſe. In Monaſterio Mariæ Salutis, ſub altare cavea eſt plena ſepulchris, ubi ſpatio 24. horarum corpora defuncta abſumuntur, quia huic immerſam ferunt terram ſanctam, unde nec mures ibi, nec putredinis odor. In æde S. Claræ hoc Epitaphium magnifico opere exſtructum eſt *Julio Faſolino*, Parentis noſtri olim præceptori, & Anatomico celebri:

Julius Jaſolinus Sæculi Epidauri-
us ſui, molli manu ferrum retunde-
re inſtantis fati & arte Pæoniæ fines
producere fatalis ævi potens ſuique
potens vita innocua, auriq; potens
viduatis ope lata gratuita, nec ſibi
nec nomini metuens ſuo, Veſpaſia-
ni fratris teſtamento hoc commen-
datur lapide poſteris.

In Palatio prope S. Biage, inter alias ſtatuas antiquas Caput Coloſſi equi æneum ſingularis magnitudinis & artificii in pariete affigitur,

figitur, quod equi olim fuit in area Episcopali, circa quem circumducebantur equi ægroti, statimq; sanari credebantur veteri superstitione. Morbi hic Endemii, præter luem quæ pro morbo non putatur, nisi per gummata se exserat, sunt roseolæ saltantes quas ædibus adscribunt & victui. Illis quidem celsioribus, & à Sole minus illustratis, huic verô ob carnem bubulam, suillam, & brassicam, qua avide incolæ vescuntur. Angina puerorum suffocativa Epidemius quasi morbus est, qui ab anno 1618. velut pestis invasit pueros, inficitq; alios & enecat. Majores natu inficiuntur rarius, & infecti facilius curantur, quia medicamenta libentius admittunt, & gargarismos. Ex Cometæ anni 1618. effectu morbi hujus vim deducit *Elisæus* Medicus hujus Urbis eruditus. Erysipelata frequentia sunt, quæ nullis medicamentis molestant, sed soli naturæ sinunt. Reliquos morbos plerosq; decocto Salsæparillæ curant. Medicamenta majori dosi omnia exhibent, quam alibi, quia corpora sicca. In vulneribus omnibus quovis tempore oleo rosato utuntur, contra quem morem invehitur *Severinus* noster. Vesicatoria, fonticulos primus introduxit *Schipanus*. Sanguisugæ familiares sunt apud ægros, quæ vascu-

vaſculo aqvæ calidæ immittuntur, cui inſidet æger. Sæpe tamen inde fiſtulas ani ortas in Noſodochio vidi. Bubalino caſeo veſcuntur duriſſimo. Buffalinam vulvam exſiccatam ſervant, quia moſchi odorem ſpirat, eaq; utuntur in ungventis myropolæ Neapolitani. Saccharum olim quoq; hic coxerunt, ſed quia aëris bonitatem corrupit paludoſus locus, quem cannæ requirunt, intermiſerunt. Manna ex Fraxino etiam his locis elicitur, ſed minus valens, quia præfertur Calabrina, idq; cujusdam Medici Calabri primarii aſtutia, qui à Rege obtinuit edictum, ne Manna Neapolitana, ut noxia, colligatur aut vendatur, quod clam tamen fit. Mare ſepias, polyposq, ſumminiſtrat, torpedines, (quas piſcatores tremorem inducere teſtantur), lupum marinum, columbum marinum, anguem ſcilicet magnum & maculoſum, paſtinacam marinam, cujus cauda longa & aſpera, in cujus medio aculeus eminet, ſpinis obſitus, quem ad varia commendat *Severinus* & libenter apoſtemata eo aperit. Concha anatifera ad littus nonnunquam appellit, de quibus *F. Columna* in Obſ. Plant. & Piſc. item Ricinus marinus variorum colorum pinnis undiq; obſitus, quibus corpus ſuum quaſi pedibus promovet.

movet. De Surrentino vino ὀλιγοφόρῳ & tenuiſſimo, quod hic bibitur ad ſitim ſedandam, etiam à febricitantibus, cauſam aperiès, data per *Scribonium* Tuum occaſione, cur jam aquoſa ſint & debilia, quum tempore *Galeni* fuerint potentia. Incolæ vites antiquas exciſas aſſerunt, quia tardè ad bibendum apta evadebant illa vina, jamq; alias Surrenti eſſe ſatas ex quibus vinum tenue quod ſtatim vendi & bibi poſſit, exprimitur. Tu de vulgi ſententia judica qui eruditos ſuperas, meque porro ama. Salutant te *Sererinus* & comites mei. Vale, Neapoli XXVI. Mart. cIↃ. IↃc. XLIV.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA L.

Conſilium pro Illuſtriß. Principe Januario Sanctfelicio Melancholico, cum ſiniſtri lateris totius pulſatione, & Luis ſuſpicione: ad Eundem.

COngeries affectionum de quibus conqueritur Illuſt. Vir, à viſcerum naturalium præſertim hepatis & Lienis vitio dependent, quorum

rum hic obſtructione cum pancreate meſenterioq;, ille in temperie inſigni laborat. Utrumq; partim naturali imbecillitati, partim diuturno contracto habitui qvum debeatur, neceſſariam mali ſupponit pertinaciam longiori temporis ambitu terminandam, quam tamen & ætatis vigor, & aëris opportunitas, & adminiſtrandorum medicamentorum vis Deo dante, vel infringet planè vel imminuet. Scopi erunt, lienis meſenteriiq; obſtructiones auferre, hepar temperare & ventriculum partesq; affectas roborare. Quibus implendis animum diligentiori collata cura applicantes, proficuos omnino remediorum fontes excuſſimus. In quibus principio Chirurgica ſe offerunt præſidia inciſis venis adminiſtranda, partim ut obſtructionem viſcerum aliqua levent ventilatione, partim ut hepatis quoq; una opera tollant ſuſpectam intemperiem. Tempus opportunum ex Methodo innoteſcit facta prius levi corporis δυσκρᾶσιν præparatione. Locus varius eſſe poteſt debetq;. Jecorariæ dextri brachii præcedat ſectio, ad ſanguinis aduſti refrigerium, ea quantitate emiſſo ſanguine, quam præſens morbi viriumq; ſtatus ſuaſerit. Huic paucis interjectis ſuccedat Salvatellæ manus ſiniſtræ apertio, cui tantum tribuunt antiqui, ut melancho-

lancholicis lienis affectibus proprietate singulari succurrat, quanquam hujus vices ejusdem lateris κατ' ἴξιν impleat cubiti vena, si id advertas ne liberior crebriorve fluxus refrigeret nimis corpus aut exsiccet tenue corpus, quod in melancholicis affectibus periculosissimum. Tandem summa auxilii & unica fere spe salutis hæmorrhoidales sedis venulæ pertentandæ sive ferro sive hirudinibus, quæ immediatè continuato venarum portæ ductu ex liene, humoris primarii domicilio, feliciter crassiorem sanguinem evacuant. Has venas solas, meo judicio, materiæ vicinæ segnities sæpius reiterandas permitteret.

Quod si pulsatio lateris sinistri molesta oculoq; noxia, & narium titillationes vel perrexerint vel augmentum sumpserint, sectio venæ frontis, vel jugularis, si permiserit æger, apprimè foret utilis.

Pharmaceutica subsidia quod attinet. Præparandum primo imbecille corpus Extracto Diacatholici sive solo, sive admista Cassiæ quantitate & pulvere illo subdulci salutari aliàs assumpto, peculiari naturæ proprietate jecoris intemperiei & aliis metuendis symptomatis accommodato. Mox syrupum suaderem ex Violis, succo Borraginis, Polypo-

dio, ut & ventriculum imbecillem in transitu respiceret, & affectum lienem, cui si parcius, ob siccitatem, addideris lignum sanctum, hepati non malè consulueris. Imò si unica fidelia parietes omnes dealbare vis aut omnia adimplere desideres, Syrupum Absinthii à Fabro sumas, qui stomachum roborat & appetitum, obstructiones aperit hepatis & lienis, & viscera omnia roborat. Hicq; non semel sed sæpe sæpius deinde purgato quoq; corpore continuandus. Aperienda enim viscera obstructa deducendiq; crassi humores & adusti validioribus purgantibus, foliis Senæ Cinamomi modico temperatis, infusione facta in sero Caprino præparato, & facta expressione addito syrupo de Polypodio & rosarum solutivo. Simplici hac cura absoluta, in Compositæ principio nullum salutarius remedium deobstruendis visceribus, chalybe præparato ita ut omnem metum vehementiæ deponat, sive forma spumæ, sive syrupi, sive fusi M. Ducis, ut & pueris detur, de quo solicitus erit præsens solertissimus Severinus. Nec inutilem arbitrarer suo tempore feri caprini depurati usum cum succis Fumariæ, Borraginis &c. quæ ex re fore judicabuntur, donec Balnei aquæ dulcis tempus ingruat, à quo

mul-

multum mihi promitto ſi temperatum fuerit, præſertim ſi acceſſerint localia remedia abdomini applicanda ex oleis de Capparibus, Abſinthio & amygdalarum amararum fomenti forma, vel ſi ſtillicidium placeat ex oleo de Mentha, Abſinthio, Maſtiche, & pulvere Cinamomi, floribusq; Abſinthii aliisq; appropriatis lieni & ventriculo. Luta thermalia placent ut emolliant, reſolvant, & roborent. Cavenda tamen ſulphurea & bituminoſa ob nimiam exſiccationē melancholiæ inimicam. nec diſplicent medicati Ænariæ Inſulæ fontes ejusdem qualitatis, imo intus ſumpta Noceriana aqua non exiguam afferret utilitatem ſanguini temperando. Tandem ob morbi pertinaciam, deveniendum erit ad ἐνιάυσια medicamenta quæ ejus vim delaſſent vel placida eradicatione tacitè exſtirpent. In quem finem Electuarium componendum ad lienis meſenteriiq; præſertim obſtructionum tollendas reliquias, hepar temperaturum & ventriculo non nociturum. Quos ſcopos implent clariſſime Radices Enulæ, Raphani, Cortex medius Tamariſci, flores Tamariſci, Mentæ, Betonicæ, Limatura chalybis præparati, Abſynthium, radix Ireos, Centaurium minus, Ceterach, radix Capparorum, Hyſſopus, Eu-

patorium, Aſarum, Ariſtolochia utraq;, cortices Fraxini, Diptamnus albus, flores Chamæmeli, Aniſorum. Omnia verò ea doſi & temperatura miſceantur quam judicarit præſens ſalutis cuſtos.

De Diæta addo nihil, quam ſolita ſua prudentia moderabitur maximus Severinus, cujus judicio omnia ſubmitto, Illuſtriſſimi Viri ægroti ſalutem Deo O. M. in procinctu itineris melioribus votis commendans.

Neapoli Kal. April. cIↃ. IↃC. XLIV.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LI.

De Meſſanenſibus Medicis.

OLAO WORMIO Hafniam.

NOn dubito quin & Tu & Mater noſtra ſuaviſſima de rerum noſtrarum ſtatu anxias cogitationes verſetis. In ſalvo, tamen ſumus, laus Deo, hiſce diebus vitatis & ſchylla & charybdi ſplendidam Siciliæ Meſſanam ingreſſi ſumus, ut quem locum Ampliſſimus Senatus non ita pridem, in Academia amplo ſtipendio obtulerat, præſens luſtrarem, & pro oblato honore gratias agerem. Amicos & faventes ibi Nobiles inveni, & per humani P.

Caſtelli

Caſtelli familiaritate utor, qui totus eſt in edendis variæ eruditionis libris. In Muſæo varia naturæ curioſa congeſſit. Sceleta animalium à ſe conſtructa habet, Zibethæ, Xiphiæ & alia. Oculos Zibethæ cum vaſe Civetico monſtravit, ſicut in animalis iſtius Hiſtoria deſcripſit. Varia conchylia petrificata poſſidet. Palmæ Indicæ fructum apud illum vidi, qui incudem eludat. Dedi Catalogum Muſæi Tui, qui ſatis placuit, niſi quod uſualia officinarum ſemina contineret. Certum tamen eſt, ad naturæ complementum & varietatem etiam illa requiri. De inſtrumento Wilhelmi Regis Siciliæ Meſſanenſibus communicato cum Sigillo literis Gothicis appoſito, cujus ex Gualthero mentionem facis in Monumentis Danicis, plura expiſcari non potui, nec inſtrumentum videre contigit Archivi inſpectoribus ſemper moras trahentibus. Nummum alioqui ejusdem Wilhelmi depingit *Placidus Samperus* Soc. Jeſ. qui hoc anno Iconologiam B. Virginis edidit, Mariæ dicatum cum literis Gothicis ſeu Lombardicis Monachorum antiquis, neutiquam Runicis. Alium idem affert cum hac Inſcriptione:

In

In prima facie effigies Mariæ visitur, in circuitu Regis, literæ, ut putat, Arabicæ extant. In re Medica pauca occurrunt quæ scribi merentur. Hortum Messanensem in fossis urbis instruxit Castellus, cum officinis chymicis, theatro, sacello, &c. & XIV. quadris, cujus plantas in catalogo signavit edito 1640. jam verò neglectus jacet. Pauci alii sunt qui rem Medicam illustrent. *Pisanus* Antidotarium hoc ipso anno in publicum emisit, plenum barbarismis, à Pharmacopola compilatum. *Prosimus* Absessum puerorum suffocativum anno præterito adumbravit. *Andreas Tremanci* nuperrimè Anatomiam edidit carmine vulgari ex Galeno, Hippocrate, Avicenna aliisq; excerptam. *Oliverii* quoq; Apologia extat contra Liceti Epistolam de Abortu. Præ omnibus verò caput *Castellus* effert. Quinquaginta anni sunt ex quo Theriaca hic nulla fuit confecta, Româ, Neapoli, Alexandriâ huic defectui succurrentibus. Priore verò Collegii P. Castello 1637. Jo. Dom. Cardullus ad insigne S. Georgii dispensare cœpit, cujus descriptionem publicam dedit, sed authore eodem Castello, & ex Sicilia & Calabria plurimorum simplicium sibi copiam comparavit. Oleo sesamino abundat, cui Romæ amygdalinum sub-

ſubſtituunt. Adeò enim ſeſamum hic eſt copioſum, ut panibus nigrioribus inſpergatur ſaporis grati gratia. E regione Collegii amplum Noſocomium viſitur ex ſeptem parvis in unum compactum, ſecretis ſtationibus Capuccinorum, mulierum & exterorum. Morbus hypochondriacus hic vulgaris, quem feliciter curat Caſtellus ſuo Electuario Diatartaro, cujus nobis dedit deſcriptionem. Exhibeturq; pondere Unciæ unius hora una ante prandium, & largè ventrem ſubducit. Frequens etiam eſt angina puerorum ſuffocativa, quæ parentes quoq; ſubinde invadit, ſi cum filiis converſentur. Sola purgante potione ex Syr. roſ. & melle hanc jugulat Caſtellus, qui venæ ſectionem in hoc morbo inutilem deprehendit. Solennis piſcatio eſt piſcis Xiphiæ menſibus Majo & Junio. Adverſa fronte cum illo pugnat canis Carcharias, qui cauda acuta ſæpe natantium hominum pedes amputat, unde non audent urinatores longius ſe in mari ex littore demittere. Ejus capitis Sceleton in Muſæo Imperati Neapoli vidi, & cutem apud vos ſatis notam & obviam ſcio. Nobilis Meſſanenſis inter alia rariora duo Cornua magna Rhinocerotis ſervat, & alia quæ Monocerotis eſſe feruntur. De quibus judicium

ferre non possum, quia Gazellæ cornua hic plurimis imponunt. In horti locis montosis Corallium nascitur in petra duplex, geniculatum hinc inde dispersum, quod pluvio tempore apparet terrâ magis dissolutâ, alterum spongiosum rudius ex ipsis petris enatum & à nobis erutum, tuoq; Musæo dicatum. Ubi & reperiuntur aliæ lapidum formæ, instar glossopetrarum, conchylia petrificata, &c. quæ quasi in mineris suis nascuntur, non ex mare advecta, quod hoc loco à mille annis vix fuit, nisi eo tempore alluvione maris congesta sint, quo Sicilia ab Italia disrupta fuit & divulsa, si quidem unquam divulsa fuit, quod quidam Geographi strenuè negant. Oportet ut id factum sit ante tempora Saturni, qui huic portui nomen dedit, qvum falcem qua patris pudenda abscideratt, hic recondit, unde ferunt falcata figura elegantissimum Messanensium portum emersisse, urbemq; Zancleam dictam ab Arabica voce, quæ curvum notet, qua olim usi Messinenses. Hunc autem Saturnum de Camo interpretantur, qui pudenda patris irriserat. In rei memoriam adhuc Messanenses Mense Augusto colossos duos circumferunt, alterum cum falce, alterum pro Rhea seu Cibele seu Ope uxore Saturni, quibus tamen sacris

eris intereſſe non vacabit. Celebratur etiam antiquis fons Zancle, qui eſt ille qui hodie Meſſanæ dicitur *Pozzo Leone*, creditur q; Nymphæ dicatus, unde hi verſus ſubjiciuntur nomine Nymphæ Zancleæ:

Encelidi flammas fugiens per operta viarum
Hic caput attollo Nympha perennis aquæ.
Cum mea ſenſiſſem venturam ad littora claſſem
Protinus exilii Nympha latentis aquæ.

Tempore D. Pauli quoq; erat navigabilis hic ſinus Italiam inter & Siciliam, ille enim Syracuſis per Rhegium ad Puteolos navigio perrexiſſe dicitur in Act. Apoſtol. ſed nimis ego provehor, prolixitate negligentiam compenſans, quæ itinerum variorum culpâ excuſationem apud Te reliquosq; amicos merebitur. Vale Vir ſumme, & favere perge. Meſſanæ Æthnam petiturus. XI. April. cIↃ IↃC XLIV.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LII.

De Plantis circa Æthnam nascentibus.

CAROLO AVANTIO RHODIGINO Patavium.

INtermisi nonnihil consuetum inter nos scribendi officium, nulla tui oblivione, sed itinerum variorum impedimento. Nec adhuc ad scribendum commodus locus intervenit, quod lassus ab itineribus quiescere malim in hospitiis quam manum ulterius defatigare. Quia tamen promissi memoria recurrit, nolui differre debitum, quod per Cl. *Castelli* cognatum Corvinum rectè has ad Te perferri sperem. Volebas, ut plantas circa Æthnam nascentes Tibi signarem, & alia in Siculo itinere occurrentia. Jamq; redux ab Æthna, calamum tibi tuæq; petitioni commodabo, quantum ἐν παρέργῳ licet. Ager Catanensis circa radices Æthnæ fertilissimus est universus, nisi qua Æthnæ cineres herbarum proventum nuper impediverunt, qvum 1635. flammas & torrentes evomeret, & vicina quæq; obrueret. Jam quidem flammas non eructat, nec cineres, sed fumo tamen occultum ignem prodit, quem vidi multis leucis antequam in Siciliam pedem ponerem; nocte tamen subinde obscura lucet præsertim flante

Zirocho

Zirocho, quod vidimus in itinere Syracuſano. Quanquam autem cineres jam non eructet, remanent tamen ultimi incendii veſtigia prope Cataniam ad radices montis, de quibus Jo. Bapt. Roſſus ibidem Profeſſor multa nobis retulit qvum Cataniam pertranſiremus Æthnam propius viſuri. Memoriam meretur, quod in ultimo incendio repertum ſit caput ruſtici cum mitra, cujus externa pars ſaxo fluxili ignito, ſulphureo, qui obvia quæq; incruſtabat, & cujus particulam mecum adſportavi, floris ſpecie, cooperta erat, interna parte nativo cranio deliteſcente. Magna ibi S. Agathæ religio in compeſcenda flamma. In ejusdem æde majore in IV. columnarum Epiſtyliis, majoribus literis inſculpta hæc leguntur:

Q. LUCIUS.
LABERIUS
PROCONSUL
THERAMAS

De prompta ſine dubio ex thermis, quarum veſtigia in urbe Catania extant. Alibi inventus lapis his literis: ACKAEPIAC. Alia non tango ad rem Medicam non ſpectantia, quæ fuſe pertractat in Antiquitatibus Cataniæ laudatus Roſſi, quas tranſeuntibus nobis dabat.

bat. Ex ſucco liquiritiæ paſtillos componunt Catanenſes Pharmacopolæ, & ad Theriacam hinc inde vendunt. Tanacetum vulgare luteum in ſummitate montis menſibus calidioribus floret. Vitex flore albo copioſe ad radices naſcitur. Sequentia nonnulla vidi ipſe, ſed plurimorum nomina ſuggeſſit P. *Caſtellus* Meſſanenſis Doctor. Artemiſia major. Alchakengi verum. Anacardum. Chamædrium verum. Calamentum montanum. Eufragia. Gariophyllata vera. Gattaria vera. Juniperus montanus. Berberis. Lentiſcus. Oxyacanthum. Pulmonaria terreſtris. Saxifragia media. Ariſtolochia longa & rotunda. Aconitum. Agnus caſtus. Aloe. Aniſum ſylveſtre. Bryonia alba, & nigra. Coriandrum. Conſolida Regalis. Chelidonium. Centaurium minus. Ciclamen. Daucus Creticus. Eupatorium. Hermodactyli: Echium. Geniſta. Granoſole. Helleborus niger. Herba Turca. Verbena. Laureola. Lingua Cervina. Mandragora. Mechoacan. Meſerium. Momordica. Narciſſi genera omnia. Napellus, ſpurius. Palma Chriſti. Pentaphyllum, Pœonia. Polium. Praſſium. Rhaponticum. Ruta Capraria. Rosmarinus fructifer, Serpillum, Sigillum Salomonis. Smilax aſpera & levis. Smirnium Creticum. Soda ad conficienda vitra. Solatrum majus.

majus. Spina dragantes. Tormentilla. Trifolium bituminoſum. Turbith. Ex fructibus habent Catanenſes Poma, Sorba. Pyra. Pruna. Meſpila. Caſtaneas, Morus, Olivas Montanas magna copia & præſtantiſſimas totius Siciliæ. Canellam. Ex fagis & pino artifices colligunt picem, reſinam, & terebinthinam. Tedam etiam habent, quæ ob humorem viſcoſum & pinguem æqualiter accenditur & flammam conſervat, ex qua pix conficitur vulgo dicta Catanenſis, quæ liquida eſt, & tenax, & vulneribus brutorum inſervit. Chryſtallus reperitur hic locis illis, quibus glaciei major copia. In cacumine montis Æthnæ nix perpetua conſervatur, quæ Melitam defertur triremibus,& per totam Siciliam ad vini refrigerium. Æſtu tamen menſis hujus majore, vidimus nivem Æthnæ nonnihil imminutam. Circa radices hujus ignivomi montis lapides inventi, quibus arbores virides innatæ videbantur, inſtar lapidum Florentinorum, ſed elegantiores. Unum ex his Romam Illuſtri Equiti *Puteo* miſit *Mirabella*. Antequam ad Æthnam pervenimus duabus leucis à Catania, antrum inviſimus, quod Proſerpinæ dicitur, unde rapuiſſe eam Pluto olim ferebatur, de quo *Claudianus* & *Hyginus*. Ibidem ſaxa duo notavi-

notavimus, à nemine hactenus animadverſa, in quorum uno hæ literæ erant inſculptæ

M K

in altero

A R

Ex Amphitheatro quodam abrupta ſuſpicor, quia hoc loco vetus Catania ſita, & vicinus portus à lapidibus Æthnæ eſt obturatus. Nimis in Æthna occupor, Tibiq; ſum moleſtus. Amori tamen id meo imputabis quo ob Æthnæ viciniam adhuc ardeo. Non vacat jam ea referre quæ de Syracuſanis reliquiis ſuperſunt, quia campus hic eſt ubi Troja fuit, & ad iter Melitenſe nos componimus. Tu, Vir amiciſſime, ad noſtrum reditum benè vale, & me ama. Syracus. XXV. April. cIↃ. IↃc. XLIV.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTO-

EPISTOLA LIII.

De rariis naturæ in Insula Melita observatis.

JOSEPHO DONZELLO Neapolim.

CLauso portu Melitensi, quia Triremes Sacri ordinis Hierosolymitani expeditionem susceperunt, ne otio videar meo abuti, breviter Tibi naturæ curioso perscribam, quid in Re Medica notatu dignum hic observaverim. Is enim est itinerum susceptorum finis, ut arti nostræ acquiram quicquid ubiq; seu natura gignit seu hominum industria. Universa terra Melitensis, quæ tamen rara est, quia Insula est petrosa, alexipharmaca est, quod benedictioni S. Pauli tribuitur, qui eodem loco naufragium passus est, quo nos appulimus magno vitæ discrimine. Maximè eruitur illa terra ex specu ubi S. Paulus pernoctasse dicitur, idq; extra urbem veterem. A tot jam seculis ex specu erutà fuit terra & in salutem plurimorum divendita, nec tamen imminuitur, unde vel miraculum subesse creditur, vel terram se multiplicare. Hancin formas varias coquunt, & divendunt, crudam verò Tarantulæ morsibus aliisq; venenis applicant, Huic innascuntur

glosso

gloſſopetræ, de quibus Diſſertationem hiſcè diebus conſcripſi, quas diligenter conquiſivi. Duro ſaxo adnati ſunt lapides, quos *occhi de ſerpenti* vocant, unde in eosdem uſus exſculpuntur & pro armillis aſſervantur à mulierculis Melitenſibus. Ex petra molliori alba ædificia conſtant, altera durior ex altera Inſulæ parte uſibus fontium inſervit. Ex terra alba fictiles urnas elegantes conficiunt, quæ aquam ſemper, etiam ſoli expoſitam, frigidam conſervant. Goſſypii poma vidi collecta, quæ matura finduntur nonnunquam trifariam, nonnunquam etiam ſecus, ac Poluci viſum, quatuor in partes, ut lanugo erumpat, quam carminant incolæ & nent. Hinc forſan veſtes Melitenſes tanto in pretio apud antiquos fuerunt, teſte *Cicerone* & *Varrone*, quod fierent ex lino goſſipino. Rectè verò *Plinius* l. 19. c. 1. fruticem vocat, ita enim mihi hic occurrit. Planta *Glaſto*, Melitenſibus Ennir, hic quoq; copiosè provenit, ex cujus aqua fit color dictus Indago. Roſæ Melitenſes apud veteres pro raris & odoratis celebrantur. At rariores jam ſunt, quia hortorum rarior cultura. Magni Equitum Magiſtri hortus ſplendidus in medio Inſulæ malis præſertim aurantiis & citriis. Ex ipſo pariete

ete palatii ipſius in nova urbe ficus enaſcitur. Viperæ hic nullæ comparent, ſerpentes adſunt, ſed innoxii. In vicina Inſula Gozze parvæ viperæ ſunt, quibus Pharmacopæi urbis hujus ad oleum viperinum utuntur. Theriacam enim ex Oriente habent & à Venetis. Muſcæ & inſecta in hac urbe multa nos infeſtant ob mare alluens, quæ in Melita veteri non inveniuntur, urbe ſcilicet metropolitana. Canes Melitenſes olim erant in deliciis, ſed jam genus illud deſiit & cum incolis antiquis expiravit. Olim Inſula ferax fuit gigantum, vidiq; in palatio ſuburbano *Jo. Fr. Habelæ* Vice Cancellarii ordinis ſancti, qui nos humaniter & lautè ibidem excepit, coxas, dentem, coſtam gigantis hic erutam. Binas quoq; urnas Phœnicum nobis monſtravit, qui ejectis gigantibus inſulam poſtea incoluerunt, quarum altera feminæ habebat faciem ornamentis & vittis dependentibus, magnitudine humana, in qua cineres invenerat. Præterea lignum petrificatum apud eundem vidimus ex urbe Africæ non ita pridem in petram converſa, ex qua quoq; urbe puer petrificatus ad Card. Richelium fuit miſſus. Turtures Majo menſe hac tranſeunt in Barbariam, ut nidificent, unde quoq; redeunt men-

se Septembri, ut in Orientem revertantur. Primus pagus extra urbem Vallettam, Casale de gli fournari dictus est, quod ibi pinsentur & coquantur omnes panes pro civitatis necessitate. Olim aër valdè fertur ibi insalubris, jam verò, quod notandum, saluberrimus est, quia igne fornacum purificatur. Aër urbis hæc novæ quoq; salubris, quia omnes plateæ recta mare respiciunt, quas eapropter ventus eventilat. Nosocomium duos habet Medicos, Gallum & Melitensem, Chirurgos tres per vices ægros invisentes. Tenentur & Equites ipsi quotidie ægros inservire & de necessariis prospicere, habetq; singula natio suum in hebdomade diem, v. g. Germani Veneris diem, quo novitii Equites ægros invisunt, & ut commodè cibentur provident. S. Juliani portus leucis duabus ab urbe distat, in quo statua ejus à Gallo quodam posita est. Quinquaginta anni effluxerunt ex quo apertus ibidem fons, quo lavantur Podagrici & Nephritici, moxq; in vicinas arenas conjiciuntur, & sanantur, relictis in fonte interulis, sed præstare judicabat Monachus si nummi aliquot in usum pauperum relinquerentur. Quotidie in arena mulieres videas considere, sed major festo Ascensionis est confluxus. Statuæ nomi-

nomina multa leguntur inſcripta, & nos noſtrum quoq; ibidem addidimus. Multa egregia de Inſula hac Martis propugnaculo, & invicto ab *Habela* expectamus, qui juſtum de illa volumen confectum habet, cui carmine extemporaneo acclamavi. Vix finieram, quum navis Anglica quam conduxeramus in Ægyptum navigaturi, propter contagium ab hominum commercio excluderetur, mutandum igitur erit conſilium, & repetenda iterum Sicilia, ſicq; præter ſpem brevi vos reviſam. Vale. Salutant te comites mei Jo. van Horn & Theodorus Fuiren. Melitæ XII. Maji 1644.

T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LIV.

De Saccharinis cannis Sicilianis, Manna Calabrica, & Salernitana ſchola.

JO. WALÆO Leidam.

TAndem ad me eluctata eſt, quam mihi deſtinaveras, Epiſtola. Animum itinere moleſtiſſimo Siculo & Melitenſi laſſum, certiſſimo priſtinæ Tuæ benevolentiæ indicio,

non leviter ſolabatur. Hackii veſtri induſtriam operi noſtro recudendo dicatam non poſſum non laudare, cujus editionem aliis omnibus præfero, etiam Italorum prælis tardioribus. Tres de operis mei impreſſione inter ſe contenderunt, dumq; ex invidia ſinguli litigarent, ob iter meum, omnes lucri ſpe exciderunt. De figuris nonnullis monuit Cl. *Veslingius* in unam contrahi poſſe, illas nempe, quas de Corde, partibus ſpermaticis, oſſibus &c. rudior manus expreſſit. Pancreatis figura cum novo ductu Virſungiano omnino videtur addenda. Miſit & Cl. W*ormius* de cranio figuram, proximè mittendam & cum aliis tuo judicio ſubmittendam. Siquidem ſcio controverſiam inter magnos veſtros Heroas literarios *Salmaſium & Vorſtium* de ſaccharo adhuc pendere, quæ de ſaccharo ejusq; cannis in Sicilia, ubi uber illarum proventus, obſervaverim non gravabor perſcribere, ſi forſan ad illuſtrandum illud argumentum aliquid conferre poſſe exiſtimaveris. In itinere terreſtri, quod Meſſana ad Cataniam verſus fecimus, tranſivimus urbem Tahorminam cui mons arenis rubris ſeu ſaxo rubro conſpicuus imminet. Mox deſcendimus ſaxoſa & invia via ad molam ſaccharinam prope mare ſitam, in qua appa-

apparatum magnum vidimus inſtrumentorum, torcularium & furnorum. Menſe Junio & Julio ſuccum exprimunt ex Cannis ſelectis. Modus hic eſt: Cannas primò minutim incidunt huic operi deſtinati homines, deinde forti torculari ſupponunt ſuccumq; exprimunt, qui per latera torcularis inſubjecta vaſa deſtillat, lapis molaris interea à præter labente aqua movetur. Secunda expreſſione ſupponunt reliquias ſacco incluſas pervio, communemq; ſuccum injiciunt ampliſſimis furnis, foco largiſſimo, & quater coqvunt. Deinde in formis ſuis inſtillant, quas campanas vocant, in modum campanarum confectas, quibus inferiori parte foramen inſculptum, ubi reſervatur per quatuor menſes in cubiculo, vel alio loco clauſo, ut ſenſim indureſcat, & per foramen exſtillat humor craſſior quem melázza vocánt, qui decidit in vas circumpoſitum, & ſaccharum exinde fit pauci valoris, reliqvus verò depuratur longiori temporis mora. In mola hac plures quam centeni occupati ſunt magnis impenſis, ubi & cumulus reliquiarum ex cannis exſtructus cernitur, ex quibus aliquas ſelegimus. Saccharum ipſum nigrius eſt & ignobilius, propter cannarum & terræ vitium, præſtarq; illud quod conficitur in urbe

Laqueduce inter Meſſanam & Panormum; at quod Panormo apportatur præſtantiſſimum eſt, & Meſſanæ in cupediis adhibetur. Hinc devenimus ad agros ſaccharinarum cannarum, quas *cana de mele* incolæ vocant, nuper plantatarum. Plantantur verò in Februario radices ex priori ſectione ſuperſtites, ex quibus nova germina propullulant, quæ *Cochili* appellantur, primo in locum ſiccum, mox in humidiorem transferuntur, & tandem matura ſecantur ad radicem usq;. In Calabria quoq; ex arundinibus ſaccharum conficitur. Singulis triennii transplantatur arundo, tribus enim annis ex eadem radice novi ſtolones germinant. Arundinis pars inferior ſaccharo conficiendo, ſuperior plantationi novæ inſervit. In variis Siciliæ littoribus ſal quoq; coquitur, quod paſſim vidimus cum ſyracuſana littora usq; ad Trapanum legeremus, unde maxima ſalis quantitas exportatur. In ſcopulis verò receptacula efformant, ex quibus influens mare relabi nequit, unde à ſole in ſalem ſiccatur, ſed non niſi affuſa aqua dulci. Reperiuntur alibi in Sicilia ſalinæ fodinæ, ſed ſal hoc amarius à paucis expetitur, nec emendare hoc vitium ſtudent incolæ, quia alio ſale abun-

abundant. In fodinis Calabriæ præſertim montis Montalto prope Belvedere, mina auri prægnantis, ſal gemmæ reperitur, quod in profundo montis mollius eſt, deinde aëri expoſitum dureſcit, unde in ipſis fodinis artifices artificiosè elaborant & in varias formas aptant. Splendidiores quædam ſunt partes, quas vocant *oculum ſalis*, quibus eleganter diſtinguunt ornantq; res exinde confectas. Ego roſam inde effectam habeo. Alioqui ex hujusmodi ſplendidis globulis corollas precarias componunt. Calabriam peragrantes guſtavimus mannam ex ipſis arboribus Fraximi à nobis decerptam, non illam quæ in foliis ciceris figura & magnitudine reperitur, ſed alteram, quæ *ſforſata* vocatur quia ex trunco Orni cultro vel ſecuri exprimitur. Alternis enim ictibus truncum arboris proſcindunt circum circa vulneribus hunc in modum ſignatis)(& mane ſequenti colligunt humorem exſtillantem, excipiuntq; & abradunt cultris ligneis, & abstergendo vaſis imponunt. Lignei vel oſſei cultri eſſe debent, ne colore nigrior manna evadat. Liquorem deinde in menſa explicant ſoli obverſam, ut abſumatur aquea humiditas & aciditas quæ ſuavitatem

corrumpit, idq; ſæpe repetunt. Trunco arboris adhærebat illa quam guſtavimus, candicans, dulcis, duriuſcula, quia neglecta fuerat ab incolis. Impoſtores mannam foliatam imitantur, quam Bragerola vocant, nullius tamen pretii, tranſcolantes mannam S. forſatam per cribrum ut in ciceris formam mutetur. Cicadæ quoq; aperiunt ſuctione ſua Ornum, ut ſucco dulci fruantur, deinde per apertum foramen liquor ſtillat. In civitate Apuliæ Barri ex genu S. Nicolai liquor dicitur exſtillare, quem incolæ vocant manna de S. Nicolo, febribus commendatus, qui licet ſparſim ad alias terras mittatur, ſponte tamen redire ad corpus ſuum occulta ſympathia fertur, ſi vera ſunt quæ credulis nonnulli perſuadent. Hanc mannam ex alio loco venire rectiùs putat *Santorellus* noſter, vel à Monachis afferri, quod hic Neapoli quoq; factitatum, atq; tum corpori balſamico affuſam poſſe aliqua virtute imbui. Al monte Circello, qui locus eſt Ducis Caetani, ornus copiosè creſcit. Hincq; magnus ex manna proventus. Spatio trium hebdomadarum mannam colligunt poſt inciſionem trunci à ſuperiori parte curvo cultello factam ad inferiorem, hinc exſtillantem aquam quaſi glutinoſam & à ſole induratam vendunt pretio

ſat

ſat magno, libra enim mannæ hujus Juliis tribus venit, qua loco Calabrinæ libentius Romæ utuntur. Collegi & ipſe & dulcedinem laudavi. Si autem pluvia accedat interea, omnis diffluit. Quicquid ſit eo modo manna ex trunco arboris Orni ſtillat, quo ex Pino reſina, vel ex ceraſo gummi. In tranſitu Salernum quoq; ſalutavimus, ubi Medicorum adhuc Collegium ſatis ſplendidum antiquis periſtyliis ornatum viſitur prope Templum Cathedrale S. Matthæi. Nulla alia hujus ſcholæ gloria, niſi quod nonnullis candidatis Laurea conferatur præmiſſo examine aliquali ex textibus *Hippocratis* & *Ariſtotelis*, gaudeantq; iſti Medici privilegio, ut medicinam non ſolum in toto Neapolitano regno ſine licentia Proto medici exercere poſſint, ſed & in Imperio Romano. Olim magna Doctorum Salernitanorum erat fama, quam ipſi ſua invidiâ decoxerunt. Feruntur enim clam noctu Puteolana balnea præſtantiora, in quibus Salutaria remedia & modus utendi balnea, erant ſcripta deſtruxiſſe, ut illis major eſſet quæſtus, quæ balnea adhuc confuſa jacent, quamquam hoc tempore conati ſint quidam diligentius ea inquirere. De his Medicis ita *Dion. Cartus* ex Gloſſa ordinaria ſuper Act. Apoſt. c. 28:

Virgilius fecit balnea medicinalia Puteolis, ſingula propriis inſcripta titulis contra quem valerent ægritudinem. Salernitani Medici invidia ducti ſupervenientes, in manu forti titulos deſtruxerunt, & ædificia plurima mutilaverunt. Quod ſequitur *Lyra*. Addit verò *Jo. Villanus* 1. Chron. Neap. illos Medicos, ubi noctu deſtruxerunt characteres, dum reverterentur, tempeſtate obrutos periiſſe inter Capreas & Minervæ promontorium. Sed curſum retraho, ad gratiſſimas tuas literas pauca reſponſurus.

Manuſcripta P. Pauli diligentiori ſtudio perluſtrabo, quum Venetias venero, eaq; fidelitate quam ab amico expectas. Sed ut audio, multa in adverſariis ſuis collegit quæ ab aliis accepit. Patavii Scribonium ſuum confectum habet *Rhodius* noſter, & *Veslingius* de opobalſamo, dirimendæliti Romæ inter doctos ortæ, Apologiam in lucem emiſit. Venetiis *Folius* pinguedinem Italo Sermone illuſtravit. Florentiæ *Joh. Nardus* de Melle & Manna ſcripſit. Romæ quæſtionem publicis libris de parte affecta in Pleuritide inter ſe agitant *Baldus* & *Manelphus* Lectores publici. Obſervationes à Panarolo editas referre non attinet. Neapoli opera expectamus maximi

iſtius

iſtius *Severint*, quæ indice ſignavi à Bibliopolis Lugdunenſibus expetita. *Sanctorellus* de ſanitatis Natura operoſum Volumen nuper edidit, & praxin totam *Maliocchus*. Meſſanæ defuncti Corteſii ſucceſſor P. *Caſtellus*, amicus noſter cum ibi hæreremus, & Collega ſi voluiſſem, Emetica ſua conficit tribus voluminibus, Methodum Conſultandi, de Abuſu Dierum Criticorum, ubi primum diem morbi ab hora invaſionis incipere & cum occaſu ejusdem diei finiri ex *Hippocrate* probat, reliquosq; dies cum ſole & initium habere & finem: Hortum Meſſanenſem à ſe in foſſis urbis inſtructum: Antidotarium Romanum, Hyænam odoriferam, cujus in Muſæo nobis Sceleton monſtravit, Theriacam, Opobalſamum, de Abuſu Phlebotomiæ, & alia infinita, quæ prompta ad ſcribendum manus effundit. Eſt verò *Caſtellus* totus Hippocraticus, olimq; Romæ cum *Martiano* Hippocrati illuſtrando operam ſuam contulit, ſicut quondam Pariſiis *Duretus*, *Facotius*, *Hollerius*, magna illa nomina. *Licetum* ferè transmiſiſſem, qui pro *Ariſtotele* Cor vindicat, duplicemq; circulum ſanguinis invehit, pro ſanguinis utriusq; duplici in propriis vaſis curſu, de quibus nec charta nec dolores Nephritici plura

in

in præſenti ſinunt perſcribere. Vale, magne Medicinæ Antiſtes, & me, ut ſoles ama. Optatiſſimus noſter comes Jo. van Horne, plurimum te ſalutat. Neapoli XXI. Jun. 1644.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LV.

De vomitu in calculo.

PETRO CASTELLO Meſſanam.

CItius memoriam tui recoluiſſem, niſi me duplex morbus ædibus hactenus lectoq; affixiſſet. Sanè pruriit manus, calamusq; ſæpe ſponte ſua impleri viſus eſt, tui recordatione. Obverſantur animo meo humaniſſima colloquia, quibus nos Meſſanæ commorantes fruebamur. Debitam nomini tuo venerationem publico hoc de Aneurysmate ſcripto orbi propalavi ea veritate qua præclaris experientiæ infinitæ monumentis publicè hactenus innotuiſti. In eo cultu nos quotidie exercemus data apud ſummum Virum *Aur. Severinum* occaſione, cujus genii operumq; ideam à me procuratam editamq; mitto, ut virtutibus tuis devotum nobiscum exoſculeris. No-

ſtrarum

ſtrarum rerum ſtatus ob imminentes æſtus Neapoli adhuc ſolito turbatior eſt, Sirii exitum anxiè expectantes. Interea frequentioribus literis, ſi ita placuerit, leniam abſentis deſiderium, ut etiam ex *Caſtello* otii mei fructum haùriam. Secundæ editioni Anatomiæ noſtræ accingimur. Si quid in pluteis Tuis ſecundis hæreat nobis ex uſu quod eſſe queat, publico neutiquam invidebis, qui dudum de *Sepulcreto* tuo ſpem publicam excitaſti. Quid de Unicornu illo, quod apud Illuſtrem veſtræ urbis Virum latere, præſens narrabas, ſit ſtatuendum, quo pretio æſtimandum, quo colore & magnitudine efflореſcat, Te interpre-te ſcire averem, ut etiam hanc opuſculi de Unicornu paginam impleas. Multa enim cornua hinc inde venditantur, quæ vel ad aſinorum vel caprarum claſſem referuntur rectius. Imo omnia quæ in Gallia, Belgio, & in patria vidi, ejusdem ſunt generis, nempe Cetacei ex Septentrione. Cæterum quæ calculoſo meo ſymptomati ſingularis præſidii adjumenta ſuades? Frequentes prodeunt arenulæ dolorum in pubis regione cauſæ, quas vel Paternæ imbecillitatis innata diſpoſitio mihi impreſſit, vel calidiora vina in his oris & apud vos, quibus tamen parcè uſus ſum, accer-

cerſerunt. In tuo conſilio magnum momentum ſanitatis poſui. Varia quæ vel amici vel varia lectio ſuppeditavit tentavi, ſed à nullo levamen ſenſi, niſi ab aqua corticum fabarum, quæ arenulas deturbavit, ut non dubitem id remedii genus pluribus commendare, & forſan plus illi in remedio illo calculum frangente apud *Augenium* l. 9. Conſult. tribuendum quam millepedibus. An autem in hujusmodi affectu vomitus conducat, à nemine rectius doceri poſſum, quam à *Caſtello*, qui libros de Emeticis confectos habet. Multi ſunt artis initiati, qui ad præcautionem laudant, ut materia tartarea expellatur antequam vel ad renes vel veſicam derivetur. In ipſo paroxysmo alii admittunt, quia natura per nauſeam vomitumq; viam monſtrare videatur. Quanquam hujus vomitus alia ſit cauſa, nempe compreſſio nervulorum ſextæ conjugationis & membranæ venalis vellicatio, de nihilo non eſt, quod afferitur. *Hippocrates* tuus l. 6. Epid. poſt vomitum æruginoſum levius habere dixit. Meo judicio, vomitus ad expulſionem calculi vel arenularum eodem conatu confert, quo ad pellendum fœtum, nempe totius vehementi commotione & muſculorum abdominis compreſſione. Diligenter verò

verò cavendum, ne promiscuè vomitus excitetur iis qui ferendo non sunt, adeoque morbus morbo addatur. Mihi vesicam dolenti, id remedium suasit noster *Severinus*, sed ferè pleuresin eram passus. Consobrino verò meo Dn. Fuirenio, qui nobiscum est, ejusdem consilio, vinum Antimonio infusum feliciter successit, qui athleticè exinde vixit. De his verò Te malo audire annis & usu probatum, quam plura verba perdere, ex quibus perpauci forsan vel docti fient vel sani. Cum literis expecto quoq; Lapidem Lazuli in Sicilia natum, quem discipulus ille tuus, quem nosti, te præsente olim promiserat. Vale, immortale Reip. Medicæ decus, & si amici preces aliquod apud Te pondus habent, promissum sepulcretum, seu Observationes Anatomicas, quas ex Centum Cadaveribus Romæ sectis, notasti, quasq; in Antidotario Romano Messanæ nuper edito promisisti, noli diutius supprimere. Salutaris amico voto à sociis meis D. van Horn, & Theod. Fuiren, ut & à Clar. Severino, qui Epistolæ de Salvatella exemplar anxie expectat. Scripsi Neapoli. XXIII, Jul, 1644.

T. T.
Thomas Bartholinus.

EPISTO-

EPISTOLA LVI.

De Gloſſopetris Melitenſibus.

THOMÆ BARTHOLINO. Neapolin.

JOANNES VESLINGIUS, S. P.

EGo verò deperacto feliciter Siculo Melitenſiq; itinere tuo, Bartholine ſuaviſſime, tanto magis gratulor, ac gaudeo, quanto graviora fuere quæ ſubire voluiſti, cum libertatis tum vitæ diſcrimina: certoq; mihi perſuadeo, non defuiſſe quæ generoſæ & vegetæ indoli Tuæ materiam ſuppeditare poterant, curioſæ pariter atq; utilioris contemplationis. Nam de Gloſſopetris optimum agnoſco judicium tuum, quæ cur ex metallicorum ordine exigendæ ſint, baſin rationum parum firmam apud F. Columnam obſervo, de quibus incoram pluribus, ſi Deo viſum eſt, agemus. De Opobalſamo tractatum meam, ſpero jam accepiſſe Cl. Petrum Caſtellum, recepitq; ejus in ſe curam Franciſcus Corvinus Romæ, qui affinitate illi devinctus eſt. Quod in Cl. Severini noſtri complexu etiamnum degis lætor, de cujus transmiſſa imagine nitidiore, adjunctoq; ſcriptorum *τῶν ἐνδότων καὶ ἀνενδότων* indice gratias ago, habeoq; planè ſingulares. Nos hic divino munere ſoſpites, in otio degimus,

gimus & feriis ſtudiorum æſtivis: quamvis feriæ mihi nullæ fuerint, quotiescunq; benè de Te, deq; Tuis promerendi occaſio adfulſerit. Hiſtoriam Aneurismatis velim ocyus pertexas, & incluſas interea meas ad Cl. Severinum, cùm officioſiſſima ſalute eidem tradere non graveris, rogo. Vale feliciter, & amorem noſtri conſerva. Patavii. Prid. Kal. Julii. cIↃ IↃc XLIV.

EPISTOLA LVII.

De Gloſſopetris.

JOANNI VESLINGIO Patavium.

PRomiſſa de Gloſſopetris argumenta inſignis affectus Tui in me argumentum fuerunt, quibus proximis literis me ſolito more ineſcaſti. *Columnam* tueri videtur externa Lamiæ dentis qualis qualis forma, quam ex Muſæo *Imperati* heſterno die accuratius conſideravi. Sed jugulum petit interior facies, Gloſſopetrarum diverſa genere, magnitudine, colore & figura differentia, quæ magno ſtudio Melitæ conquiſivi mecumq; adſportavi ut in argumento ſuſcepto mihi præluceant, de quibus ſi judicium tuum in his ſubactum experiar,

itineris, moram ægrius feram. Prodiit infelix meus de Aneurysmate fœtus, quem sanè citius confeci quam fungi nascantur. Tu humi jacentem suscipies, judicioq; benigno confirmabis vel emendabis, donec ipse præsens præsentem stitero. Cæterum Anatomicas tuas de Vipera observationes expectat *Severinus* noster, quia *Campios* Lucenses amaret antevertere. Anatomiæ nostræ editionem iterato in se suscepit Leidensis Hackius, meq; per Cl. *Valæum* ad augmentum exstimulavit de quo negocio tecum deliberabo. Vale, doctorum delicium à Cl. Severino & Hornio salutate. Neapoli 26. Jul 1644.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LVIII.

De Aneurismate, &c.

THOMÆ BARTHOLINO Neap.

VInces, quamvis signa canere ipse non jubeam, & quæcunq; de Glossopetris Columnæ illi innixa, quæ felicitas ingenii est, facilè subrues. De aneurysmate tractatum tuum

tuum apud Dn. Rhodium vidi, elegantem Jupiter, & Æſculapidum ſcholis dignum. Habeo tamen, quibus cum Hildano Fabricio noſtro conciliem, quæ ſecus tibi viſa ſunt. Aurelio Severino Viro præſtantiſſimo de Viperis diſſectione ſatis jam feciſſem, ſi gravidam vivis fœtulis nanciſci potuiſſem: quod ſi res moram menſtruam haud patitur, conjiciam in chartam quæ parata habeo, & quam id primum fieri poteſt, Neapolin mittam. Anatomiæ veſtræ, præter pancreatis ductum, vix aliud adjiciendum arbitrer. De figuris aliquot partium accuratius repræſentandis jamdudum monui. Induxi animum ſyntagma meum Anatomicum augendi, emaculandi, figurisq; totidem quot capita continet, ex diſſectione propria depromptis exornandi, ſi vitam & valetudinem cœleſtis favor indulſerit. Vale feliciter, eruditiſſime Bartholine, & cum Cl. Severino noſtro, & Dn. Hornio plurimum ſalve. Scribo Patavii XII. Auguſti, Anno ↄIↄ Iↄc XLIV.

Tuus ex animo

Joannes Veslingius.

EPISTOLA LIX.

MARCO AURELIO SEVERINO Copulæ ET vindici Neapolin.

THOMAS BARTHOLINUS.

REddidimus vicem, quam copula nunquam diſſolvendæ amicitiæ tanto Viro impetravit. Utriq; voto gratulatus ſum, & Tibi, & Copulæ. Huic quidem de renatis te Æſculapio particulis, hactenus neſcio quo Virbii fato de truncatis. Tibi verò, quod feliciter adeò minima tractes, ut maxima quæq; ſuperent, copulamq; non minori facilitate, quam curta Curtorum gnarus integritati ſuæ reſtitueris. Si quæ Vati fides, ex copula copulam quæſiviſti, dum individuo virtutis geniiq; conjugio & arctiori nexu famæ perpetuum vinculum tibi copulaſti. Interea perge ſexcenta ET, nomini aureo appingere, titulisq; adde per copulam, quæ ſolo vocabulo magnitudinis tuæ capacitatem non aſſeqvuntur. Vale Vir ſumme, atq; extemporaneam hanc Muſam benigne, ut ſoles, excipe. Neapoli Cal. Octobr. ↄIↄ Iↄↄ XLIV.

Impreſſ. Neapoli in libr. Severini Italico La querela della ET accorciata:

1644.

EPISTO-

EPISTOLA LX.

De Gallis cornutis.

THOMÆ BARTHOLINO.

MARCUS AURELIUS SEVERINUS S.

AMicorum ſuaviſſime, literatorum eruditiſſime, literis optatiſſimis tuis equidem neſcio majus inſperſum affuſumq; fuerit undelibet humanitatis tuæ ſpecimen an ſuavitatis. Utraq; certe ſub argumento nil perquiſito mirum in modum complexa ſe prodidere, quæ proficiſcuntur ab uno fonte, quæ mihi videtur εὐφυία. Quamobrem oculatè tuam ego neceſſitudinem expetivi, recte tuo præſidio quoq; arctiſſime me munivi. Verum de his ne fuſius, quam par eſt, quamve tua patitur pudibunda modeſtia. Gratuler ſatius incolumitati tuæ, de qua ſollicitus animus meus plus ſemel veritus eſt, præſertim ſuſpicioſa jam imbecillitate, neutrove ſtatu valetudinis tuæ. Gratulor & de pari firmitate ſua Dn. Theodoro Fuiren, Dominoq; Joanni van Horn Achati tuo. Gaudeo verô mihi, quod tam efficaciter me commendaveris inſinuaveriſq; ampliſſimo Commendatori Puteo, ut indiciis & argumentis ſeſe prodiderit in me propenſum. Cui conſummatas jam Hetru-

ſcæ copulæ vindicias Saturni die proxime venturo paro mittendas. Ipſe, mi Bartholine, duplex exemplar inveneris Venetiis apud officioſiſſimum Aproſium, commendatum Archiatro Benſonio. Quod ſi plura exemplaria cupiveris, ſignifica. Unum alterum deſtinabitur ornatiſſimo Wormio, plura non licet incommodo longinquitatis, præterquam quod haud concipio futuras alioquin has veſtras cupedias. Accepi quæ ſolers Veslingii manus de Echidnatome procudit expoſtulata nulla non laude digna, de qua re dicam alias explicate. Choccolatam opperior gentis inquilinæ nectar & ambroſiam. Cum miſerim Ampliſſimo Puteo meam de Fungi mappa diſſertatiunculam; equitis confido diligentiæ communicabit ſuam alteram ejus concrementi figuram. Cum conſederis in Adriæ ſubſelliis, audies ab eruditiſſimo Benedicto Mariotto, expectari Venetorum typis meam Inermem Chirurgiam, quam doleo mihi recenſeri mature non poſſe præ tot rerum ac negotiorum anfractibus. Ibidem ipſe, Bartholine ſcientiſſime, fac tuum mirificum De Animantium Luce Volumen expeditiſſime cures excudendum. Inde lucem rerum magnarum eruerint Scriptores noſtri ſeculi, Ad hæc

& luci-

& lucidiſſimam tuam, ut vocare ſolitus ſum, Hiſtoriam Anatomicam, incudi novæ redditam ampliſſime inſtaura, dum nos hic & Schipanus, & Æmylius, & Capucius, & Riccius, & Meonius, & Donzellus, atq; amici alii Deos Deasq; omnes oramus, ut vita tibi ſuppetat felix, quatenus artes omnes bonas monumentis tuis indies exornare queas. De rebus tuis frequenter deq; amicis reſcribe. Expectatiſſimo libro tuo de Unicornu congruam Hiſtoriam neſcio num adnotaris, quam tamen non dubitabo referre. Gallo gallinaceo provectiori calcaria radicitus recidunt vafri quidam veteratores naturæ periti, quæ reſegminibus tenus in radices criſtarum ejusdem gallinacei ſcarificatas inſerunt colligantes ſic ut fiat coalitus, quæ imago quædam Villicæ inſitionis, & Curtorum reparationis videtur. Ejusmodi gallum cum recurvis cornubus duobus alit in aula ſua Excellentiſſimus Biſidiani Princeps Dn. Tiberius Caraffa Nobilitatis præcipuum ornamentum, cujus ejusdem Illuſtriſſimum nomen mandes velim memoriæ per hoc ſplendidiſſimi Viri in indagandas res novas ſtudium & ſagacitatem. Liturris & ſphalmatis inepti ſcriptoris, cujus me manu coactus ſum uti tua bonitate fretus,

quæso, parce, & me ama. Claudio du Four Typographo Lugdunensi peculiaribus literis ad Juntarum procuratores Bibliopolas Neapoli datis flagitante parata est jam mitti Chirurgia Illustrata: quæ amico doctoq; Censore opus habet. Quare tuam humanitatem quæso commendes Excellentissimo Medico, quem alias nominasti, Gras. Hactenus ad priores tuas literas. Cæterum quod tot Heroicos viros amicos mihi paraveris, in primis verò digniſſimum Wormium, cujus beatrices nedum exornatrices accepi literas divinamq; icona. Sedulitati & comitati tuæ nunquam pares acturus fuerim gratias, nisi quod habiturus fortasse non impares. Mittam ad singulos gesticntis [ET] libellos parato jam ampliſſimo fasciculo, qui Juntarum Bibliopolis commissus est. Quod jussisti de Vipera deq; Seilem non est dormitem cessemve exequi. Tibi vivo totus nostro quippe amicorum & literarum ornamento. Perductus ad extremas epistolæ oras cogor tacere, Bartholini nunquam taciturus nomen. Neapoli XV. Octobr. cIↃ IↃc XLIV.

EPISTO-

EPISTOLA LXI.

De ſceleto cum ligamentis propriis.

CÆCILIO FOLIO Venetias.

JUcunda fuere & percurioſa quæ nuper apud Te in Anatomicis vidi, qvum ad ædes tuas Te reviſerem, ſed gratior animus benevolus, quem præſens variis officiis mihi monſtrabas. Inprimis ſceleton humanum arriſit à te conſtructum propriis ligamentis cohærens, ſedentis formâ. Quanto quis propius naturam æmulatur, ejusq; nativas fibras ſervat, tanto & à natura & naturæ miniſtris plus laudis merebitur. Medicus naturam preſſe imitari debet, quantum poteſt. Anatomicus quoq; deſtructor machinæ elegantis, in ejusdem reſtitutione omittat nihil quod ex natura ſervari poteſt, & ſi tali artificio vaſa reliqua ſceleto affigerentur, ſicut in tabellis, cum muſculis exſiccatis, inæſtimabili opere conatus cenſeretnr. Non dubito quin accuratâ tuâ manu indies arti noſtræ ingens augmentum accedat. Auditus oſſicula nitida erant quæ nobis oſtendebas. Quod verò quartum os Sylvianum diverſum à tuo diceres, mirum mihi videbatur. Quæſo per otium auditus inſtrumenta tuo more ſeparata & ſi quid circa illa dignum memoriâ

notasti, nobis communica. De Chirurgicis aliisq; obſervationibus, ſpem nobis faciebas, qvum publicè in Theatro Anatomico cadaver diſſecares & compta veſtra linguâ explicares. In Pinguedine ingenium excellens monſtrasti & antiquitatis reverentiam in revocanda *Hippocratica* ſententia. Dubia tamen non pauca me remorantur, alibi proferenda. Jam enim gratias agere Tibi conſtitui pro amicitia & honorifica mentione nominis noſtri in laudata de Pinguedine Diſſertatione. Ingenti verò deſiderio tenebor videndi Hippocraticam tuam Hiſtoriarum correctionem, de qua in coram faciebas mentionem, ut appareat, quomodo illos curare *Hippocrates* potuiſſet, quos mortuos ſcribit. Quidq; deniq; inſoliti in exercitatione tua Medica notaveris, non gravaberis verbulo ad me perſcribere. Vale, Vir Illuſtris, & cum Magnis Veſtris Æſculapiis Pariſano & Aromatario plurimum ſalve. Scripſi Patav. XXV. Octobr. 1644.

T.

Thomas Bartholinus.

EPISTO-

EPISTOLA LXII.

Obſervationes quædam Anatomicæ.

Thomæ Bartholino Patav.

TEmporis mutationes accidentes repentinæ verum eventum fecerunt ſententiæ Hippocraticæ apportantes nobis Autumnum ita plenum infirmis, ut negando commoditatem cum cibo reddendi tributum debitum ſtomacho, & auferendo commoditatem ſomni & neceſſariæ quietis cõrpori, ſimul cum occupationibus, ut prius exſequi non potuerim amica imperia Tuæ claritatis, in cauſa fuerunt ut defectum commiſerim quanto involuntarium tanto excuſabiliorem apud tuam humanitatem, quæ omni hora fuit promta extollendi me favoribus non meritis: Hac fiducia interim in præſenti mitto illi paucas quasdam ex deſideratis obſervationibus Anatomicis, quæ ſi merentur correctionem, non illam detrectant, ſi non merentur applauſum, detrectant. Hoc tamen non poſtulabo à tua humanitate, ſed libentius à tua intelligentia, cui me ſubmitto, & conſigno. Venet. 4. Novemb. 1644.

Cecilius Folius.

Humani

HUmani corporis partium genericæ divisiones, quæ multæ ab Auctoribus proponuntur, tanquam inutiles; ac falsæ rejiciendæ sunt excepta Hippocratica, quæ clarioris intelligentiæ gratia aliquali eget expositione.

Exterior corporis cortex græce epidermis, latinè verò cuticula dictus, quamvis nullius usus, expers vitæ, minimeq; pars judicetur. Quoniam formatur ex semine; nutritur, augetur, nec non medium est sensus tactus; ideo secus asserrendum affirmo.

Si quæ pars ab aliis sejuncta adæquatum tactus organon vocari meretur Cutis profecto ea erit, puta quæ simbolici quid cunctis cum partibus habere videtur. Ast ego sum qui credo talem nequam dari partem sed omnes simul subordinatè animæ ut sentiat inservire tamquam instrumenta proportionata.

Quas Peritoneo ascripsit utilitates Galenus, nullius, aut parvi esse momenti censeo. Unica namq; nec non præcipua est suspensio, & defensio vasorum umbilicalium ne cum omento s. confundantur ac circumvolvantur alter alterius actiones impediens; neve inter circumvolutiones intestinorum inserantur.

Umbili-

Umbilicalia vasa (Arterias intellige) quamvis simplicia ab Auctoribus designentur variè & ramificata ostendi.

Carnosas, & Glandulosas partes quam maximè apostematibus atq; exulcerationibus esse subjectas nemo sane mentis negabit. Ideo nec mirum si pluries orificia Ventriculi similibus teneantur morbis, quibus ita miserrimi egrotantes cruciantur, ut tandem post diutinos sevosq; dolores sepissime vitam cum morte commutent.

Inter præcipuas intestinorum passiones non ultimum obtinet locum quem à Vermibus initiatur dummodo non vellicant ipsa tantummodo inquinantq; verum etiam ita in id ipsa infiguntur, ac ut ita dicam radicantur ut egrè evelli queant, sine idipsarum membranarum laceratione.

Tormina Abdominis non à flatu tantum, calculis, humoribusq; inibi contentis oboriri est dicendum, sed sepe ac sepius à glandularum Mesenterii pancreatisq; abscessibus & apostematibus, quarum sevitie post vehementissimos cruciatus infelicissimi patientes ad commiserandam mortem vehuntur.

Pancreas glandulosum viscus, lactei humoris est receptivum non ut ipsum Hepati

tantum

tantum impartiatur, ſed & reliquis fortaſſe viſceribus. De Liene non dubito, quandoquidem id fieri per tenuem *Canaliculum* Venarum comitem à me ſepius in brutis fuit obſervatum.

Vermes ubiq; gigni ac permeare poſſe teſtimonia fida non deſunt; nec mea ad comprobandum deficiet experientia cum & in Pancreate nec parvum adinvenerim.

Renes à natura duos fuiſſe formatos nemini dubium eſt, nec deſunt qui hoc Corporis equilibrio aſcribant. Unicum tamen quandoq; poſſe inveniri non ſit qui neget cum ipſe adinvenerim ac publicè patefecerim.

Lien alterum Hepar ſeu adulterinum ut loquar cum Philoſopho *unicum* ut ſepe reperiri eſt ſatis notum, *duos* autem, *tres*, ac etiam *quatuor*, poſſe in uno corpore dari obſervavi, nec non etiam conſuetam magnitudinem aliquando exceſſiſſe ut decem, & ſeptem librarum pondus æquarit.

Hepar lieni copulari, ac ita uniri vidi ut unicum viſcus apparerent propter coloris etiam uniformitatem.

In felea Ciſti lapillos diverſicolores multiplicesq; reperiri nec aliis, nec mihi latuit, albos ſiquidem, citrinos, nigros, atq; rubeos adinveni.

Non

Non ſolum in Renibus, Urinaria, feleaq; veſica lapides procreari verum etiam alibi puta palato, ac umbilico mihi videre licuit.

Menſtruorum retentiones non ab auctoribus allatis tantum de cauſis exoriri eſt credendum, ſed ab apoſtematibus etiam nec non ſciroſis Uteri tumoribus qui ad tantam quandoq; duritiem deveniunt ut oſſis naturam colorem, cæterasq; acquirant qualitates uti à me fuit demonſtratum.

EPISTOLA LXIII.

Auris internæ delineatio.

THOMÆ BARTHOLINO. Patavium.

CÆCILIUS FOLIUS.

QVas de auditus Inſtrumento Anatomicas deſideraſti Obſervationes, Vir Clariſſime, delineatas libentiſſime mitto, partim ut Studioſiſſimæ tuæ ac Virili obtemperem voluntati; partim ut orbi hac pagina innoteſcat à veritate Comici illud non receſſiſſe:

Nunquam ita quisquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,

Quin Res, ætas, uſus ſemper aliquid adportet novi.

Super-

Supervacuus namq; foret in Studiis longus labor, ait Quintilianus, si nihil liceret melius inuenire præteritis. Hæc quamvis minima, non infimæ tamen utilitatis sunt censenda. Ad auditum enim perficiendum sicut maximopere faciunt, ita ad auditus naturam penitius introspiciendam, viam aperiunt, quod in Prælectionibus nostris Anatomicis fusè demonstrabimus. Interim Vale, meq; tibi debitissimum, ut soles, ama.

Venetiis, Die 19. Novemb. An. 1644.

Figura prima.



Figura prima ostendit Cochleam, Labyrinthum, foramina ovale & rotundam, nec non Aquæductum Fallopii.

a Foramen rotundum, fenestra rotunda appellatum.

b Pars ossis petrosi à reliquo cranio separata, Cochlea nuncupata.

c Fora-

c Foramen ovale Stapedis locus quod fenestra dicitur.

ddd Circumvolutiones tres in cavitatem auditus desinentes, Labyrinthus dictæ.

e Aquæductus Fallopii per quem transit portio durior nervi dicti Auditorii.

ff Exigua duo foramina, per quæ exeunt ramuli parvi venarum, & arteriarum.

Figura Secunda.



Figura ſecunda monſtrat os temporis cum Labyrintho, Cochlea, tribus oſſiculis, atq; muſculis duobus in ſitu proprio.

a Cavitas in qua inſeruntur nervi auditorii.
b Girus Major Cochleæ.
c Circulus oſſeus.
ddd Circumvolutiones oſſeæ h. e. Labyrinthus dictus.
e Incus qua parte malleo jungitur.
f Caput mallei in ſitu proprio.
g Subtilior proceſſus mallei à nemine antea obſervatus, cui alligatur muſculus alter auris externus.
h Muſculus auris externus.
i Minor proceſſus mallei cui adnectitur muſculus auris rotundus.
k Proceſſus tenuior ſed longior incudis cui ſtapes alligatur.
l Stapedis oſſeus quidam globulus à Thoma Bartholino in Anatomia Parentis deſcriptus.
m Stapedis figura, & inſertio.
n Os ſpongioſum.
o Os temporis.
ppp Squamoſæ ſuturæ dicti oſſis.
r Muſculus rotundus ſeu internus.

Figu-

Figura Tertia.

Figura tertia exhibet Oſſicula auditus tria Malleum, Incudem, & Stapedem cum appendicibus novis.

a Caput mallei rotundum.

b Subtilior proceſſus mallei à nemine antea obſervatus, cui alligatur muſculus alter auris externus.

c Minor proceſſus mallei cui adnectitur muſculus auris rotundus.

d Extremitas mallei quâ medio tympani adnectitur.

e Incus qua parte malleo jungitur.

f Proceſſus tenuior ſed longior Incudis cui ſtapes alligatur.

g Stapedis, oſſeus globulus.

h Stapedis figura.

Figura Quarta.



Figura quarta habet Cochleam inversam, ut videatur cavitas cum proprijs foraminibus, & loco nervorum.

a Gitus major Cochleæ.

b Foramen per quod transeunt venulæ exiguæ.

c Foramen nervi durioris quo exit, ut per aquæductum feratur.

d Circumvolutiones osseæ, h. e. Labyrinthus dictus.

e Cavernula in qua terminatur portio mollior nervi auditorii.

f Origo aquæductus.

Figura

Figura Quinta.



Figura quinta Ossicula in situ, nec non musculos, & circulum osseum cum osse temporis delineat demptis Cochlea & Labyrintho in secunda figura delineatis.

a a a Membranam Tympanum vocatam ostendunt reliqua patent ex superiori.

Figura Sexta.



Figura ſexta demonſtrat foramina octo cavitatis internæ.

aaa Cochlea diſſecta.

bb Intermedium quoddam cochleam in duos giros dividens.

c Foramen rotundum in cavitatem auditus, & in girum cochleæ inferiorem deſinens.

d Labyrinthi circumvolutiones appertæ.

eeeeee Venulæ per cochleam & labyrinthum diſſeminatæ.

g Feneſtra ovalis.

hl Duo foramina tertiæ circumvolutionis labyrinthi.

i Foramen rotundum in internam cavitatem auditus deſinens.

mmm. Tres circumvolutionum duarum aperturæ, quæ tria foramina, dum nondum ſunt diſſectæ demonſtrant.

EPISTOLA LXIV.

De radice Heliotropij.

THOMÆ BARTHOLINO Patavium.

QUantopere me literæ tuæ exhilararint, effari nequeo. Intellexeram enim Te afflictioris fuiſſe valetudinis, ac turbulento iſto Italiæ ſtatu, haud tutum omnibus futurum iter per loca militibus obſeſſa tranſeuntibus, probe noveram. Verum ut ex tuis vidi Venetias vos appuliſſe, ſalva omnia gaudebam. De Severini mihi gratulor amicitia, ſed doleo occaſionem non dari crebrioribus literis de variis artem noſtram concernentibus confabulandi. Cæterum commodum accidit tuas ubi accepi, quod in horto meo Heliotropium invenerim, cujus radices mox collegi, experturus an Tibi impoſuerit experimentum. Collegi igitur, ac à ſordibus & pulvere mundavi, exſiccavi & primo ſcindulæ ligneæ impoſitam, pelvi, aquæ repletæ commiſi, viſurus quo tenderet, quem motus rationem obſervaret,

varet. Sed fruſtra, ad motum aquæ primo paululum movebatur; ſed hac quieſcente, quievit & illa. Locum quem utraq; extremitate oſtendebat diligenter, pelvi inciſa linea, notavi. Poſt aliquot horas rediens, in eodem quo antea inveni ſitu, nihil à primo diſtante. Hinc ſine ſcindula nudam aquæ impoſui, innatabat, levis enim eſt, ſed pari ſucceſſu. Non igitur poſſum quin dubitem de hoc arcano. Si res ita haberet dudum hoc ipſe expertus fuiſſet Kircherus, qui in minutioribus curioſior eſſe ſolet, & nihil, ut ſcribit, ſine experimento prodere. Planta namq; adeò rara non eſt, ac radicem habet teneram, lignoſam, fibris crebris divaricatam, cortice puniceo, interiore ſubſtantia candidam. De monumento Wilhelmiano in Sicilia, quod certiorem me reddideris gratias ago. Inprimis quod ſollicitus ſis adeò de Muſæo meo locupletando. Avus longiorem tuam in exteris moram ægrius ferre videtur, utpote qui adventum tuum hac hyeme exſpectaverat. Deus Te ſalvum & incolumem cum reliquis nobis ſiſtat. Vale. Hafnia 29. Novemb. 1644.

T.

Olaus Worm D.

EPISTO-

EPISTOLA LXV.

De ſceleto ficus Opuntiæ.

THOMÆ BARTHOLINO. Patav.

MARCUS AURELIUS SEVERINUS.

τῆς δοξης τῶν κηρυφίων ἐπιλαμβάνειν.

QUod nomen meum exile deprædicantes extenderint te auditore pleriq; profecti ad vos undiq; gentium populares litterarum periti, utinam hanc celebritatem meis extenderim factis, neq; laus interea promota fuerit penes amicos, à quibus ſentiant honores meos libenter approbari, tuæ vero mirificæ erga me benevolentiæ voluerint aſtipulari. Nihilominus dicam, quod exinde accidit, gratioſiſſime Bartholine, doceor his vocibus, excitorq; potius ipſam, quæ longe me fugit, gloriam animoſius capeſſere, præſertim ut tuæ graviſſimæ de me exiſtimationi quaqua parte reſpondeam. Quod ad repræſentatrices vultus mei, quas expetis, formas, curaſſem ex his quæ ſuperſunt, mittendas ad te quamplurimas; Verum amabo Te, moram ſuſtine tantiſper, dum hac idea fideliorem è Chalcographis Romanis expromat Illuſtriſſimus à Puteo, qui delineatam coloribus imaginem dudum

accepit. Sic Anatomicorum Principi Bauhino, cujus nomen jampridem à me cultu atq; Illuſtratæ meæ Chirurgiæ mandatum eſt, ut jam noſti, cujusq; benevolentiæ atq; in me proclivitati plurimum debeo, fatisfacere fatius licebit. Interim ſi prioribus exemplis ad omnem modum uti velis, eſt comiſſimus Ludovicus Pouchius, qui ex duodenis illi communicatis, tradere valeat, quot velis.

Excell. Wormii ſumma cum voluptate, pariq; cum admiratione ſemper audio nomen, nec minori cum mea ſuperbia accipio, Heroicum virum bene de me ſentientem, ac benè mereri ſtudentem. Ego verò, dum paratas ſuas opes, quæ monumenta ſunt divinæ mentis, non dat habere, contentus fruar ejusdem ſpecimine felicibus chartis expreſſo. Epiſtolam meam ad hunc virum jamdiu reſidem, uti voluiſti, mittebam, verum ubi prælo deſtinatam ſenſi, vix ſuſtinui mandatum; quippe vereor, ut aureum ejus monumentum obſcuretur plumbeo noſtro contrectatu. Verum tamen id me confirmabit mittentem, ſi tantum abſolutiſſimus Rhodius ſcriptum omne recenſeat, & expoliat. Suavis, ut diſſertiſſimi Wormii, ſic feraciſſimi fuit Liceti commemoratio; qui cuperem omnino declararet acceptas ſecun-

cundas meas litteras, grave alioquin esset, in ambiguitate præteriri debitum veneratissimo viro meum officium, qualecunq; sit ipsum. Hujus & Clarimontis inimicitias ferre Pallas æqua non potest; adeo videntur absurdæ, ita sunt literatorum abominabiles etiamnum simultates. Quæ verò suscitaverit Alecto dissidium, operæ precium esset agnosci, quo compositionis & conciliationis officium subire posset Amicus quispiam. Illustrissimi Cassiani Studiorum Mecænatis sanctissimum hoc foret arbitrium, cui domino commendassem equidem provinciam, verum ignotis injuriæ seminariis, quidquam ego non ausus sum, ne male peritus aut inconsultus ejus rei viderer legatus. Quod Legati munus quis te, optime Bartholine, dexterius aut aptius exequatur? Præsertim in ista locorum vicinia auscultandis utriusq; caussis accommodatissima. Studium infinitum, Bartholine, tuum, quo me per tui monocerotis antidotum adversus posteriorem interitum præmunisti, tantumdem etiam infinite laudo, gratias item suo mature tempore repensurus; sed has interim egit ampliſſimus Carafa Princeps, qui fructus præcoces vellet. De Zootomia Democritæa, quæso te, Bartholine, percontare, num ad hoc

tempus

tempus uspiam visatur, indicibus porro Francofurdiensibus autumnalibus anni præteriti legi promissam; vulgatam opperior avidissimè. Cl. D. Combacho debeo plurimum, devoveoq; me meaq; omnia quantum huic domino sint ex usu. Ejus expectationem nitar adimplere. Pleraq; mea concredita Typographis referas licet; inter quæ omnia Zootomiam in mei gratiam curet Musæo suo cohonestandam. Non pœnitebit legisse; sic neq; Choccolatæ medicaminis enarrationem. Hujus ego Viri nomen Illustratæ Chirurgiæ nostræ interserendum curavi, implorata typographi ad hanc rem fide. Sed heus bone non respondisti quidquam ad meam petitionem, qua rogabaris, ut alicui Amico Lugdunensi Docto Viro commendares editionis meæ castigationem. Tuo isthoc officio plurimum opus est. Scioppium à me suspici renunciato, quem ne degravem Literis, non interpello. Tantum sciat veterem meam erga tantum virum propensionem. D. D. Veslingium, Rhodium, Offredum mihi fac in amando quam calentissimos. Quod ad salebrosam tuam de Pleuro-pulmonia quæstionem mirum est profecto, quid Palæmonem me constituas, qui ad ambas usq; aures tanquam Tantalus inter aquas hac

erudi-

eruditione affluas, præsertim in istis vestris, ut magnus Thomasinus vocat, Athenis; quid, inquam, ad meum rivulum recurras; omnium quippe mare non indiget, ut in veteri prudentium sermone dictitari consuevit. Verum de his postmodum. Bene tibi vult esse D. Capuccius, & D. Mæonius. Ego verò Dominis Germanis tuis fratribus, atq; ornatissimis Fuireniis, cum quibus & tute Musarum ocelle, Patriæ spes, literarum columen, amicorum delicium, majorum tuorum & domus incrementum σὺν ἀγαθῷ θεῷ diu feliciterq; vive, cujus ego simulacro ferme loquenti viventiq; tam oppido delectatus sum, quam fieri potest maxime. Cum hoc vix minus ac tecum, mi Thoma suavissime deinceps vivere credam. Verum me ineptum, quid præterieram Opontii folii resolutionem artificiosam? Parabitur hæc porro simplici tabefactu per affusam uberem aquam tamdiu complexuram, dum fibris lignea duritie restibilibus, omnis exsolvatur carnea portio. Quæ tibi ars ad Analyses plerasq; felix soli servator, nulli præterquam Achati revelanda. Fuit huic fabricæ opificium divinum in Dendranatome mea parva apud Zootomiam enarratum. O si viderim, aut contrectarim unquam hoc monumentum

pridem

pridem per transennam à nomenclatoribus Francofurtensibus indicatum. Interim sedulo mihi vigilans amicus Sebast. Ernestus Scheffe-rus attrahit has operas in Begerum civem suum Francofordiensem, qui bene refotus ex priore tertiam affectabat operis de absces-sibus editionem, nisi quod monui per Lugdu-nensem exactissimam odornari, cui patrii pro-fessores operam conferant suam. Quæ Te volui, mi Bartholine, rescire consulturus quandoq; mihi, si quid in hoc genere queas. Neapoli XXV. Febr. M. DC. XLV.

EPISTOLA LXVI.

Dubia de Circulatione Liceti anna.

FORTUNIO LICETO Bononiam.

QUod jamdudum officii memor transmi-sissem, nisi Æoli imperio diutius apud Ne-ptunum hæsisset oneraria navis quæ opuscula mea Neapoli deferebat, id jam oculis tuis si-sto, & judicio pressiori examinandum com-mitto, Eruditorum Princeps Licete. Histo-ria est sine legibus, quia ea libertate scripta fuit, quam liber animus dictabat. Vera tamen, & actæ rei seriem sincera fide pertexit. Utinam sequaces haberet, quæ exemplo caruit. Sæcu-

li enim

li enim mores noſti, omnia ex affectu potius quam veritate æſtimare. Nec tamen dubitant falsè dictis Hiſtoriæ ſpecioſum titulum ſuſpendere, ut vel ficta ſpecie precium mendaciis emendicent. Nolo in dictorum fidem ævi noſtri hiſtoricos advocare, vanis rumoribus fallaci judicio & partium ſtudio ſuperbientes, ne de me hiſtoriam condant. Voluſii profecto annalibus accenſendi & loco digni unde prodierunt, foro nempe, quod ſibi Circulatores, verba vendentes vindicarunt. Sincerius de hiſtoriæ noſtræ contextu judicabis, Vir Magne, qui mores meos noviſti. Non enim Principum arcana revelavi, nec furentes in perniciem humani generis acies inſtruxi, nec falſas de ſecretis diſſidentium partium voces adoptavi; ſed inter arma inermis, inter ſanguineos tumores innocens, inter pugnantes naturæ morbiq; partes arbiter, in omnibus ita me geſſi, ut plus rei difficultati quam mihi tribuerim. Quod penes te dijudicetur cui has partes ſublime divinumq; ingenium, nullo mortalium invidente, conceſſit. Quidquid enim inter me & maximos ſæculi Viros J. B. Sylvaticum & F. Hildanum controverſiæ Aneurysmatis obſcurum nomen ſuſcitavit, tuum nutum exſpectat, quo vel damnentur

nentur illi vel triumphem ego. Digna sanè res quæ ad Liceti calamum cui in litteras imperium summum Numen concessit, exactius revocetur. Quo fato extra naturæ concesſos fines dilapſus cruor à corruptionis labe ſe tueatur. Qua lege redeat & egrediatur. Cujus imperio, reciproco pulſus motu ventiletur sangvis, quum & disruptæ ſint tunicæ per quas tremulum motum pulſandi vis transmittit, ſi Vew. Sequamur, & locus effluenti continuo cruori ſufficiens non ſit, niſi eum in ingentem molem excreſcere ſinamus. Qua ratione ſine alterius noxâ membranarùm altera rumpatur. Quo deniq; indulgentis naturæ privilegio oberrans extra limites vitalis liquor vel in pus non mutetur, vel in univerſali circularis motus circuitu non facile regrediatur. Gordii hi nodi te Alexandrum optant qui ex novis circularis motus principiis nova & ſcriptoribus noſtris hactenus vix audita, ingeniosè curioſorum mentibus ſuggeres, niſi falſus ego ſerius Liceti genii æſtimator. Quod ſi calami benignioris ductu ad vitæ fontem fons eruditionis diverteris, ne pigeat quæſo explicare quem in expellendō ſanguine motum perpetua viciſſitudine ſervare potuerit cor Germanici filii Druſi, quod adeo ſolidum, denſumq; fuiſſe.

Sueto-

Suetonius & Plinius narrant, ut concremari non quiverit. Quo durius sine dubio erat scelesti illius cor, quod cartilagineum nobis in Anthropologia Riolanus descripsit. Notum enim humani corporis dissectoribus, si vel duriori substantiæ cujuscunq; particula meatus ejus obsideantur ob interceptum liberi motus commeatum, non contemnendam vitæ inferri noxam. Quippe ad venæ cavæ orificium in inopinata morte suffocatis, carnea quædam frustula cum pingui mole invenit Riolanus idem, & in phtisico Cl. Wormius noster ex utroq; cordis ventriculo carunculas quasdam emergentes vidit, ut & Bauhinus Anatomicorum Princeps, quod nobis quoq; Patavii pridem observatum. Ut taceam palpitatione cordis laborantem Sacerdotem apud Schenchium l. 22. Obs. cui circa cordis basin excrescentia sex drachm. dependebat. Majoris autem miraculi est os in corde humano à Gemma & Riolano adversum, & illud quod ex cadavere Urbani VIII. P. M. nuperrimè extractum fertur. Platerus etiam osseum quid in palpitatione inveniſſe se testatur l. 1. Prax. Verum cur brutis innoxium, quod exitio mortalibus nobis stat? Ossis ex corde cervino nota & fama & virtus, cujus obscuras ratio-

nes ad te fama & virtute notiſſimum, lubens de volvo, cui à tanto naturæ magiſtro eruditi volupe eſt. Tu interim, Vir cordate, has circa cordis fabricam & vitalium ductuum ſecretos exceſſus difficultates minimo verbo expedi, donec alias generoſo tuo calamo digniores unicornu meum, quod ex prælo brevi eluctabitur, obtulerit. In quo profecto mirari ſubit Ariſtotelis altum ſilentium, inter clara Cteſiæ, Herodoti, Æliani, Plinii, Philoſtrati & aliorum teſtimonia, ut Mercuriali Viro docto perſuaſerit animal hoc nec eſſe nec fuiſſe, ſilente Philoſopho, cui obviam eo animo ivi, qvo Bartholinum decuit. Ad te verò ſummum Philoſophi Interpretem, vel verius Magiſtrum, litis hujus deferam arbitrium, ſi juſſeris, ſententiam mutabo, nunquam devotum animum. Vale publico bono, meq; ama. Pat. 17. Mart. 1645.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LXVII.

De Menſtruo Univerſali.

THOMÆ BARTHOLINO Patav.

PEr mihi gratum feceris, ſi quod commodo tuo fieri queat, ad me quam primum accedere

dere non gravaberis. Sin minus, te rogo ut in hoc tuo itinere meis verbis salute amoris, & officii pleniſſima impertiri velis, Mediolani Illuſtriſs. D. Vercellinum Vice comitem, Clariſſimos D. D. Franc. Bernard. Ferrarium, Ant. Olgiatum & Anton. Salmatiam Collegii Ambroſiani Doctores. Clariſs. D. Jacobum Valerium Canonicum Scabanæ Eccleſiæ. Clariſs. & Nobiliſs D. Cæſarem Burrum. Mantuæ Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D. Scipionem Agnellum Epiſcopum Caſalenſem, ætatis noſtræ decus, Illuſtriſs. D. Comitem Bruſcum Medicum præſtantiſſimum. Curiæ Clariſs. D. Fortunatum Sprecherum. Baſileæ Clariſs. D. Danielem Toſſanum. Lutetiæ Nobiliſs. fratres Puteanos, Illuſtriſs. D. Hugonem Grotium, Clariſs. D. Carolum Labbæum. Clariſs. D. Guilelmum Setonium Scotum. Leidæ ſummum Virum Claudium Salmaſium. Clariſs. Virum D. Fridericum Spanhemium. Amſterodami ſummum Virum Gerardum Johannem Voſſium. In patria tua Clariſs. Virum D. Olaum Wormium. Sicut iter ex ſententia tibi evenire in votis habeo, ita omnium ſucceſſuum tuorum literis tuis certior fieri aveo. Patav. ult. Maj. 1645.

T. Gaſpar Scioppius.

P. S. Per far il menſtruo Univerſale.

REcipe Marcheſita negra netta è fannè ballotte, ſtringendole con le mani, e di quelle empie cinque ô ſei Ritorte lutate fin à mezzo, ma nel liuto di terra ô di vetro aſcende meglio il ſpirito. Dagli fuoco prima lento, & uſcirá lo flegma. Poi come vedi uſcir lo flegma, muta Recipiente ſerando ben le giontùre, & augmenta il fuoco: & uſciranno fumi albi, & ſi convertiranno in acqua, della qual' acqua potrai fare da dodeci fin à vinti boccali. Mettilo per alcuni giorni nel letame di cavallo per putrefattione. Poi comincia à metterlo à deſtillare per cenere con una boccia di vetro col ſuo capello, & uſcirà olio, e nel capello ſi congelerà un ſal volatile, come criſtallo.

Poi abbruccia le feccie della marcheſita, dalla quale deſtillaſti l' acquas in forno di mattoni con fuoco gagliardo. Tira poi fuori il ſal fiſſo con acqua caldiſſima: poi ſi congela ſeconda l' arte chimica. E troverai un ſale bianchiſſimo di fuora, ma di dentro hà color di ſangue inviſibilmente. Li Filoſofi lo chiamano il loro Re, Solè, oro, fuoco, vita, ſangue, & mille altri nomè.

Haven-

Havendo purificato questo sal fisso come cristallo, si unisce insieme col sal volatile e con la sua humidita cavata col sale della marchesita e non con altra acqua: E cosi si fà materia Triuna, quale si fermenta poi à suo tempo.

Del sale volatile.

Questo sale misto con la humidità acquea crea tutte le cose del mondo e sana tutte le infirmita con gran maraviglia. Qualche parte di questo sale misto con l'ª acqua sua cavata dalla marchesita, (o vero con acqua fontana, o del pozzo) sette ò piu volte distillata solve tutti i corpi de metalli fine stretu, e li riduce in olio.

Li Filosofi lo chiamano il lore Mercurio, Spiritum mundi, Reginam mundi, Lunam, Sal armoniacum, Aceto acerrimo, la loro Acqua.

La Marchesita cavata nel mese di Marzo entrando il Sole in Ariete è ottima.

Un altro modo.

Recipe Marchesita ben purgata da ogni cosa estranea (il che si fà Lavendola bene con aqua) tenendola due mesi alla aria e rugiada: Recipe ancora acqua piovana in

vasi di terra invetriati e larghi di bocca, rivoltandola e mescolandola insieme una volta il giorno. Poi fà bollir la Marchesita con tanta acqua piovana che sopra avanzi una spanna per spazio di 12. hore à fouco lento fin che si veda l' acqua piovana pregna di sostanza in modo che non possa capirne piu; avertendo che mentre bolle per 12. hore spesso si rimetta acqua piovana calda sopra, acciò si mantenga sempre nella medesima quantita. Poi decanta, feltra, evapora suavemente in vaso di vetro, ò di terra invetriata: è resterà nel fondo una materia come miele liquido. Mettilo in luogo fresco, e si congelerà in lapilli, altri come ariste di grano, altri come foglie, altri come diamanti, & altri in varie forme. Metti il tutto in boccia à distillare suavemente. Prima uscirà un' acqua insipida, poi un' acqua & olio fetidissimi & acutissimi, doppo un fumo bianco che si congelerà nel capello, in sal volatile. E questa è la fontana del Trevisano.

Se non seguisse la prima volta, si ridistilli di nuovo l' humidita distillata, e seguirà.

Sis

Sis felix, Thoma, fueris quòcunq; ſub axe,
Hocq; tibi ſerva morientis munus amici.

Excellentis ingenii, eruditionis ac virtutis tuæ amator & prædicator idemque mortis beatæ candidatus

Theophilus Montanus
quem noſti
i. e. Gaſp. Scioppius.

EPISTOLA LXVIII.

An cruor in vulneribus thoracis per pulmones illæſos ad fauces feratur?

THOMÆ BARTHOLINO. Patavium.

MARCUS AURELIUS SEVERINUS.

SUper eo problemate, quod à plerisq; controverſum eſt, vitii *lateralis*, an hoc ſibi ſedem determinet pleuræ, vel pulmonis, quo via pateat eruendo partis alterius, veriori decreto, declarandam ex me voluiſti petitionem, num ſub plagis penetrantibus in vacuitatem thoracis, pulmonibus nihil attactis prodeuntem unquam ex faucibus compererim cruorem. In quam equidem quæſtionem, ut verum fatear, meam aperire ſententiam

cunctatus fueram, quia cum, humaniſſime Vir, judicio meo tribuas ſupra quam par eſt, veritus equidem ſum, ne ſolemni hac inter doctos controverſia dudum extante, conſuetus ipſe decoris mei nunquam negligere uſuram, hac eadem, quam agnoſco nullam, in medium proferendam, uti velles autoritate: Quod ſi ad tui ſolius uſum, placitumq; privatum certus ego fuiſſem, criſim expoſci meam, expeditior calamus, deliberatior animus obſervationem reſcribere ſtatuiſſet. Interim verò ne debito deeſſem meo, ſedulitati ſatisfacerem tuæ, doctiores amicos conſului, qui communi ſic conſenſu cenſuere. Sub vulneribus trunsfoſſi quidem thoracis, verum non ſauciati pulmonis pro explorato ſibi eſſe, ſuffuſum pectore ſanguinem ex ore ſæpe rejectatum; ſic in Empyematis nihil temerato corpore pulmonis educi diu viſam purulentiam. Ex quo tabis diſcrimine poſt longum ſervatis hominibus apparere potuit demum nil reſpiratorii viſceris violatum. Nimirum ab hocce periculo, nullus unquam reſtitutus empyicus fuiſſet, ἀνίατα ſiquidem, & ἀσύμφυτα ſuapte natura præter aliquot caſus, qui miraculo fuerunt, obſervatione vulgata comperta ſunt ulcera, vulneraq; pulmonis. Atqui pulmo nil mali

poſt

poſt Empyematis exſiccatum, poſt vulneris ſolidatum perpeſſus reſtitit, longa ſeqvuta ſanguinis purisq; rejectione. Quæ puris à profunda ſede thoracis ad os ſuperius eructatio neq; difficilis, ſi verum amemus, videri debebit, eo ſpectato, quod & alia pulmo corpora in ſemet transumere conſuevit. Quod teſtimoniis obſervatorum non paucis relatum eſt, è quibus unus Nicolaus Tulpius in 2. ſuarum Obſervationum cap. XV. perhibuit, & ſolidum penicillum, ſeu per medentis, ſeu per ægrotantis incuriam è plaga perfoſſi thoracis, in hujus inanitatem demiſſum, poſt aliquod tempus naturæ miniſterio per os expulſum: Verba ſunt ejus hæc: Danus vulneratus in bello Germanico, & negligentius à Chirurgo habitus, attraxit in thoracis vacuum turundam plagæ impoſitam; ſed poſt menſem ſextum excrevit eandem iterum per os; ſed qua via difficile dictu; valuit tamen deinceps ſatis pancraticè, & ſuſtinuit ſatis animoſe, quibus equidem, & ipſe præfui, variolas curans. Si ſapis Chirurge fuge hunc ſcopulum, & conſtringe potius filo linamenta, quæ immittes in lubricum pectoris vulnus, quo reſiſtant potius thoracis ſuctui, qui interdum tam validus eſt, ut per exilia diaphragmatis foramina at-

traxerit nonnunquam in se non modo ventriculum, verum etiam non exiguam intestini cœci partem, teste Paræo lib. 9. c. 30. Hæc ille. Quia verò commemoratus est Paræus, & hic etiam Vir præclara duo prodidit testimonia, quæ monstrant in thoracis saucii sinus injectis medicamentis amaris, horum sensum ad os usq; perveniſſe; quod fieri profecto nequisset, nisi medicamenti portiuncula palatum & fauces attigisset; attigit autem ex ventre præcordiorum ad pulmones, & ad arteriam, & hinc ad linguam delata. Ambrosia non pigebit verba referri: Postera luce aliam injectionem validius detergentem paravi addito absinthio, centaurio, aloe. Sed hinc tantus amaror in ejus os surrexit cum nausea, ut diutius sustinere non posset: tum subiit in mentem, quod olim paris rom ad parem fortunam in quodam, cui fistulosus erat ad thoracem sinus, in Nosocomio Parisiensi observaveram. Itaq; cum animo repeterem res ejusmodi amaras facile transumi in pulmonem, indeq; in asperam arteriam, fauces, atq; os assurgere, professus sum, me nunquam ejusmodi amara ægris exhibiturum: hinc enim multo plus molestiarum accedit, quam fructus, & emolumenti. Cæterum hac & simili arte tandem

æger

æger ille præter meam exſpectationem convaluit. Hæc Paræus. Cæterum quod ex me quæris, omniſcie Bartholine, num ex ore nil læſo pulmone rejectus fuerit aliquando ſanguis? Scilicet idem ipſe Paræus hoc eodem, quem nuper aſſignavi, libri loco profeſſus eſt, ſanatum ab eo militem Lutetianum, cui ſecundum thoracem confoſſo, ſanguinis ingens in ſeptum transverſum effuſio facta eſt, quem tuſſi ſæpe rejectabat cruorem. Verum enim verò quid Ambroſium nominavi, non priorem Galenum, qui lib. VI. de Locis male affect. cap. IV. monſtravit è pectoris lacunis, Natura curante, ſublatum pus ad rimoſas pulmonis intercapedines, inde ad biclinium cordis lævum, & hinc per aortam ad emulgentem ſiniſtram, atq; ad veſicæ vias deduci ſolitum pus. Cæterum qua via, quave ratione materiei hæc transpoſitio fieri poſſit; hoc explanatu non eſt ita facile. Nonnulli, de quorum numero Gal. fuit, in com. lib Aphoris. ad ſolam naturæ providentiam vias invias adinvenientis, adſtruxere; alii verò tunicam corpusq; pulmonis maximè poroſum allegavere. Mihi placuit tum ad motus vim perennis, tum & ad eum pulmonis ſuperni, tum diaphragmatis inferni complosum referri, quemad-

quemadmodum in Opere de Absc. in consultatione singulari pag. Franc. 55. declarasse memini. Hactenus de his carptim, & compendiosè, quæ tu, sapientissime Bartholine, qua viges ingenii facundia, qua styli polles disertitudine, commode valebis exercere ac ac dilatare. Interim vale, & amorem mei fove, foveq; Clarissimorum Virorum Veslingi & Rhodi gratiam. B. Vale. Neapoli III. Kal. Junii M. DC. XLV.

EPISTOLA LXIX.

An aqua ex latere Christi effluxerit ex cavitate thoracis vel pericardio?

THOMÆ BARTHOLINO. Patavium.

HIERONYMUS BARDI, F. P. P.

NIhil mihi unquam antiquius fuit quam de Rep. literaria benemeritorum Virorum amicitiam inire, quod mihi ex voto perbelle nunc accidit, dum tuæ cumulatissimæ literæ opera & industria P. Aprosii Poëtarum & minervæ mancipatorum antesignani, cui vel hoc solo nomine me plurimum debere profiteor, ad me deferuntur. Enimverò tuarum laudum cumulo me mirum in modum cohonestasti,

Vir

Vir omniſcie & politiſſime, ſed extra lineam, & orbitam meæ tenuitatis tua ſunt encomia, cum quantus quantus ſim omnis prægnoſcam: tamen quod tuis delicatiſſimis labiis mea placuerit opella maxima ſum delectatione affectus. Sed quid mirum, quod à tanto Viro bonarum artium amantiſſimo, tanta præconiorum ſeges pullulaverit, non erit utiq; admirationi locus, ſi omnium ore decantatum occupetur, quod tui Doctiſſimi Patris veſtigia proſequens, & longè ſuperans ſis

Mercurialium cuſtos Virorum.

Verum enimverò tuo patrocinio præmunitus Zoilorum tabidam luem me inficere poſſe impoſterum non pertimeſcam. Meus igitur eris verus Apollo, mea altiſſima minerva à cujus fecundiſſimo Capite cum ſcientias omnes effluxiſſe finxerit antiquitas, verè ab indeficienti tuæ virtutis, & gloriæ Patris tui fonte manaſſe, vel apud Te firmam ſedem fixiſſe cum Encyclopædiâ omnia occupet, apud omnes melioris notæ Viros ſine fuco, & invidia neceſſe eſt ut in confeſſo habeatur, quo factum fuit ut prima ſubſelia typis inclyta cum Patre tuo occupaveris. Grates igitur quas poſſum, ſi non quas debeo tuæ maximæ humanitati rependo, meq; tibi addictiſſi-

dictiſſimum eſſe ſcias pro tanto in me collato officio, & beneficio, & pro majori eorum pondere quo à tua humanitate occupari in votis habeo. Limam à domeſticis tricis prorſus ſolutus aliis operibus adhibeo, ſed quibusnam typis exarandis prorſus ignoro, cum tumultuoſorum bellorum fragores torcularium ſtrepitum impediant, & librorum negotiationem prorſus tollant, ſunt ad umbilicum perducta omnia à me promiſſa opera præter Medicinam ſacram quam ad incudem revoco. Verte igitur, eruditiſſime Vir, ingenii tui vaſtiſſimi digniſſima promptuaria, & quidquid boni habes mihi libenti animo aperias, & liberè ſententiam tuam proferas pro meæ Ideæ Med. ſacræ opella, cum eam tuæ Cenſuræ, penicillo, & ſpongiæ ſubjiciam, tuus enim erit in mea Medicina Sacra digniſſimus locus, & favoris tui ampla commemoratio, & ſi quos libros mihi favere cognoſcas admoneas, cum tui commentarii ad nos non perveniant, dies enim diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, quod mihi indies ſemper accidit, & cum nil ſit ſub ſole novum quo ad ſubſtantiam, tamen quo ad rationem ab autoribus perpetratur, quod etiam à me factitatum in meorum operum argumento

per-

pertractando esse profiteor, cum alienam orbitam calcare semper abhorruerim.

Venio nunc ad quæsita mihi proposita, quibus ut ingenuè satisfaciam, & quid liberè sentiam proferam hic habes ut tuis mandatis obtemperem; velim tamen quod pro mercede tui Patris, & tua commentaria ad me deferri cures, ut meam emendem opinionem, & tuis dictis acquiescam. Quæris igitur primo de Aqua lymphaq; illa, quæ cum sanguine de Christi Domini mortui latere effluxit, an ex pericardio, seu cordis tunica exsilierit, an potius ex pectoris cavitate, ut Tibi Patriq; tuo Viris doctissimis placuisse asseris; sed non possum opinando tuæ adjungi sententiæ, nam Christi Domini temperies perfectissima ab humorum cruditate immunis quam maximè fuit, nullis rheumatismis obnoxia, nullisq; morbis, ut Theologis omnibus visum; & quanquam in immani passione diris cruciatibus refertè, probabile videri possit à calore destitutum sanguinem aqueis humoribus respersum fuisse, morte inprimis ipsa accedente, nihilominus ab excessu frigoris non aqueus, non fluidus, sed crassus evadit sanguis, fluxuiq; ineptus, ut in cadaveribus dissectis apparet. Nec dissentio à quibusdam Theologis,

logis, qui nulla excrementa in Chriſto Domino agnoſcunt, non quidem ipſum ſputum, non ſudorem, non alia craſſiora excrementa, ſed de hac re alibi. Scio tamen non primos vos Proceres Viros fuiſſe qui contrarium ſenſerint, nam Abulenſis Vir faſtigiatus in omnibus ſcientiis, nam ſcibile diſcutit omne, ex ejus Epitaphio, aliiq; id opinati fuerunt, ſed Medicos in hanc iviſſe ſententiam ignoro, & quos tecum cum tuis argumentis tuam ſententiam fulcientibus ſcire percupio.

Sentio ego ad ictum Tribuni divinos latices effluxiſſe fracto lancea pericardio, in quo aqua perennat ad cordis exæſtuantis refrigerium, ut placet melioribus anatomicis Bauhino, Salomoni Alberto, & aliis, & Præceptori meo Cabeo de Philoſophia Magnetica meritiſſimo. Ut id opiner facit Hippocratis inprimis autoritas, qui lib. 1. de Corde. *Cor*, inquit, *tunicam circumdantem habet, & in ipſa aqueus humor, ut putari poſſit in veſica diverſari cor, factum eſt autem ea gratia ut ſanum in cuſtodia efflореſcat.* Nec aliunde putandum eſt hujusmodi lympham emanaſſe ad ictum divini lateris, in quo inerat hujusmodi Veſica, ſicut in reliquis humoribus omnibus adeſt, cum citra miraculum aqua ab aperto eo latere mana-

manarit, citraq; humorum crudorum, & excrementitiæ aquòſitatis proventum. Dixi *citra miraculum*, non quod ablegem omnino ſupernaturalem influxum, hoc enim eſſet impium arbitrari cum nonnullis, ſed quia ſubſtantia illa in pericardio perennabat antea, absq; novæ aquæ productione, ut inter alios etiam docet inſignis Anatomicus Laurentiùs 9. 8. Igitur quoad ſubſtantiam nihil erat quod miraretur natura, ſed modus egreſſus miràculi ſtuporem effecit. Sanguis enim illico cum aqua effluxit ſanguine ab aqua non diluto, ſed florido atq; germano, ſicut limpida omnino exiit aqua, non infecta, ſed clara, nam *continuò exivit ſanguis, & aqua* ut habetur apud D. Jo. c. 19.

Scio D. Thomæ aliter cenſere viſum eſſe 3. p. q. 66. ar. 4. ad 3. ut vetuſtiores omittam, qui miraculum etiam ab ipſa ſubſtantia non ſeparant, quos ſeqvuti ſunt recentiones Theologi eximii Fr. Suarez q. ſi ar. 3. ad 3. & ante ipſum doctiſſimus Salmeron tom. X. tract. 47. de apertione lateris Chriſti mortui. Mald. in cap. 27. Matth. Sed ſi cum Anatomiæ inſcii fuerint videntur meritò excuſandi, ſi cum rei natura philoſophati non fuerint, in Theologicis potius verſati. Multa alia eſſent à me adhi-

benda quæ cum Epiſtolæ limites transcendant, in præſentia libere ſilentio involvo, & hæc ſatis ſunto, quæ æqui boniq; conſulas prolata à vero & candido veritatis philoſophicæ Profeſſore, præſertim verò ut tuis juſſis obtemperarem. Quod ſecundo loco à me requiris de hyſſopo Chriſto Domino morituro ab Hebræis propinato, nusquam legi, ſi ſeſe obtulerit aliquid, quod legendo eligam, in medium proferam, & à quo originem ducat hæc traditio ſcire percupio, cum de hyſſopo pertractet doctiſſimus Lemnius de Herb. Biblicis. Sed de eo nulla huic mentio habeatur. Cæterum vale iterum atq; Vale mæcenas auguſtiſſime, meq; tuis in me maximis pro meritis neceſſes condecorare. Napalli ex meo Muſæo Idibus Septemb. 1645.

Impreſſ. Leidæ 1646.

EPISTOLA LXX.

De Hydrope acclamatio.

HENRICO FUIREN Baſil.

THOMAS BARTHOLINUS. B. A.

QUod aquarum colluviem & exſurgentes inde humanæ vitæ inſidias ſub doctio-

rem

rem calamum vocaveris, mirabitur fortaſſe iniqvus Cenſor. Non miror ego, & in ſinu gaudeo quod opinionibus ab illo diſtem. Ingenium enim tuum novi & generoſi pectoris impetus, quod colluvies & morborum & hominum ſusq; deq; habeas, quibus in luto ſe volutare adeò eſt volupe, ut in hoc palmam ſordidis manibus quærant. Quærant dum velint. Nunquam ab erectis mentibus harum deliciarum, quas nitidiſſimo ſcilicet porcorum gregi debent, impetrabunt commercium. Tu dudum huic conſortio valedixiſti, antequam lucem videris, quæ ſuperum riſu, nativitatis ſplendore & cultiſſimi genii favore tibi cluxit. Et quoniam univerſi fluentium rerum curſum aquæ juxta mutabilem, animo plusquam conſtanti intueris, non poterit firmam mentem in contrarium flectere orbis ſimulacrum, mutabiles elementorum vices, aut fallaces principiorum ductus. Quidquid ex corporis ſimilitudine communi ſorte circumfers, licet aquæ ſubjectum, animo paret qui igneæ divinitatis & ætheræ conditionis portionem mutuatur. Fruſtra erunt, qui adiment, quod certatim ſuperi contulerunt, & quod ſibi denegatum ſciunt, ne inferiores aut ad ſtygias aquas damnati videantur, furtivis vocibus invident.

Quid hos moraris, qui ex ſe ſapiunt, & ex lutulento naturæ ſuæ fato te metiuntur? ſimiles ſanè videntur in mare perituris, qui in aliorum excidio ſalutem quærunt. In vado es, terras legis, mox cœlum, quid ſuſpirantes in mediis aquarum anguſtiis reſpicis, qui animi ſui iniquitate ad inferos veluti ſuſpenſo pondere trahuntur & invitum genium ducunt jam jam ignobili elemento periturum. Emerſiſti ingenti felicitate, & aliorum naufragia ſecurus in portu ſpectas. Virtutis hoc non fortunæ opus, quæ cunctis ſubinde favet quibus volubilia abblandiuntur. Tu tamen infra virtutem non putaſti aquarum in corpore turgentium rivos exhaurire. Quid dicent, qui altiore à tanto calamo exſpectarunt. Vis dicam? Jovem lapidem jurarim, niſi ſe turpes dederint. Neſciunt etiam ad cœlos aquas pertingere, quia ſacra ob profanam mentem excidunt, & aquas ſua Numina condere. Quid quod immortalitatis hieroglyphicum ſit indivulſus aquarum fluxus & famæ duraturæ. Quæſo continuum liquidorum nexum dividant, qui in aquis infelices ſapiunt, & nudam virtutem monſtrent. In ſe recurrit quod elabitur, & poſterior priorem trudit, partes habet, ſine partium diſcrimine, videmusq; quod præteriit, & præ-

& præſens eſt quod futurum credimus, in orbem fertur quod manſurum putamus & ſui copula manet quod fuit diviſum. Æternitatis hoc exemplar preſſius imitaris qui in aquis inveniſti, quod ſeculi infelicitas texit, & in iis triumfas quæ incautos oppreſſit, immortalitate indignos. Diluvium invida mortalibus ſors corporibus ſæpe indixit, & aquas minitantur aquæ ventris utere conditæ. Tantalo miſeriores ſitim cum anhelante anima explerunt. Tu calidiores Phœbi radios orbi inducens terris ſiccitatem, lymphaticis ſalutem, utriq; ſecuritatem erudito ſcripto promittis. Et ne quid ad laudem deſit, inſitum naturæ ſuæ liquorem liquor abjurat, ut tibi ſuperiori imperium deferat. Hoc demum etiam inviti non recuſabunt inſcriptum aquis permanſurum nomen. Obſcura aliorum merita abſorbent lymphæ. Tu famam perennaturo aquarum motu ad alios ſoles deferendam innoxiè trades. Sed jam fluentem cum aquis pennam ſiſto. Votum ibit, & poſt ſæcula reverſum ſubſiſtet. Vale, mi Conſobrine, vel eo nomine ut invidiam ſuperes. Baſileæ Octobr. cIↃ IↃc XLV.

Impreſs. Baſileæ 1645.

EPISTOLA LXXI.

De Hyſſopo in cruce Chriſti.

THOMÆ BARTHOLINO Patav.

HIERONYMUS BARDI F. P. P.

SCripſi D. V. nusquam me inveniſſe in Sacris Bibliis Hyſſopum formaliter propinatum fuiſſe mortuo Redemptori noſtro. Verum cum de Hyſſopo multiplex ſit mentio, de quo tamen Lemnius oblitus eſt, rem benè meditanti occurrit Auguſtinus & alii antiquiores, qui ſpongiam aceto plenam Hyſſopo ſeu ramuſculis Hyſſopi, quaſi funiculis circumponentes arundini, ſcilicet ne ſpongia dilaberetur, & ut acetum virtute Hyſſopi condiretur, aperiunt. Verum malim fortaſſe cum Eſtio, & quibusdam aliis dicere vitio Typographorum, vel Scriptorum poſitum ὑσσώπῳ, pro ὑσσῷ, id eſt pilo, haſta, telo, vel ut Marcus cap. 15. verſ. 36. calamo, ut Matth. cap. 27. v. 48. arundini. Primum tamen etiam poteſt ſuſtineri, & ſi dixiſſent Hyſſopum, nullam mihi faceſſeret difficultatem, & exiſtimo fuiſſe Hyſſopum noſtratem amariſſimum, ad experiendum an ſenſus guſtus mortuus eſſet, illa enim amaritie acuitur acetum, vel ad illuſionem, quam Judæi impii maximè attectabant.

bant. In lubrico laboranti hæc ſunt quæ addere poſſum ut tuo quæſito ſatisfaciam, quæ æqui boniq; conſulas à candido amico tibi obſequio mancipato.

Addo quod unus militum lancea latus ejus aperuit, ut exploraret (ſecundo ſigno) an certo mortuus eſſet, inquit S. Cyrillus. Putat Cornelius à Lapide in Zacch. c. 13. v. 1. non ſolum latus ſiniſtrum, ſed etiam dextrum apertum fuiſſe, verum huic meditationi opponitur ſanctiſſima Sindon Taurini aſſervata in qua obſervatur unicum tantum vulnus. Impacto autem vulnere continuo exivit ſanguis, & aqua vera, & elementaris inquit idem Cyrill. & Innoc. 3. lib. 3. Decret. tit. 41. de celebr. Miſſ. c. 8. In quadam. Non quæ ex reſolutione mortui corporis nata fuerit (ut ſentit idem Innoc. verum minus probabiliter, quia Chriſti corpus, &ſi anima deſtitutum corruptionem non ſentit Pſalm. 15. v. 10.) ſed quæ in Pericardio receptatur ut docent Anatomici, & Jo. Bapt. Ruſchius Anatomicus Piſanus ad me nuper reſcripſit in quocunq; ſecto cadavere magis vel minus obſervaſſe. Verum quid in vivo vere ſit corpore quis ſcit? Cæterum hac pericardii perfoſſione ſimplici mortis Chriſti omnino plena facta eſt fides, inde

enim aqua promanante certum dabatur ſignum lanceam pericardium penetraſſe illius aquæ receptaculum, quo vulnerato neceſſe eſt protinus animal omne mori, ſed & Cor penetraſſe etiam dicere debent, cum exierit ſanguis, ſicq; confoſſum eſſe, & lanceam innum pectus penetraſſe. Sed quid dicet Tileſius, & cum eo Campaniſtæ, qui animal vivere poſſe etiam corrupto aliqua ex parte corde obſervari omninò putant, quibus quanta ſit fides adhibenda neſcio. Peroptarem Parentis tui libellum, & argumenta pro tua ſententia. Admoneas quæſo quos ſcias mihi aliquam luculam allaturos pro mea medicina ſacra ferè ad umbilicum perducta, ut fiat luculentior, & qui novi iſthic procudantur, qui noſtro genio & ingenio poſſint deſervire. Vale mi amantiſſime, meq; tibi deditiſſimum eſſe ſenties pro innumeris in me tua dulciloqua epiſtola quæ operis frontem occupabit, collatis beneficiis. Vale Medicinæ decus eximium iterum atq; iterum. Napalli ex meo Muſæo Kal. Decembris 1645.

Impreſſ. Leidæ 1646.

EPISTO-

EPISTOLA LXXII.

De latere Chriſti aperto Reſponſio.

HIERONYMO BARDIO Genoam.

THOMAS BARTHOLINUS, S.P.D.

DUdum humaniſſimis tuis reddidiſſem vices, niſi pudore ſuffuſus an forſan ad alium potius quam me ſpectarent, diutius deliberaſſem. In nomine ſanè tituli erraſſe ſuſpicio non levis fuerat, qvum eas laudes in me non agnoſcerem quas plena manu largiebaris. A me tamen impetravi ut crederem laudaſſe te impenſius illum quem amabas vehementius. Unde affectus potius tui hæc ſigna interpretor, quæ meritum meum quanqnam transgrediantur, infra nimium tamen amorem ſubſiſtunt: quem vel ideo majoris æſtimo, quod inſigni eruditione temperata inſtitutum meum non parum videantur promoviſſe. Ea docto calamo excutis, in quibus multa ſecula laborarunt, non ita pridem ſudavi ego. Sed doleo te à noſtra ſententia diſſentire, qvum tantum Virum partibus noſtris optaremus. Æquior tamen fores ſine dubio, pro candore, quem oſtendis, ſententiæ meæ, ſi levia illa vidiſſes quæ olim pro novo cavitatis thoracis ſero in publicum expendi. Nunc

quia hanc mihi imponis neceſſitatem, in tuis verſabor, ut amicus, qualem ſingularis tua humanitas me adoptavit, planè amico calamo. In utraq; Epiſtola elegantiſſima id agis, ut pericardium vulneri lanceæ patuiſſe demonſtres, coq; confidentius, quo ibi aquam fluxui promptam reperiri, Medicorum placitis ſit ſtabilitum firmius. Ad ſcopum omnia fere collineant quæ ſparſim leguntur, nempe de perfectione corporis Chriſti & ſanguinis natura. Verum enim vero nihil illorum plane eſt quod non pro liquore thoracis æquius pugnet, quam pericardio. Nam quod perennem aquarum moram in pericardio propugnas, non repugno, modo id quoq; mihi des, perennem etiam in capacitate thoracis inveniri, quod ſatis hactenus à proſectoribus diligentioribus obſervatum, ſuadetq; ratio invicta. Nulla enim pars cava in corpore reperitur, quæ non ſuo complexu humorem quendam contineat, ut per ſingulos ventres diſcurrenti innoteſcet. At enim major neceſſitas liquorum in thorace, partim quod ſiccior ob oſſium viciniam ſit hæc regio, partim quod perpetuo motu manifeſtius agitentur hic viſcera, unde, quo commodius id fiat, liquorum ſubſterniculo indigebant ne ad partes duri-

duriores allidérent. Quemadmodum enim cordi prospectum crumena illa lymphatica, ita aquam totius cavitatis, reliquis partibus in thorace & ipsi capsulæ cordis, ut molle stragulum, substravit Natura. Hanc verò non humorum cruditas in Christo produxit, quod tuum argumentum est, sed nativa corporis temperies, quæ quo magis ad sanguinem probum accedit, eo plus sanguinis serosi excernit, sine quo nempe sero cruor nec est nec fluit. Christi autem temperies sanguinis probi mixturam habuit plurimam, ut testantur Eusebius & alii Patres: unde non mirum, serum hoc sanguineum copiosius à prima nativitate parietes thoracis inundasse: quoq; cor temperatius, eo quoq; minus seri discutit naturalis. Igitur quod ex Christi perfectione desumis argumentum, pro me militat. Sed non cogar huc me conferre. Fateor enim nativam Christi temperiem nihil pravorum humorum produxisse, quia perfectissima; at à causis externis, vigiliis, cruciatibus, itineribus, vulneribus & mille tormentis quid non præter consuetam naturæ divinæ perfectionem productum credimus? Ad hæc sano sensu id accipiendum, nihil pravorum humorum in corpore Christi generatum. Quod verùm quidem si de præ-

terna-

ternaturalibus loquatur excrementis, ſecus ſi de naturalibus, quæ etiam perfectiſſimam temperiem neceſſario conſeqvuntur. Sputum enim, ſudores & alia excrementa hominis perfecti neceſſaria imperfectio, quam non potuit effugere Salvator, partim quia per omnia nobis, excepto peccato, fertur ſimilis, partim quod non ſemper optimis uſus ſit cibis in itineribus perpetuis, vel ſi maxime exquiſitum victum habere potuiſſet, ſuperflui tamen humoris pluſculum omnia condunt quæcunq; hominum animaliumq; ori deſtinavit Numinis indulgentia, ut in ſubſtantiam noſtram verti cunctæ particulæ nequeant. Idq; de Salvatore innoxie dixeris, quem ſcimus manducaſſe, bibiſſe, dormiviſſe, ambulaſſe & quid non egiſſe ut ſe hominum cunctis actionibus, quæ ſecundum naturam ſunt, ſubmitteret: ſputum emiſit qvum luto miſceret ad curandum cæcum, & ſudavit ingruente martyrio, & ſine dubio non parum ſeri in thorace collegit, quod, aperto poſt mortem latere, emanavit. Non me movet frigus extincti corporis, quo ſanguis condenſatus fluxui ſit ineptus. Primo enim frigus non ſtatim corpus Chriſti cum morte invaſiſſe norunt illi, qui morituris adeſſe ſolent, integro ſubinde die poſt animæ exilium

per-

permanere in cadavere calorem superstitem, me teste, confirmantes, ut nulla congelatio liquorum in Christi corpore, quod brevi interposita mora aperuerunt, potuerit induci. Adhæc in cadaveribus etiam frigidis jam, nulla unquam congelatio observatur ab Anatomicis nostris, nisi in grumos subinde abeat, quin fluxilis manet semper seri liquidi beneficio. Quod si vel maxime obtinuisses cruorem congelari, nunquam sane evinces serum sanguineum posse concrescere. Manet quippe liquor, & ubiq; humoris fluidi servat conditionem. Si me urgeas ulterius, ipsum te ad te remittam, quia concedis Pericardii aquam fluxisse & sanguinem cordis, certissimo indicio, etiam propria confessione, non concrescere mortuorum liquores. Hinc autem qvum fluorem illum repetere possimus, non necessarium reor ad pericardium remotius confugere, varias ob rationes alias. Quippe non statim exiviſſet, sed mora interposita. Præterea non extra latus effluxisset, sed ad inferiora loca interius concidisset. Ad hæc latus nec pericardio, nec cordi attribuitur, quod perforatum urget Scriptura. Novi quidem Præcordia lateris dici apud Poëtam Medicum cujus MSum possideo membranaceum.

Cum

Cum dolor insanus lateris præcordia pulsat.

Sed *lateris* non ad præcordia referendum quum solum ponitur. Urget enim Poëta, insanum lateris dolorem etiam sensum mali ad præcordia deducere. Πλευρὰ solius est lateris externi thoracis munimenti, ubi vera fit πλευρίτις, nec unquam cordi, vel pericardio consignatur, quanquam de pulmonibus aliqua ex Coo nostro sit dubitatio. Nolo omittere aquam pericardii illam non fuisse quæ effluxit. Nam illa simplex est, urinæ non absimilis, ut depingunt Auctores nostri. Hæc autem sanguinea fuit & tincta rubore, qualis in capacitate Thoracis apparet ubiq;. Scio sanguinem te cum non nemine à Corde advocare. Sed vulnus profundum adeo vix concipio. Punctura enim comparatur. Et in Romana, Complutensi & Plantiniana editione κατωρχήσαντο constanter legas, hoc est, insultarunt. Quod agnovisse & videtur B. Hieronymus, nec non 70. Interpretes. Præterea ex mente istius vulneris, quod inducitis, liquores seorsum non mixtim fluxissent, cui tamen Patres plurimi & vis vocabulæ κοὴ apud Euangelistam repugnant. Non potuit seorsum fluere sine

mira-

miraculo, quod hic citrá impietatis culpam, planè excluſerim. Enim vero ſi in ſubſtantia, quod concedis, nihil miraculoſi, cur quæſo in modo effluxus mirabilia ponimus? quum ita fluat quemadmodum ſecundum naturam aptum eſt fluere. Meo judicio non opus erit confingere duplicem motum aut diverſum, nec binos liquores diſtinctos, quando & unus motus ſufficit & uni motui ſimplex ſerum, ſubſtantia ſua aquam, colore ſanguinem monſtrans. Quod niſi fallor alibi variis demonſtrationibus obtinuimus. Vehementer ſanè doleo adeò obtuſo me natum genio, ut percipere non poſſim qua neceſſitate Cor aut pericardium debuerint pertundi, ſi quidem ex ſola pleura perforata omnia potuerint perſpicere quæ ex corde & pleura vos urgetis. Vultis ut ſigna vitæ vel mortis perforato corde de ſe daret: profecto majorem doloris ſenſum ex pleuræ membranæ læſione quam ſeu ex corde craſſiorum partium ſeu pericardio minus ſenſibili oſtendiſſet. Acutior enim membranæ pleuræ dolor, & acrius ſe movet compuncto latere cruciarius quam tacto corde, quod experiuntur illi infelices quibus in Empyemate coſtarum tunica aperitur. Fallax quoq; ex corde & pericardio vitæ experimentum

tum deſcimus, quum pericardium ſine noxa vitæ poſſit aperiri, imo deeſſe, ut in Echino terreſtri, nec vulnera cordis lethalia ſint omnia, ut optimè quoq; inſinuavit Tileſius tuus, cui cur non ſit adhibenda fides, quum ei plurimorum adſiſtat auctoritas, alibi à me adducta? Vivimus enim quamdiu movetur reciproco motu cor, quod etiam in vulneratis perſiſtit & corrupto ex parte corde, quanquam imperfectior. At imperfectiorem motum cordis in tota paſſione facile divines, quia ad omnem injuriam patuit. Vulnus lateris non hoc fine inductum indicat Euangeliſta, quia jam viderant eum animam exſpiraſſe, ſed à petulantia mera militis, ne ſine vulnere eſſet poſt fata quum reliquis frangerentur oſſa, id ſolidum dependebat. Addo ad majorem fidem, nec cor nec pericardium aperta fuiſſe, quia ſolum latus S. Thomæ monſtravit inſpiciendum. Ex qua hiſtoria rectius de ſimplici unius tantum lateris vulnere judices contra Cornelium à Lapide, quam ex alio ſigno, quo omnium fere Interpretum Verſiones conſpirant. Hæc breviter ad pericardium à te defenſum reponere volui, donec plcniorem rei explicationem ex Opuſculo meo hujus argumenti ipſe hauſeris, quando ad te mittendi

dabitur

dabitur occasio. Non quod te docere vel intendam, vel desiderem, qui inter hæc sacra quotidie versaris, sed ut curiositati tuæ morem geram ad quævis mutui obsequii officia paratus. Tu interim æquata lance quando expenderis cuncta, quid ulterius tibi de nostris responsis sit animi, candide, ut soles, perscribes, simulq; quid doctior pollex in promisso opere premat, amice monebis, ut commodius autorum operi instituto proficuorum catalogum, quem expetis, tibi pertexam. Tuus enim sim ad quævis amici vota, si in amore incepto paria non sis omissurus. Vale, Vir Doctissime, cum Aprosio nostro & Ruschio, meq; ama.

EPISTOLA LXXIII.

Fernelii Epitaphium.

Jo. WALÆO Leidam.

POst Helvetiam relictam Parisios revertimur hyemem traducturi. Dum de amicis solliciti apud curiosissimum *Patinum*, intelleximus bene valere quamplurimos, inprimis *Walæum*, gaudio exultavimus, & lætitiæ testes has literas expedivimus donec futurum Ver ipsos nos junxerit. Interea ne inanes magno

temporis tui pretioſi diſpendio compareant, lectionem magni Fernelii nomine tibiq; grato interpungam. Quanti facias *Fernelium*, teſtari poſſumus, qui Te Fernelii monumenta olim explicantem, non ſemel audivimus & hoc nomine nobis adhuc gratulamur. Extat ejusdem Epitaphium hic Lutetiæ in templo D. Jacobi de Macello, quod, quia nusquam legi, placuit exſcribere, Tibiq; mittere:

Deo immortali Opt. Max. & Chriſto
Jeſu hominum Salvatori ſacrum.

JOANNI FERNELIO,

AMbianenſi, Henrici II. Galliarum Regis Conſiliario & primo Medico nobiliſſimo atq; optimo, reconditarum & penitus abditarum rerum ſcrutatori & explicatori ſubtiliſſimo, multorum ſalutarium medicamentorum inventori, veræ germanæq; Medicinæ reſtitutori: ſummo ingenio, exquiſitaq; doctrinâ Mathematico, omni in genere Philoſophiæ claro, omnibusq; ingenuis artibus inſtructo, temperatiſſimis ſanctiſſimisq; moribus præ-

dito,

dito, ſocero ſuo pientiſſimo, Philiber-tus Barjotius ſupplicum libellorum in regia Magiſter, magniq; Regis Conſilii præſes, affinitate gener, pietate filius, mœrens poſuit, anno à ſalute mortalibus reſtituta M. D. LVIII. Obiit XXVI. Aprilis, Anno M. D. LVIII. Vixit annos LII.

Magni hujus Pariſienſis Doctoris veſtigia legunt alii adhuc ſuperſtites Doctores Pariſienſes eruditi, qui cum magna laude & bonis ſuis ægrorumq; rebus medicinam facientes, ſcholæ hujus ornamenta ſingularia ſtorent. *Jo. Riolanus* ad hanc claſſem ſpectat, vivens adhuc valensq; redux ab itinere decennali cum Maria Medicæa, quam ad tumbam duxit. In ſcholis theſin propoſuit de circulatione ſanguinis, quam ſuo modo correxit. Inviſere ſenem moroſum animus fuit hiſce diebus, ſed diſſuaſit *Ren. Moræus*, quia mihi non faveret quod in nervis pudendorum contradixerim parenti illius. Ægrè quamvis feram magnorum Virorum inimicitias; Tamen obfirmandus erit animus, ſusq; deq; ferendum quod mutari non poteſt. Laudatus *Moræus* candoris, gravitatis & eruditionis laudem meretur. Ingenio, of-

ficiis & varia promptaq; lectione eminet G. *Patinus*, totus noſter, cujus nuper filium *Carolum Patinum* nondum natum annos 13. in collegio Prælео-Bellovaco de Philoſophia erudite reſpondentem audivimus. Eſt autem gymnaſium Prælео-Bellovacum, illud idem, in cujus aream decidit è ſummo tecto *Petrus Ramus*, ejusdem gymnaſii Gymnaſiarcha, in laniena Pariſienſi, anno 1572. à perditiſſimis ſicariis quammultis vulneribus miſerè confoſſus. Non prætereundus *Jac. Mantelius*, qui magno merito majorum gloriam tuetur, & præclara multa pollicetur in re Medica, quibus perficiendis felicitatem precor, Tibi verò, Vir ſumme, annos neſtoreos quos fama aſſequutus es, meritisq; antevertiſti. Vale diutiſſime publico commodo, cui invigilas, meq; amare perge. Pariſ. ult. Decemb. 1645.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LXXIV.

De Dubiis in Anatome noſtra.

THOMÆ BARTHOLINO Pariſ.

ABRAHAMUS PRATÆUS.

PAucis te volo, Vir Clariſſime: Ecce aliquot Inſtitutionum Anatomicarum penultimæ edit.o-

editionis loca quæ luce egere aliqua mihi videntur. Pag. 181. lin. 2. *mentis dissectioni subjicimus*, legendum puto, *ventris dissectioni*. Pag. 199. lin. 14. *sicut fasciculus stramineus quo diuturnior sit* (videtur addendum *ignis*) *à fabris aqua mergi solet*. Pag. 221. l. 20. *nec ab aëre impulso elevatur pulmo &c.* Totum hunc articulum non intelligo, nec vim rationum sentio. Tu rem si placet apertius declarabis. Pag. 234. l. 34. *in fœminis magis perspicua est*. Dubito an legendum *conspicua* Pag. 243. lin. antepenul. *pili non planè abradendi, quia defluxiones inde concitantur*, & Pag. 244. lin. 7. *Celsus in diuturno pituitæ cursu pilos adcutem tondere præcipit.* Hæc duo loca videntur contradictoria. Pag. 244. l. 13. *In demortuis sunt qui ad 24. annos cum Plempio animam supersesse volunt.* Dubium an pro Plempio Paræum indicare volueris, de quo supra hoc ipso capite. Qui sint illi quinq; modi quibus virgo illæsa virginitatis nota concipere possit, de quibus tu pag. 165. lin. 8. fac sciam. Tu interim æquo animo accipe nostram in te adeundo & consulendo libertatem, quæ non aliunde proficiscitur quam ex ingenti illo studio quo præclarum illud μακαρίτης opus ornare contendo. Vale & me ama tui studio-

 sissimum.

fiſſimum. Dabam Lugduni Gallorum VI. Idus Decembr. An. 1645.

EPISTOLA LXXV.

De Triremibus veterum.

THOMÆ BARTHOLINO. Pariſ.

JOHANNES SCHEFFERUS.

DIci non poteſt, Vir Clariſſime, quam jucundæ mihi litteræ tuæ fuerint. Sentiebam enim ex iis meum erga Te amorem ratione ineffabili quam maximè confirmari; tantum humanitatis, tantum eruditionis ac doctrinæ continebant. Ac uti de humanitate tua prius dicam, quam ſingularis ea eſt, quam contra perfidi & arrogantis & cuncta juxta ſe deſpicientis ſæculi conſuetudinem. Ultro mihi ſcribis. Doctus, indocto. Genere literisq; clarus, ignobili. Inſtructus rerum plurimarum experientia, omnium earum vacuo. Et amicum interim me vocas, cum melius ſervum aut clientem dixiſſes Addis elogia, ſcripta noſtra laudibus attollis: quæ etſi non agnoſcimus, haud illibenter tamen legimus, quoniam indices affectus tui animiq; erga me ac voluntatis eſſe videbantur. Diſſer-

tatio

tatio de Navibus ante triennium invitó & tunc peregre in Gallis agenti ab amicis extorta potius, quam noſtra ſponte emiſſa eſt in lucem, ex quo fit, ut multa ſecus ſe in ea habeant, quam vellem, optemq; nunquam lucem aſpexiſſet. Interea, quam de triremibus in ea propoſui ſententiam, non muto, eamq; accuratius in majori opere declaro. Tu interim imaginem hanc, interpretem ejus, niſi fallor, clariſſimum accipe. Dextrum triremis latus eſt, cui ſimile ſiniſtrum cogitabis. Orbiculi, foramina indicant, per quæ remi exeruntur. Cætera ex literis adjectisq; nominibus intelliges.



a θεράνος. Unde Thranitæ remiges, de quibus videndæ Ariſtophanis Scholia.

b Ζυγοὶ. Unde Zygitæ.

c θάλαμ@. Unde Thalamitæ remiges. Hi
sunt tres *versus* sive ἐλασίαι seu στοιχοι.
d primus ordo } Hi sunt tres ordines, ex qui-
e secundus ordo } bus navis dicta est Trire-
f tertius ordo } mis.
g parasimon
h rostrum
i aplustre.

Pro nummi, alteriusq; naviculæ imaginibus transmissis gratias Tibi ago, deq; iis ita sentio. Navim quæ in nummo est, non ordines, sed versus indicare, si quid omnino in ea est, quod ad rem pertineat. Alteram esse ex fluviatili navicularum genere, ut ita dicam, quod Græci à contis, quibus impellitur, κοντωτὰς solebant nominare. Primum enim incedentis nautæ totoq; corpore nitentis est imago,

imago, cum in aliis navigiis ſederent. Perticam deinde pectori & humero admovet, navimq; protudere videtur, cum qui remis impellerent, eos ſcalmis haberent alligatos, protenſisq; manibus, ut Batavorum Ruſticæ, cum ex paſcuis veniunt, moverent. Non tamen eo minus inter luſorias referri poteſt, ſi nimirum eas intelligimus, quas Seneca & prius ævum ita appellarunt. Aliæ enim ſunt, de quibus loquitur Vegetius ſub finem ſui operis, Epiphanius, &, quod Cl. Gothofredus me admonuit, cum apud ipſum ſuper iſta re diſputaremus, Codex Theodoſianus. De reliquis nummis in quibus ſimplicem ordinem conſpici ſcribis, ita judico: non ſimplicem ſed plures ordines oſtendere, ſingulos tamen non pluribus ſed ſingulis tantum remis indigitari. Ita enim fieri neceſſe erat, ob ſpatii anguſtiam. En exempli gratia nummum Antonii. Hexerem eſſe dico, verſusq; ejus inferiores tegi à ſuperioribus, atq; ideo in tam parvo præſertim ſpacio exprimi non potuiſſe. Hexerem inquam, quia ſex remorum ordines exhibet, nam unumquemq; remum in hoc nummo veri hexeris ordinem (ſive is quinq; aut ſex pluribusve remis conſtiterit) exhibere puto. Æliani variam, non & animalium hiſtoriam

hac vice dare conſtitui, tantum ut in ſcholis pueri haberent, quod cum jucunditate ſimul & utilitate legerent. Igitur præter textum, quantum fieri poteſt, emendatum, notas paucas, quibus aliqua in ſcriptore vel emendamus vel explicamus, græcum latinumq; indicem nova forma confectum, nihil continet. Pueris enim ſcribimus, ut dixi, non eruditis, conſcii infirmitatis noſtræ, quæ ipſa prius uberiori inſtruenda eſt doctrina. Quod ſi tamen etiam hanc operam carmine quodam perennem eſſe jubebis, contraq; ſæculi malignitatem tuebere, gratiſſimum mihi feceris. Si præſertim caveas, ne humanitatis benevolentiæq; modum excedendo, invidiam pro amore mihi concilies. Opera tua de Unicornu, De naturali corporum lumine, pridem videre geſtio, ſed fruſtra hactenus, neſcio an invidia Italorum, num propter temporum calamitatem. Si ex M. S. Æliani Codice enotatas habere poſſem lectiones, optatiſſimum mihi foret, operamq; darem ne ingratus tibi viderer. Sed tantum laborem tibi non impono. Vale Vir amiciſſime, meq; ama. Cl. Boeclerus iterum officioſe Te ſalvere jubet. Fratres jucundiſſimos, cæterosq; quorum erga nos benevolentiam experti olim ſumus, non omittes meo

nomine

nomine ſalutare. Dabam Argentorati 17. Januar. An. 1646. quem annum cum ſequentibus viciſſim proſperum ac ſecundum tibi eſſe precor. Iterum Vale.

EPISTOLA LXXVI.

De Reſpiratione Carteſiana.

THOMÆ BARTHOLINO. Pariſ.

A. PRATÆUS εὖ πράτ.

GRatias ago quamplurimas, quod abundè ſatisfactum à Te fuerit ad illa mea dubiola propoſita. Dubius tamen etiamnum hæreo circa vim ratiocinii tui contra Carteſium & Falcoburgium. Nam quod ad primam rationem attinet, *aërem facilè condenſari poſſe*, illos non videtur urgere, cum nondum probaveris tunc temporis actu condenſari, nullamq; aſſignaveris cauſam qua hæc fieri poſſit condenſatio: quæ certè nec à natura interna aëris, nec à cauſa aliqua extrinſecus adveniente contingere poſſe videtur. Ad ſecundam reſpondere poſſunt adverſarii, ſatis eſſe, modò aër motu thoracis moveatur. Ad tertiam verò, aërem vicini cubiculi moveri motu thoracis ob agitationem aëris ambientis alteri

conti-

continui. Meam autem ſententiam ea de re ſi exquiras, non abſurdum cenſeo, totum reſpirationis negocium peragi tum inſito & interno Thoracis & imprimis Diaphragmatis motu, tum etiam appulſu aëris externi à Thorace agitati & in ejus cavitatem irruentis. Quæcunq; acceſſerunt poſtremæ editioni, ſingula ſuis locis reddidi. Lunulas illas de conſilio amicorum prætermiſi, tum quia nonnullis in locis alteram deeſſe reperi, tum etiam quod notarum illud genus nimis inſolens & peregrinum noſtris hominibus fore putavi, nec eas ferre poſſe gallicum idioma, ut non omnis fert omnia tellus. De fide & diligentia mea in interpretando opere Anatomico ſecurus eſto. Tua enim in re agenda, meam etiam nonnihil verſari ſcio: ut & de obſervationibus Præſtantiſſimi Gaſſendi, de quibus adjiciendis nunquam cogitavi, ex quo te repugnantem ſenſi. Quædam ecce loca ultimæ editionis, quæ nonnihil remoram faciunt. Pag. 69. lin. 34. *ordinato defectu.* Explica clarius. Pag. 148. lin. 3. *In Virginibus Prayanis Campaniæ.* Hæreo hic, nec ſatis ſcio qua voce reddendus hic locus. Pag. 195. fig. 1. litera E. *Vena aortæ.* Dubium an rectè dictum. Pag. 288 lin. 14. *Permanet,* forſan prominet.

net. Pag. 289. lin. 29. *Placentio.* forsan Placentino, videlicet Casserio. Pag 317. linea 7. *Galenus qui sectiones vivas amplius sexcentas habuit.* Num hîc hyperbole, & numerus certus pro incerto. Pag. 319. lin. 21. *quod advertit Frambesarius.* Fortassis addendum in venis mesaraicis. Dubius sum utrum scribendum Fueren an Fuirenus, utroq; enim modo scriptum reperi. Quæcunq; à me proficisci possunt officia ex animo offero. Cl. Meyssonerii literas habes apertas, quales mihi redditæ fuerunt. Cl. Sponius te quam plurimum salutat. Vale. Scribebam Lugduni Gallorum XIV. Cal. Febr. 1646.

EPISTOLA LXXVII.

De motu pulmonis contra Cartesium.

ABRAHAMO PRATÆO, Lugd. Gall.

THOMAS BARTHOLINUS, S.

GRatissimæ mihi fuerunt instantiæ, quibus opinionem Cartesianam juvare nuper es conatus. Eruditæ illæ quidem & ingeniosæ, qui enim aliter potuerunt à Te proficisci? verum parum, ut mihi videtur, dubiam sententiam promovent. Manet quippe argumenti primi

primi veritas, in qua ſufficiebat aërem poſſe in ſe recedere ob diffuſam tenuitatem & raritatem, nec alium locum neceſſario quærere ſi prematur, quod in fiſtulis videmus & tubis flagellisq; quibus verberatur aër, & omninò in quolibet igne qui ex repercuſſione pyritis chalybisq; emergit. Urges tamen, nos non probare tum temporis actu condenſari, quia nec externam cauſam aſſignavimus, nec internam. Poſſem dicere, probatione non eſſe opus actu tum condenſari, quia tantum inferre voluimus, ex poſſibilitate condenſationis non neceſſario aërem in thoracem ingredi, ſi à thorace prematur. Unde ad condenſationem diſpoſitus aër eſt etiam ab interno principio. Denſior enim aëris congreſſus non mutat ejus naturam, quæ in minimis atomis, ſi veri veteres, conſiſtit, modò latius expanſis, modò arctius conſtrictis. Sed ab externo thoracis impulſu condenſari æquè dixerim quam ad pulmones compelli. Si illius probationem aliam quæſiveris, ego hujus quoq; petam. Hinc qvum probaſſem non neceſſariò moveri ad alium locum aërem circa thoracem diffuſum, ſuperadditis rationibus experimentisq; demonſtravi revera non moveri ad thoracis motum ea violentia ut proximam cavitatem

anxiè

anxiè quærat. Quandoquidem thoracis motus nec leviſſimum corpuſculum permovet, quod tamen neceſſarium foret ſi aër, in quo hærent volantq; levia, præmeretur, & pelleretur. Nec ſatis eſt, quod pro adverſariis adfers, modò aër motu thoracis moveatur, quoniam ſi non moventur ſubtiliſſima in aëre corpuſcula, quomodo aër dimovebitur. Medici ſanè ex motu plumæ ori admotæ reſpirationem explorant adhuc ſupereſſe in Apoplecticis, mulieribusq; ab utero præfocatis. At ſi in imbecilli corporis ſtatu tantum movet aër, cur non in ſano moveret, ſi à thorace ipſus agitaretur nondum morbis debilitato. Quod ſi pennam graviorem dicas, ſuppone lanam, vel quodcunq; placuerit aëre ſubtilius, in quibus ſi motum quendam à thorace deprehenderis, manum porrigam. Non deniq; experimento ſecundo oppoſita reſponſio nos ſtringit. Clarior enim eſt experientia, quam ut negari poſſit. Aër vicini cubiculi continuus neutiquam illi eſt qui thoracem ambit, qvum denſum parietis corpus ſubinde intercedat. Nam tantum fiat foramen, quod applicato ori ſufficiat. Ingenioſus autem tuus in concilianda utraq; diſſidentium parte conatus valdè placeret, niſi entia citra neceſſi-

tatem

tatem augerentur. Quid enim extra quærimus, quod insito nobis principio largita est natura? Cæterum laudare oportet insignem operi promissam operam, cujus debendi reus mecum erit literatus Galliæ vestræ orbis. De fide versionis tanto minus dubito, quanto de Tua certior sum eruditione & sinceritate, quam præsens vidi & per literas indies experior. Lunulas prætermitti, quia ita Tibi visum, non improbo. Verum ne mea additamenta cum Parentis textu confundantur, lectorum interest, & Parentis qui ætate sua & scriptis plerosq; antecessit, quos in Notis meis advocavi; præsertim quum in prioribus Anatomiæ Parentis editionibus nihil horum inveniatur. Unde vel monendus ea de re in Præfatione Lector, & additamenta mea textui Parentis immediata serie compingenda judico, sed alio charactere, currente nempe, si textus erectior fuerit stantibusq; similis. Quod si fiat, propria autorum nomina iisdem quoq; cum textu typis poterunt exprimi. Parum enim retulerit. Et alia quæ currente stylo leguntur. v. g. Pag. 1. Definitio Ferneliana, majoribus paulo literis commodè exponuntur. Rarò lunulas istas in ultima editione abesse animadverti. Pag. 69. lin. 34. ordinarium defectum

fectum illum voco, qui ordine fiat à majori ramo ad minimum mediis ramulis eandem proportionem inter se servantibus. Pag. 148. lin. 3. Prayani incolæ sunt Regni Neapolitani, cujus princeps olim pars fuit Campania, Pag. 195. venam aortam vocat Folius, sine dubio quia ex corde pari ratione amplo orificio oritur quemadmodum Arteriæ.. Quem tamen religio non est, deseruisse. Pag. 288. *Permanet* retinendum, quia Deltoides totus carnosus est & talis permanet. Pag. 317. lin. 7. rectissimè hyperbolen interpretaris. Pag. 319. lin. 21. Frambesarius de venis lacteis loquutus est, non Mesaraicis, in ultima Scholæ Medicæ editione. Nomen autem Consobrini mei ubiq; Fuiren est, qui te amice per me salutat itineris hactenus comes. Clarissimum Meyssonerium quoq; ex me salutabis amico voto, cujus doctissimas accepi literas, sed non facilè ob difficilem festinantis manum à me intellectas. Quod si ulterius me dignatus fuerit alloquio, Te parario per Bibliopolas nostros rectè acceperim. Jam enim iter me habet totum, cujus successum patriæ redditus Tibi amicissimo perscribam. Interea vale, & me Tibi ad mutua obsequia addictissimum amare perge, siq; amicitia communis

meretur, bonas aves amico precare. Clarissimo Sponio mea officia deferes. Scripsi veloci ut vides calamo, in procinctu itineris. Lutetiæ Parisiorum Cal. Febr. cIↃ. IↃc. XLVI.

EPISTOLA LXXVIII.

De Usu glandulæ Pinealis Cartesiano.

THOMÆ BARTHOLINO Parisios.
LAZARUS MEYSSONIERIUS
ἐυ Δέγειν.

REdditæ sunt mihi tuæ literæ nudius quintus, dum practicis distractus artis operibus extra domesticos lares abessem: cum vero per eos nullum daretur vel hospitis vel diversorii signum in urbe numerosissima, vix in tanto pelago quò optabam me appellere posse sine hac cynosura ut te mutuo convenirem sperare ausus fueram, mœstumq; illa mè diutius detinuisset ἀδυναμία ut quasi mollius loquar, nisi Vir ingenuus qui comitate sibi familiari tabellarii vice fuerat, me iterum atq; iterumq; adiisset, si non per se per amicum saltem Lutetiæ habentem quod avidius expectebam indicaturus. D. Prateum intelligis satis opinor interpretem ut audio in Gallia nostra

ſtra tuum, quem non hæ modo quas protuli animi dotes, ſed etiam eruditio ſingularis & erga ſyncerioris Philoſophiæ Profeſſores ſtudium inprimis commendant. Iis tamen me diſtrinxit temporis anguſtiis ut paucis atque nocturnis horis coactus brevius quidem quam mihi propoſueram & forſan minus accuratè reſpondeam, at votis quæ excupiveram tuis ſatis ſim: Maxime circa illa quæ Cl. N. Fontanus de Conario movet dubia in ſuis ad Veſalium notis, quæ an hic proſtent nondum ſatis ſcio. Cum tamen res ſit mihi cum homine rei Anatomicæ peritiſſimo, ſed quod magis eſt oculatiſſimo totius naturæ contemplatori, non verebor dum cogar brevis eſſe obſcurus fieri, quod de ſe lyricus. Nam & principia Phyſiologiæ noſtræ tibi nota ſunt, illius inquam in Pentagono duplici & novæ febrium doctrinæ exercitationibus orbi datæ, & non ſemel tecum ſecuſit cerebri totius parenchymatis illius nobilis molem accuratiſſimus & diligentiſſimus, ut aliquid epitheto tuo addam, D. Franciſcus Sylvius, ut ex nutu intelligas ſtatim quod ἐν ἐπιπομῇ reſponderi poſſit objectis à Cl. Fontano rationibus, quarum ſumma eſt, (ſi quod in Epiſtola ſcribis rectè capio) non poſſe Conarion eſſe genuinam

ſpecierum ab externis partibus per nervos in unum locum delatarum ſedem, quod & à centro cerebri & ab origine nervorum longius ab ſit, ut communione tanta frui & tam facile ſpirituum commeatui ultro citroq; inſervire poſſit. At ignoſcat mihi Vir aliunde perſpicax, ut ex aliquot ejus editis ſuperioribus annis obſervationibus notare licuit, ignoſcat inquam, ſi mihi non ſatis perite centrum exacte geometricum in cerebro quærere videatur, cum ipſa quæ Te & Cl. Sylvium docuit *αὐτοψία* illa eadem ſæpius etiam mihi ipſi demonſtraverit, caudati cujusdam cometæ inſtar inter humana membra cerebrum exporrectum eſſe, capillitii cujusdam & radiorum more non ſolum ſuperiores nervos, ſed & equinam illum quoquoverſum expandens ramulorum membranis veſtitorum caudam; Et ſi aliquod dari debet, aliud *ἀκριβεστέρως* aſſignari non poſſe, quam ſpatium illud quod eſt inter nervorum paria ſenſui maxima parte inſervientia, & ea quæ potiſſimum movendis partibus aſſignata eſſe videntur. Ego enim, ut hic ſed non ſine fructu digrediar, privatim ſenſum omnem tactum eſſe ſentiens motorium, eumq; à ſenſifica differre tantum arbitror quan-

quantitate ſpiritus, ad motus neceſſariâ multâ, minore ad ſenſus, & mollioribus cerebri medullæ fibris, ac ut conceptui meo vocem inveniam ex chymicorum officina filtris qui facilius moveri poſſint ab objectis ſpeciebus, & verberatione ſua ut ita loquar majori aut minori, ſimili aut diſſimili efficere hoc vel illo modo ſpiritum; cum duriores & validiores neceſſariæ ſint in motibus ne divellantur & disrumpantur partim, quod convulſionem induceret, dum ſpiritus ſurſum retrahitur aliis inverſis aliis ruptis, ſed coagmentatis. Uno eodemq; conatu ſpiritus ejus fluxum & reflu-xum qui librationem inæqualem ſemper in antagonismo muſculorum & conjugatorum nervorum diſtributione efficit. Adſit ipſe Polycletus & ad normam ſuam expendat omnia corporis loca ut inveniat concurſui nervorum centralem ſedem, non poſſit commodius; circularem nihil opus eſt, in qua lineæ ſint omnes æquales, nam diſtantia tam varia tot partium quibus natura ſenſum motumq; conceſſit minime patitur in humano corpore quod non eſt ἀεσχνότυπον ut fingam cogitationi meæ vocabulum. Miror præterea quod Vir ſagaciſſimus tantopere laboret de motus ſpiritus dif-

ficultate à conario ad nervos & viciſſim, cum ipſe ad imos pedes in momento feratur, & quod adhuc expetat in nervis exploſam à præceptore Hippocrate χειλότητα lib. de locis in Homine & ab experientiſſimo ejus interprete Galeno comm. 1. in 6. Epidem. ſi non fallit memoria, turget ille locus in quo glandula pinealis ſita eſt ſpiritu, & hæc ſedes ex contactu truncorum quatuor medullæ ſpinalis rudem quandam imaginem ani nobis exprimens, turget inquam ſpiritu qui ſequitur prædictæ medullæ fibras ubicunq; meningibus illa veſtita coarctatur, & derivatur in partes corporis ac fruitur illapſu aquæ per anaſtomoſes venarum & arteriarum imbris cujusdam rorantis inſtar (quod in renibus Cl. Beverovicius, & nos in omnibus partibus arteriis venisq; donatis aperuimus) cerebrum perfundentis ac tandem per ventriculos primum & ſecundum in tertium & ab eo in prænotatos medullæ rivos: Et ne ſuperfluens evolveretur ros magis quam ſupra notatus eorum uſus poſtulat exundansq; in cerebrum ſuperius tanquam à ſpongia excepta quod lethargum & paralyſin facit; aut opprimens arterias retium inſtar cum venis per oſcula coëuntes, per

quas

quas ſpiritus vitalis cum ſanguine circulariter motus excitat ſpiritum animalem ut in doctrina noſtra febrium nova indicavimus apoplexiam induceret; anteriori altero foramine ne tertio prædicto ventriculo quod ſupereſt ad glandulam pituitariam deſcendens ſequitur membranarum tunicas & muſculorum fibras, ut in os delabatur & ſubjectas partes irriget quod fuſius libro noſtro jam citato Exercitatione prima propoſuimus. Hæc à me ideo dicuntur ut intelligi poſſit non difficilius quam ex cordis cavitatibus in quibus vitalis ſpiritus potiſſimum viget & quoquo verſum in univerſum corpus per arterias diffunditur, Animalem etiam ſpiritum è porta nobilis ſui ventriculi in divaricatione medullæ in omnes nervos quotquot ſint illi qui ſenſui motuiq; inſerviunt ire, redire, agi, commoveri & motu ſuo commovere ennoëticè ſpecies cenſatas in conarii gradibus profundius immerſas vel ad faciem tantum adhuc expanſas, quod memoriæ varietatem facit commovere, eo modo qui à nobis explicatus eſt in libro noſtro Gallice edito ſub titulo *Des malladies nouvelles & extraordinaires, chap. du mal d' amour*. Unde facile indicavimus tum loquelæ infantium, tum varias deliriorum & mentis motionum

cauſas veras genuinas & ut metaphoricè diagnoſtices vocabulum huc transferam pathognomonicas quo melius aſſequaris, quemadmodum & varietates ſomniorum, quod abſit verbo ut jactantia ſic invidia à nullo factum fuiſſe certò ſcimus. Doleo ſane quod noluerit hunc tractatum noſtrum tibi ſeorſim concedere Typographus meus. Adjunximus Practicæ Medicinæ quæ Gallicè inſcribitur *Le Miroir de la beaute & ſante corporelle*, editionis noviſſimæ, invenies apud omnes Bibliopolas Pariſienſes, qui cum noſtris Lugdunenſibus negotium exercent, quales ſunt plerique qui vicum Jacobæum dictum inhabitant. Alias ſi dabitur occaſio de novis Gangrænæ cauſis ex ſententia noſtra ſcribam; temporis anguſtiæ, quod in principio dixi, anxie me retinent plura dicere volentem, ut quæſito tuo de tonico muſculorum hyoidis motu ſatisfaciam. Non inſolens erit nova diatriba, quæ exercuit Piccolomineum, Laurentium & Bauhinum in varia diſtractos. Angit me hæc plurimorum hominum doctiſſimorum ſcribendi ratio qua nomen ſuum ut extollant aliorum conatus deprimere, impetu quodam in ſingulos, nituntur; unde jurgia & rixæ in literata Europa noſtra: Te tamen laudo qui paternum

num nomen à malevolorum nebulis ut emineat doctrinæ tuæ radiis liberare contendis, & magno conamine circumvolitantem caliginem dissipas, perge Vir Eruditissime, & priusquam in Daniam tuam redeas indica sigillatim quibus hominibus Lutetiæ & Amstelodami possimus communes observationes & cogitationes Philosophicas Medicas vicissim transmittere. Interim vale & amare ne desine Tui amantissimum, qui Tibi iterum & affini tuo quem hic tecum videre contigit salutem dicit plurimam, Lugduni ad confl. Araris & Rhodani Anno Æræ Salutiferæ cIↃ. IↃc. XLVI. XVII. Kal. Februarii sub ipsius noctis medium, raptim adeò ut vix relegere potuerim, quod addo ut lituras & κακογραφίαν excuses.

EPISTOLA LXXIX.

De Hofmanno & Helmontio judicium.

THOMÆ BARTHOLINO Aureliam.

LIteras tuas Aureliis 24. Nov. datas 6. Januarii accepi quo tempore mater tua, ut & matertera, vestras Parisiis datas simul monstravere. Gratulor verò vobis de acquisitis in celebri Academia Basileensi summis honoribus,

bus, in qua & Avus & Parentes & ego eosdem nacti ſumus. Deus porrò conatibus adſpiret, patriæ honori, vobis emolumento ut cedant. Miror verò Te non reſpondiſſe iis quorum Tua maximè intererat, cujusq; gratia ultimas meas ad Te dedi. Eſt procul dubio quod Te moretur, quodq; haud ſcio an ex uſu tuo ſit futurum. Hofmannus generalem ſibi in omnes cenſuram vendicare videtur, quomodo tractet Fernelium, Comitem Montanum & alios non ſine indignatione vidi. Sic ſatis pro imperio omnia. Inſtitutiones non vidi. Omnibus inſultare qui geſtit, paria exſpectabit. Elegans fateor eſt ultima editio Anatomiæ Bartholinianæ, quam Hackius nobis dedit, nec credo futuros qui typis & iconum ſplendore eum ſuperabunt. Noſter Simon Paulli Germanicam ejus meditatur verſionem in Chirurgorum gratiam, ſed, ut intelligo, in Synopſin redactam. Chariſium bene valere cupio, ejus de reditu in patriam meditationes, tot fuere annorum, ut jam ſpem frangant omnem. Ante menſem circiter ad me pervenit, Lochenſis monumenti accurata deſcriptio, ſine literis mittentis, ni me fallit manus Chariſiana referebat lineamenta. Si ab ipſo profecta, ſummas age gratias meo nomi-

nomine. D. Henrico Fuirenio fausta quævis meo nomine præcare: in ære meo est, siquidem ad ultimas meas nondum respondit. Est in Belgio prope Bruxellas, ni fallor, mirus Paradoxorum faber Johannes Baptista van Helmont, qui Medici nomine indignum judicat, qui febricitantem non restituit intra quatriduum, qui unica falce amputat omnium febrium causam occasionalem, qui per empiastrum centenas quartanas se tuto sanasse absq; recidiva gloriatur, aliaq; miranda in re Medica præstare se posse ait. Eo si veneris, hominem inquire, ac num quid veritatis hisce subsit ampullis investiga. Vale feliciter. Haf-
niæ 24. Januar. 1646.

T.

Olaus Worm D.

EPISTOLA LXXX.

De Laryngotomia.

Renato Moreav Parisios.

THOMAS BARTHOLINUS. S.

VErsabar nuper cum *Severino* nostro in diligentiori Anginosæ puerorum affectionis cogitatione, dubiâ subinde curâ, nec satis certâ.

certâ mente. Commune tandem consilium fuit, infestum ætati huic fascinum forti manu & intrepida aggrediendum. Frustra enim Caprimulgus ille *Lilith & Stryx*, cunis parvorum inimica cohors, vel lustralibus salivis vel appensis collo bulla, allio, re turpi, vel alysso terretur, nisi, ut loquitur ille, infamis digitus

------ *frontemque atque uda labella*
Expiet.

Fideli digitorum medicorum indigent opera, quibus & restis conficitur & adigitur ferrum. Sed cum de hoc cogito horret animus, sensuq; dolorum infantilium tangitur. Hinc operis difficultas remoratur, illinc imminens periculum, nec jugulum jugulari sibi ex re putat, Laryngotomiam Chironis filii appellarunt, quam ad te Vir Eruditissime, magnum seculi lumen, devolvo, ut quod genii nubecula assequi non possum, te magistro perspiciam. Tu enim salutari sidere orbi literato renatus dignissimis cedro monumentis monstrasti alias, quid supra vulgus, divinior animus possit. Qui innocentissimas Musas ita sustines, ut sæverioribus medendi curis misceas, omniumq; seculorum labores tui juris feciſti & arbitrii, fidus antiquitatis Machaonicæ interpres. Pereant illi licet temporum injuria, te salvo revi-

reviviſcent, apud quem eorum ſalus vertitur. Accedit invidendis animi tui dotibus ratum non fictæ humanitatis exemplum, quo falſam aliorum induſtriam ſuperaſti. Quam felicem eruditionis comitem, à quo in amicitam tuam admiſſus fui, admiratus ſum ſemper, eaq; fiducia adhuc fretus nomen tuum hic advocavi, ut quo Loco Laryngis ſectionem antiquis medendi legibus introductam nos habere velis, more tuo h. e. ſolidè & candidè perſcribas. Ab ea quidem non abhorruit noſtro ævo *Spigelius*, notæ famæ Anatomicus, ut ſuperſtes adhuc muliercula amicorum hoſpitio Patavii cognita fidem facit: Nec averſabatur Neapoli *Severinus*, manu promptus & genio, ne *Tulpium* in Obſervationibus aliosq; referam cordatæ Chirurgiæ autores: Ego tamen jure vel injuria in Angina noſtra puerili an damnem cruentam hanc manum, penes te deliberabitur. Acutus enim morbus & motus celerioris, tardum hoc remedii genus vix expectat, dum cutis ſeparatur & cuticula, muſculiq; ordine ſuo diſtinguantur, cannula intrudatur, aptetur, alligetur, vires præſertim tenerioris colli, ubi confuſiores annuli & omnia ex ætate molliora, diſpereunt. Augetur inſuper ex inflammationis metu difficultas, ne ſpe auxilii incenſæ

partes

partes incrementum capiant. Sin adultior fuerit, læſæ Laryngis difficilem nobis ſanitatem ſpondet. Verum ex voto ſucceſſerit apertio Laryngis, vel fruſtraneus ejus erit uſus, vel noxius. Fruſtraneus, quando quidem ea annulorum eſt conditio, ut leviſſimo quocunq; colli motu in ſe redeant, & ſpreto exilis plagæ intervallo concidant. Idq; magis in medio tertii quartiq; circuli ſpacio, quo loci ſectio imperatur, quia adeò hæ cohærent cartilagines, ut pro continuis aliqui venditarint. Noxam tam vulneri inflicto, quam pulmonibus afferet. Illi quidem ob liberum aëris tactum & inſolitam cannulæ metallicæ vicinam; his verò ob repentinum crudi aëris tranſitum, qui alioquin in ore præparatus alienam ſolet qualitatem deponere. Nulla deniq; ad extremum remedium ſuoq; periculo gravius cogit nos neceſſitas. Reſpirationis quippe gratia inſtituitur. At, ſi veterum ſtamus opinione, ad ſui refrigerium cor per extrema arteriarum venarumq; in cute oſcula, aërem ſimul recipit & expellit fuligines. Quod aucta neceſſitate Cynanchicis, crebris frictionibus foret promovendum. Præterea non-nunquam reſpiratione ipſa, quæ voluntatis fertur fieri nutu, carere poſſumus, ut ſuo malo mulieres hyſte-

hysterica experiuntur, inprimis pueri, quibus exordio vitæ laxior pulmo contigit. Hujus nempe ratione ranas, mures fluviatiles & alia diu à respirationis munere vacare, *Aristoteles* de Respiratione prodidit. Id privilegii autem sanguineis denegat propter caloris abundantiam, quæ sanè infantibus copioso humido temperatur, per patula corporis spiracula facilè, si opus, ventilando expurgandoq;. Vocis ante omnia in gratiam, qvum aër reciproco itū attrahatur, ea quidem curationis tempore per se non loquax poterit caruisse. Sed jam mali commercio vox deficiet & oratio, nisi per calamum tibi familiarem auram inspiraveris, qua tot eruditis vitam reddidisti. Non deerit suscepti laboris gratia. Pro utroq; sponsor sum, non Castori aut Polluci, sed Tibi ob filios saluti restitutos vota soluturos. Nec minori me devincies beneficio, si aliquid de filo purpureo monueris, in quo adeò nuper sudavi. De eo qvum *Marcellum Empiricum* cap. 31. consuluissem, plus dubii reportavi quam solutionis. Quid enim coccum galaticum, aut quod auxilium sedandis hæmorrhidibus afferat phœnicium linum, non satis perspexi. Deinde quo modo antiquitati consonat, dum filum illud rufum per aciam exponit

cap.

ficultate à conario ad nervos & viciſſim, cum ipſe ad imos pedes in momento feratur, & quod adhuc expetat in nervis exploſam à præceptore Hippocrate χειλότητα lib. de locis in Homine & ab experientiſſimo ejus interprete Galeno comm. 1. in 6. Epidem. ſi non fallit memoria, turget ille locus in quo glandula pinealis ſita eſt ſpiritu, & hæc ſedes ex contactu truncorum quatuor medullæ ſpinalis rudem quandam imaginem ani nobis exprimens, turget inquam ſpiritu qui ſequitur prædictæ medullæ fibras ubicunq; meningibus illa veſtita coarctatur, & derivatur in partes corporis ac fruitur illapſu aquæ per anaſtomoſes venarum & arteriarum imbris cujusdam rorantis inſtar (quod in renibus Cl. Beverovicius, & nos in omnibus partibus arteriis venisq; donatis aperuimus) cerebrum perfundentis ac tandem per ventriculos primum & ſecundum in tertium & ab eo in prænotatos medullæ rivos: Et ne ſuperfluens evolveretur ros magis quam ſupra notatus eorum uſus poſtulat exundansq; in cerebrum ſuperius tanquam à ſpongia excepta quod lethargum & paralyſin facit; aut opprimens arterias retium inſtar cum venis per oſcula coëuntes, per

quas

quas ſpiritus vitalis cum ſanguine circulariter motus excitat ſpiritum animalem ut in doctrina noſtra febrium nova indicavimus apoplexiam induceret; anteriori altero foramine ne tertio prædicto ventriculo quod ſupereſt ad glandulam pituitariam deſcendens ſequitur membranarum tunicas & muſculorum fibras, ut in os delabatur & ſubjectas partes irriget quod fuſius libro noſtro jam citato Exercitatione prima propoſuimus. Hæc à me ideo dicuntur ut intelligi poſſit non difficilius quam ex cordis cavitatibus in quibus vitalis ſpiritus potiſſimum viget & quoquo verſum in univerſum corpus per arterias diffunditur, Animalem etiam ſpiritum è porta nobilis ſui ventriculi in divaricatione medullæ in omnes nervos quotquot ſint illi qui ſenſui motuiq; inſerviunt ire, redire, agi, commoveri & motu ſuo commovere ennoëticè ſpecies cenſatas in conarii gradibus profundius immerſas vel ad faciem tantum adhuc expanſas, quod memoriæ varietatem facit commovere, eo modo qui à nobis explicatus eſt in libro noſtro Gallice edito ſub titulo *Des malladies nouvelles & extraordinaires, chap. du mal d' amour*. Unde facile indicavimus tum loquelæ infantium, tum varias deliriorum & mentis motionum

cauſas veras genuinas & ut metaphoricè diagnoſtices vocabulum huc transferam pathognomonicas quo melius aſſequaris, quemadmodum & varietates ſomniorum, quod abſit verbo ut jactantia ſic invidia à nullo factum fuiſſe certò ſcimus. Doleo ſane quod noluerit hunc tractatum noſtrum tibi ſeorſim concedere Typographus meus. Adjunximus Practicæ Medicinæ quæ Gallicè inſcribitur *Le Miroir de la beaute & ſante corporelle*, editionis noviſſimæ, invenies apud omnes Bibliopolas Pariſienſes, qui cum noſtris Lugdunenſibus negotium exercent, quales ſunt plerique qui vicum Jacobæum dictum inhabitant. Alias ſi dabitur occaſio de novis Gangrænæ cauſis ex ſententia noſtra ſcribam; temporis anguſtiæ, quod in principio dixi, anxie me retinent plura dicere volentem, ut quæſito tuo de tonico muſculorum hyoidis motu ſatisfaciam. Non inſolens erit nova diatriba, quæ exercuit Piccolomineum, Laurentium & Bauhinum in varia diſtractos. Angit me hæc plurimorum hominum doctiſſimorum ſcribendi ratio qua nomen ſuum ut extollant aliorum conatus deprimere, impetu quodam in ſingulos, nituntur; unde jurgia & rixæ in literata Europa noſtra: Te tamen laudo qui paternum

num nomen à malevolorum nebulis ut emineat doctrinæ tuæ radiis liberare contendis, & magno conamine circumvolitantem caliginem dissipas, perge Vir Eruditissime, & priusquam in Daniam tuam redeas indica sigillatim quibus hominibus Lutetiæ & Amstelodami possimus communes observationes & cogitationes Philosophicas Medicas vicissim transmittere. Interim vale & amare ne desine Tui amantissimum, qui Tibi iterum & affini tuo quem hic tecum videre contigit salutem dicit plurimam, Lugduni ad confl. Araris & Rhodani Anno Æræ Salutiferæ cIↃ. IↃc. XLVI. XVII. Kal. Februarii sub ipsius noctis medium, raptim adeò ut vix relegere potuerim, quod addo ut lituras & καταχρήσεις excuses.

EPISTOLA LXXIX.

De Hofmanno & Helmontio judicium.

THOMÆ BARTHOLINO Aureliam.

LIteras tuas Aureliis 24. Nov. datas 6. Januarii accepi quo tempore mater tua, ut & matertera, vestras Parisiis datas simul monstravere. Gratulor verò vobis de acquisitis in celebri Academia Basileensi summis honori-

bus, in qua & Avus & Parentes & ego eosdem nacti ſumus. Deus porrò conatibus adſpiret, patriæ honori, vobis emolumento ut cedant. Miror verò Te non reſpondiſſe iis quorum Tua maximè intererat, cujusq; gratia ultimas meas ad Te dedi. Eſt procul dubio quod Te moretur, quodq; haud ſcio an ex uſu tuo ſit futurum. Hofmannus generalem ſibi in omnes cenſuram vendicare videtur, quomodo tractet Fernelium, Comitem Montanum & alios non ſine indignatione vidi. Sic ſatis pro imperio omnia. Inſtitutiones non vidi. Omnibus inſultare qui geſtit, paria exſpectabit. Elegans fateor eſt ultima editio Anatomiæ Bartholinianæ, quam Hackius nobis dedit, nec credo futuros qui typis & iconum ſplendore eum ſuperabunt. Noſter Simon Paulli Germanicam ejus meditatur verſionem in Chirurgorum gratiam, ſed, ut intelligo, in Synopſin redactam. Chariſium bene valere cupio, ejus de reditu in patriam meditationes, tot fuere annorum, ut jam ſpem frangant omnem. Ante menſem circiter ad me pervenit, Lochenſis monumenti accurata deſcriptio, ſine literis mittentis, ni me fallit manus Chariſiana referebat lineamenta. Si ab ipſo profecta, ſummas age gratias meo nomi-

nomine. D. Henrico Fuirenio fausta quævis meo nomine præcare: in ære meo est, siquidem ad ultimas meas nondum respondit. Est in Belgio prope Bruxellas, ni fallor, mirus Paradoxorum faber Johannes Baptista van Helmont, qui Medici nomine indignum judicat, qui febricitantem non restituit intra quatriduum, qui unica falce amputat omnium febrium causam occasionalem, qui per emplastrum centenas quartanas se tuto sanasse absq; recidiva gloriatur, aliaq; miranda in re Medica præstare se posse ait. Eo si veneris, hominem inquire, ac num quid veritatis hisce subsit ampullis investiga. Vale feliciter. Haf-
niæ 24. Januar. 1646.

T.

Olaus Worm D.

EPISTOLA LXXX.

De Laryngotomia.

Renato Moreav Parisios.

THOMAS BARTHOLINUS. S.

VErsabar nuper cum *Severino* nostro in diligentiori Anginosæ puerorum affectionis cogitatione, dubiâ subinde curâ, nec satis certâ

certâ mente. Commune tandem consilium fuit, infestum ætati huic fascinum forti manu & intrepida aggrediendum. Frustra enim Caprimulgus ille *Lilith & Stryx*, cunis parvorum inimica cohors, vel lustralibus salivis vel appensis collo bulla, allio, re turpi, vel alysso terretur, nisi, ut loquitur ille, infamis digitus

------ *frontemque atque uda labella*
Expiet.

Fideli digitorum medicorum indigent opera, quibus & restis conficitur & adigitur ferrum. Sed cum de hoc cogito horret animus, sensuq; dolorum infantilium tangitur. Hinc operis difficultas remoratur, illinc imminens periculum, nec jugulum jugulari sibi ex re putat. Laryngotomiam Chironis filii appellarunt, quam ad te Vir Eruditissime, magnum seculi lumen, devolvo, ut quod genii nubecula assequi non possum, te magistro perspiciam. Tu enim salutari sidere orbi literato renatus, digniſſimis cedro monumentis monstrasti alias, quid supra vulgus, divinior animus possit. Qui innocentissimas Musas ita sustines, ut sæverioribus medendi curis misceas, omniumq; seculorum labores tui juris feciſti & arbitrii, fidus antiquitatis Machaonicæ interpres. Pereant illi licet temporum injuria, te salvo revi-

reviviſcent, apud quem eorum ſalus vertitur. Accedit invidendis animi tui dotibus rarum non fictæ humanitatis exemplum, quo falſam aliorum induſtriam ſuperaſti. Quam felicem eruditionis comitem, à quo in amicitam tuam admiſſus fui, admiratus ſum ſemper, eaq; fiducia adhuc fretus nomen tuum hic advocavi, ut quo Loco Laryngis ſectionem antiquis medendi legibus introductam nos habere velis, more tuo h. e. ſolidè & candidè perſcribas. Ab ea quidem non abhorruit noſtro ævo *Spigelius*, notæ famæ Anatomicus, ut ſuperſtes adhuc muliercula amicorum hoſpitio Patavii cognita fidem facit: Nec averſabatur Neapoli *Severinus*, manu promptus & genio, ne *Tulpium* in Obſervationibus aliosq; referam cordatæ Chirurgiæ autores: Ego tamen jure vel injuria in Angina noſtra puerili an damnem cruentam hanc manum, penes te deliberabitur. Acutus enim morbus & motus celerioris, tardum hoc remedii genus vix expectat, dum cutis ſeparatur & cuticula, muſculiq; ordine ſuo diſtinguantur, cannula intrudatur, aptetur, alligetur, vires præſertim tenerioris colli, ubi confuſiores annuli & omnia ex ætate molliora, diſpereunt. Augetur inſuper ex inflammationis metu difficultas, ne ſpe auxilii incenſæ

partes

hystericæ experiuntur, inprimis pueri, quibus exordio vitæ laxior pulmo contigit. Hujus nempe ratione ranas, mures fluviatiles & alia diu à respirationis munere vacare, *Aristoteles* de Respiratione prodidit. Id privilegii autem sanguineis denegat propter caloris abundantiam, quæ sanè infantibus copioso humido temperatur, per patula corporis spiracula facilè, si opus, ventilando expurgandoq;. Vocis ante omnia in gratiam, qvum aër reciproco itu attrahatur, ea quidem curationis tempore per se non loquax poterit caruisse. Sed jam mali commercio vox deficiet & oratio, nisi per calamum tibi familiarem auram inspiraveris, qua tot eruditis vitam reddidisti. Non deerit suscepti laboris gratia. Pro utroq; sponsor sum, non Castori aut Polluci, sed Tibi ob filios saluti restitutos vota soluturos. Nec minori me devincies beneficio, si aliquid de filo purpureo monueris, in quo adeò nuper sudavi. De eo qvum *Marcellum Empiricum* cap. 31. consuluissem, plus dubii reportavi quam solutionis. Quid enim coccum galaticum, aut quod auxilium sedandis hæmorrhidibus afferat phœnicium linum, non satis perspexi. Deinde quo modo antiquitati consonat, dum filum illud rufum per aciam exponit

cap.

cap. libri ſecundo. Nam plures in re metallica fibularum conſentiunt eruditi, qui à tuo libenter arbitrio dependebunt, ſi vel authoritate tua juveris, vel excuſaveris. Quo titulo hæc mea quoq; ſuſpendo, gloriæ certus, ſi à tanto Viro didicero. Vale Galliæ tuæ orbisq; ornamentum, ut felicius & literæ valeant & mortales, atq; cum Clariſs. *Patino* amorem mihi perenna.

EPISTOLA LXXXI.

De eadem Laryngotomia Reſponſio.

THOMÆ BARTHOLINO Pariſios.
RENATUS MOREAV. S. P. D.

EX morbis qui populariter graſſantur (*Vir eruditiſſime*) frequentiſſima eſt *Angina* ab ἀγχόνη Græcorum dicta, non ſecus ac ango ἀπὸ τοῦ ἀγχέιν quod ſtringere & ſtrangulare ſignificat. Eſt enim *Angina* ἀναπνοῆς πνεσμὸς, quemadmodum loquitur *Aretæus*, ſuffocationi juncta velut à conſtringente laqueo; quo nomine ab Hiſpanis *Garrotillo* appellatur, ut eadem patiantur *Angina* laborantes quæ facinoroſi homines cum injecto circa collum fune ſtrangulantur. Non conſtat quo vocabulo veteres

veteres affectum eum vocaverint, aut σωάγχης aut κυνάγχης. Hanc perpetuo vocem usurpasse *Hippocratem* observavimus, quasi Canum morbum esse voluerit, vel quod eo affectus genere canes tententur (quod nondum ab iis qui de educatione Canum egerunt, video animadversum, ac ne quidem à *Thæmone* in κυνοσοφίω, nisi cum *Josepho de Aromatariis* rabiem cum *Angina* confundamus,) vel quod etiam per valetudinem exercere linguam soleant, quod in *Angina* sæpe contingit, lingua propter inflammationis vehementiam non solum oris capacitatem implente, sed extra quoq; dentes prominente. Video tamen apud *Aretæum & Cœlium Aurelianum Anginam* appellari σωάγχλω οἷον συνεύδσαν ἔνδον καὶ ἄγχδσαν, quasi interius urgentem & angentem. Sed utcunq; vocata fuit, gravis illa est, periculosa & ipso aspectu horrenda, deglutitionem & respirationem intercipiat; atq; eo ipso metuenda, quod quibus subito finita est, *in pulmonem id malum transeat, & sæpe intra septimum diem occidat, vel saltem aliqua parte suppuret*, ut loquitur divinus senex aphoris 10. sect. 4. & post eum *Hippocrates* Latinus. Vagari autem frequentissime per constitutiones

Epidemicas & peſtilentes præter *Hippocratis* auctoritatem, libris ἐπιδημιῶν teſtatur *Joa. Wierus* lib. obſervationum rararum facta deſcriptione *anginæ* cujusdam Epidemicæ, quæ an. 1564. & 1565. in quibusdam inferioris Germaniæ locis graſſata eſt. Nec profecto absq; ratione; cum enim populares morbi communem cauſam habeant, aërem inquinatum & infectum; quod ille ob reſpirandi neceſſitatem eatq; redeatq; viam toties per fauces & aſperam arteriam, malignitatis ſuæ veſtigia partibus iſtis imprimit, maxime in iis corporibus quæ calidiora ſunt, humidiora, atq; molliora, quibusq; caput infirmum & imbecille, cujusmodi ſunt puerorum. Nota eſt *Galeni* ſententia cap. 7. lib. 8. meth. Naturas calidas & humidas καὶ καθ' ὃν ὑγιαίνει χρόνον ἐγγὺς σηπεδόνος etiam per ipſam ſanitatem proximas eſſe putredini. Obſervabat vero com. ad part. 24. ſect. 2. lib. 1. epidem. pueros convulſionibus obnoxios διὰ τὴν ἀσθένειαν τε ἅμα καὶ μαλακότητα τοῦ νευρώδους γένους, ob idq; facilè ex parvis cauſis fieri illis affectus. Commemorat *Hipp.* lib de aer-loc. & aq. humidam regionem incolentes pueros corripi καὶ σπασμοῖς καὶ ἄσθμασι, convulſionibus quidem

quidem ob caput infirmum, anhelationibus vero ob angustiam partium respirationi ministrantium vel inflammata arteria & laryngе, vel repletis arteriis, vel accenso pulmone ex comm. *Gal.* ad Aph. 34. sect. 4. Porro circa *Garrotillo* Hispanorum ignorare non potes (Vir Doctiss.) jam à longo tempore excitatos tumultus & gravissimas contentiones obortas inter eorum scriptores: aliis *suffocatorium affectum* ad *aphthas*, aliis ad *carbunculum Anginosum*, nonnullis ad *ulcera Syriaca Aretæi & Ætii*, cæteris ad *Anginam* revocantibus; qua de re disputaverunt *Joa. Alphonsus defontecha* disputationibus de Angina & Garrotillo Compluti excussis an. 1611. *Franciscus Perezius* Libro de affectionibus puerorum Matriti edito eodem anno. *Andræas de Tamayo* opusculo de Garrotillo Valentiæ emisso 1621. *Alphonsus Gometius de la Parra* in Polyanthea sua Matriti impressa 1625. & *Hieronimus Gil y de Pina* singulari opere Sarragonæ vulgato 1636. Nec minus acriter pugnatum Italos inter Neapolitanos, Siculosq; Medicos *Franciscum Nolam* de Epidemio phlegmone Anginoso, *Joa. Bapt. Carnevallem* de Epidemico strangulatorio affectu, *Joa. Anton. fogliam* de Anginosa passione, *Joa. Andream Sgambatum* de pestilente faucium affec-

tu, *Marium Paramatum* de Angina peſtilentiali, *Marc. Anton. Alaymum* de ulcere Syriaco, *Aëtium Cletum Signinum* de morbo ſtrangulatorio, *Marcum Aurelium Severinum* de peſtilente ac præfocante pueros abſceſſu, qui ferè in diverſas ſemitas abeunt uno articulo concordes tam pernicioſum videlicet affectum & epidemicum & contagioſum eſſe. Circa ipſum video te eſſe ſecurum, nec quo nomine donandus ſit, aut quibus præſidiis expugnandus, valde laborare. Angit duntaxat te *Laryngotomia*, de qua meum expoſtulas judicium: An ſcilicet *tuto & ex arte in Angina ſuffocante pueris adminiſtrari poſſit.* Paucis rem expediam, de *Angina* vera & ſolitaria, non de illa Epidemica Neapolitana, quæ & Febris eſt peſtilens, & conjunctos habet alios affectus, lethargum, hæmorragiam læthalem, puſtulas in ore, ulcera in faucibus, cruſtas, gangrænam, ſphacelum. Equidem video de hoc præſidii genere à veteribus fuiſſe dubitatum. Nam inter Græcos *Aretæus* lib. 1. de curat. acut, cap. 7. nec in uſum revocatum putat, nec innoxium eſſe credit. *Quicumq;* inquit, *ſtrangulationem ab Angina verentes, quo laxius ſpiritus duceretur, arteriam ſecuerunt, non ſanè experimento rem comprobaſſe videntur. Quippe caliditas inflamma-*

flammationis major ex vulnere efficitur, strangulatum adauget, tussimq; commovet. Quin etiam si aliqui periculum id evaserunt, vulneris oræ in unum coalescere nequeunt, ambæ enim cartilagineæ atq; inter se inglutinabiles sunt. Apponam auctoris verba, ut legi debent ὁκόσοι δὲ ὑπὸ εὐλαβίης τῆς ἀπὸ τῆς σφάγχης πιμελὴς τὴν δρτηρίην ἔπαμον ἐς ἀναπνοὴν, ὅν μοι δοκέουσι πέρην τὸ πρῆγμα πεφώσθαι· ἤτι γὰρ θερμασίη τῆς φλεγασίης μέζων ἐν τῷ τρώματι γίγνεται, καὶ ἀσθμαίνουσι τῇ πνοιῇ, καὶ βήσσουσιν· ἰὼ δὲ καὶ ἄλλως ἐκφύγωσι τὸν δὲ τὸν κίνδυνον, ὑπ' ξυνάγεται τὸ τρῶμα τὰ χείλια, ἄμφω γὰρ χονδρώδεα καὶ ἀξυμφυτα. Ex Latinis verò *Cælius Aurelianus* lib. 2. acut. morbor. cap. 4. *fabulosam* censuit *arteriæ ob respirationem divisuram*, quam & *Laryngotomiam* & *Pharyngotomiam* lib. 1. acutic. 14. vocavit, atq; *à nullo antiquorum traditam, sed & caduca & temeraria Asclepiadis inventione affirmatam*, cum tamen paulò ante *à veteribus eam Asclepiadem accepisse* scripsisset: quod fortassè de *Hippocrate* aut ejus genero *Polybo* est intelligendum, qui libro περὶ διαίτης ὀξέων docet *manifestum esse quod præfecto guttere* ἁλα-

τετμημένου τὸ λάρυγγος aër attrahi in cavitatem oris non possit, sed per præfectam partem exhalet. Verum posteriores Græci, Arabes, Latini, non inutile auxilium in *Bronchotomia* (sic enim vocari debet) reposuerunt, nec ita periculosam eam ἐγχείρησιν agnoverunt. Ingenuè tamen profitebor, paucos hactenus extitisse, qui eam in usum adducere ausi sint, vel periculi metu deterriti, vel agendi opportunitate destituti, vel ab ægrorum amicis propter rei novitatem revocati. Ad me quod attinet, infinitos vidi *Angina* laborantes sola venæ sectione è brachiis multoties celebrata servatos, pauciores aut vehementia morbi, aut præsidiorum opportuno tempore administratorum defectu è vivis sublatos, pauciſſimos quibus consultò & tempestivè *Bronchotomia* administrari debuerit. Nec nisi semel atq; iterum, memini à me fuisse in usum revocatam, primò quidem in *Hoxtulano* qui adhuc integra valetudine fruitur, deinde vero in *Milite*, qui à morbo & à vulnere convaluit, superstite tamen levi vocis raucitate. Neq; plurimum negotii, aut molestiæ in illa administratione sustinendum. Decumbat æger in lecto erecto pectore, inclinato quantum fieri

potest

poteſt in poſteriora capite, eoq; in pectus famuli requieſcente: deinde arrepta per eundem famulum utrinq; tranverſim anterioris colli cute, quod intermedium eſt è regione aſperæ arteriæ, ſcalpello vel forcipe ſecundum longitudinem diſſecetur, mox phlebotomo latiore, aut ſimili inſtrumento, quod in eam rem paratur, vocariq; poteſt *Bronchotomion*, ſpatium membranoſum inter tertiam & quartam cartilaginem interjectum transverſim latitudine unius pollicis aperiatur exguo è plumbo vel argento tubulo leviter incurvo & depreſſo, amplioris capitis ſeu umbellæ introducendo, cui habenulæ longiores linteæ annexæ ſint, collo circumvolvendæ inſtar retinaculi. Hac patente via ſpiritus à pulmone trahitur expelliturve cum ſibilo, donec inflammatione fauces conſtringente reſoluta aut ad ſuppurationem perducta reſpirandi per fauces libertas reſtituatur; Ut acutiſſimus ille morbus eſt ſua tempora velociſſimè percurrens, ſic intra paucos dies educta fiſtula facilius vulnus obducitur quàm tibi perſuadeas ſarcoticis præſidiis & delinctis & admotis. Labia vulneris inter ſe junguntur perpetua capitis verſus ſternum inclinatione ac depreſſione, quæ inſtar vinculi eſt & futuræ. Verum ſi tales moras duceret

morbus, ut propter fistulam & externum aërem labia vulneris aliquo pacto occalescerent; renovandum esset vulnus inductis levioribus scarificationibus, futuraq; instituenda foret. Nec enim minore negotio induceretur cicatrix, quam vel vulnerata nasi cartilagine soleat, aut remota ex aperto thorace fistula post empyema exsiccatum. Atq; ut hæc in grandioribus & adultis fœlici successu peracta observavi, sic non diffiteor quin eadem fœlicitate in pueris perficiantur. Nam expectanda ad celebrandum præsidium extrema suffocatio aut virium exolutio. Captet peritus & prudens Medicus agendi occasionem, ut nec pendente administratione deficiat æger, nec ea peracta statim exolvatur. Facilè coerceri possunt pueri à famulo & constringi ad operationis non admodum diuturnæ exitum. Imo ut ignoratione rerum, nec ferrum nec manum Chirurgi reformidant blandimentis quibusdam & ludicris rebus ad tempus quieti contineri poterunt. Non ita quidem in illis distincti cartelaginum annuli quia molliores, sed eo quoq; ipso vulnerati citius coalescunt. Tubulus brevior & leviter inflexus in oppositum arteriæ parietem, unde tussis & dolor excitari possint, non impinget. Externus aër

frigi-

frigiditate quidem eximia, quam cruditatem vocas, pulmonibus adverſus tepore cubiculi facilè emendatur. Nec à vulnere inflicto inflammatio circumſtantium partium nec pulmonis incendium ſuperveniet ob earundem partium mollitiem & humiditatem, pulmonisq; conſtitutionem humidiorem, propter quam videmus pueros rarò peripneumonia tentari, & ea ſemel correptos longè facilius quam adultos liberari. Non eſt ſecurum committere totum ſpei ſuſtinendæ & protrahendæ vitæ negotium perſpirationi, quæ nonnunquam reſpirationis vices ſubit, ſed in iis qui nec inflammatione inſigni premuntur, nec febrili uruntur incendio. Periculum non video à viribus: neq; eſt enim diuturnior illa operatio, neq; acerbitate dolorum ferox, neque immoderato ſanguinis profluvio ſtipata. Nam & ea ætate ſecamus venam, & modiolum, cum neceſſitas exigit, capiti admovemus, & fracta luxataq; oſſa reſtituimus, & fœliciter lithotomiam exercemus longè periculoſiorem & atrociorem. Terremur ſæpe rebus inexpertis, quæ in uſum ſemel revocatæ eadem ſecuritate admittuntur qua peraguntur facilitate. Quod de jugulorum venarum apertione & calculi extractione confir-

matum habemus. Centies enim *Jugulares* aperiendas curavi, non tantum innoxiè ſed etiam fœliciter, nec operosè magis aut periculosè quam cæteræ venæ ſecantur, quod tamen pleriq; omnes vel ſola cogitatione præſtare exhorreſcunt. *Lithotomia* ævo magni *Hippocratis* Medicis omnibus terrori fuit ægris exitio: Niſi divini Senis verba in alium quam vulgo accipiantur ſenſum trahantur. Nam & intelligi poſſunt de *Orchotomia* & *Eunuchiſmo* illis temporibus familiari, à quo abſtinendum, velut à re impia præcipit *Hippocrates* ὁ τομέων δὲ ἐκ δὲ μελεὼν λιθιῶντας, non ſecabo verò inquit, ne quidem lapidem non habentes, cujusmodi fuere qui caſtrabantur: Cum enim calculo non laborarent, exſecabantur tamen, ex quo dicebantur τομίαι. Vir autem pudiciſſimus, ne caſtrationem rem turpiſſimam & ut fieri ſolebat ſceleratiſſimam verbo nominaret, honeſta circumlocutione uſus eſt, ut ambiguo ſenſu ſignificaret, nec ſe calculoſos, nec eos qui calculo non laborarent, ſecaturum. Quæ igitur veteribus calamitoſa habebatur calculi extractio, nobis eſt ſalutaris, ut idem dicendum ſit de pleriſq; operationibus Chirurgicis, ac nominatim de *Bronchotomia*.

Ad

Ad *Marcelli Empirici* noſtratis (nam oriundum è Gallia aliàs demonſtrabimus) locum quod attinet ex cap. 31. deſumptum, qui ſic habet *Lunæ XIII. hora nona antequam exeant vel erumpant mori arboris folia, oculos tres tolles digitis Medicinali & pollice manus ſiniſtræ, & in oculis ſingulis dices, abſi ab ſa phereos, mittesq; in coccum Galaticum, & in Phœnicio lino conchiliatæ purpuræ conligabis, & dices, tollo te hinc tota hæmorrhoida, abſis paphar, & nudum eum cui remedio opus eſt, præligamine illo cinges*; non eſt à me tibi lux ſperanda, ſed à *Rhodio* noſtro magno ſæculi noſtri lumine, qui propediem auctorem illum emaculatum & illuſtratum editurus eſt. Dicam tamen in Cocco Galatico nihil eſſe obſcuri; κοκκὸν enim βαφικὴν intelligit primæ notæ & melioris, qualem ferebat Galatia: Eam *Tertullianus* de pallio *Galaticum ruborem* vocavit. *Coccum* inquit *Plinius* lib. 2. cap. 41. *Galatiæ granum rubens aut circa Emeritam Luſitaniæ in maxima laude eſt.* Addit granum illud gigni & in *Galatia, Africa, Piſidia, Cilicia* cap. 8. lib. 16. ubi *Galaticum* primo loco memorat, quod & fecit lib 22. c. 2. *Atq; ut ſileamus*, inquit, *Galatiæ, Africæ, Luſitaniæ granis, coccum imperatoriis dicatum paludamentis tranſalpina Gallia herbis Tyrium atq; conchylium ſtingit*,

ſtingit, omnesq; alios colores. *Pauſanias* in Phocaicis auctor eſt coccum à *Galatis* qui ſupra Phrygiam ſunt *patria lingua vocari ὔσγλεῦ*, unde *Hyſginus* color dictus, quem tamen differre à *Coccineo*, *Salmaſius* Eruditorum Phœnix in exercitationibus Plinianis Pag. 272. demonſtravit, & ex illo *Joa. Bodæus* ad lib. 3. Theoph. de Hiſtoria plantarum cap. 16. ſed nec prætermiſit *Dioſcorides* lib. 4. cap. 48. *Optimum* inquit *gignitur in Galatia & Armenia, deniq; in Aſia & Cilicia, locum poſtremum obtinet, quod in Hiſpania provenit* quæ à *Serapione* iisdem propè verbis repetuntur, ut non alio conſilio commemoratus videatur *coccus Galaticus* à *Marcello Empirico* qvum ut optimus & præſtantiſſimus intelligeretur. De auxilio *Phœnicii lini* in hemorrhoidum doloribus, nihil eſt quod à me expectes. Eadem ſuperſtitione adducta libro illo ſunt, quæ pleraq; alia & anilia & fabuloſa, quæ fidem non merentur. Explorata & experta multa dicuntur, quæ ne quidem tentata, ſed ſoli famæ pervia, At *ea plerumq;* ut loquitur *Plin.* lib. 5. cap. 1. *fallaciſſima experimento deprehenduntur, Quia dignitates cum indagare veræ pigeat, ignorantiæ pudore mentiri non piget: haud alio fidei proniore lapſu, quam ubi falſæ rei gravis auctor exiſtit.* De *Acia* & de *ſibulis* metal-

metallicis te non morabor, res enim est confecta ab eruditissimo *Rhodio*, jamq; recordor me in leges Epistolarum peccasse, quæ brevitate commendantur. Vale ergo & de republica litteraria benè mereri perge. Scriptum Lutet. Paris. Calendas Martias an. 1646.

Impres. Paris. 1646.

EPISTOLA LXXXII.

De cruce apud Prudentium & Lancinantibus Medicis, & oculorum Phœnicis jubare apud Claudianum.

NICOLAO HEINSIO Dan. Fil. Lutetiam.

QUanquam gratissima mihi semper visa sit Lutetia, nuper tamen solito magis placuit. Non quod rerum fuerit mutata facies, & ædium superbarum additamentum, sed quod magnis Viris, quibus urbs abundat, tu quoq; accesseris. Gratulabar sæpius Belgio vestro ingeniorum feraciissimo, quod Te in spem maximam genuerit, nec minus orbi nostro literato, quem feliciter illustrare cœpisti. Parenti quoq; inter summa famæ dudum collocato æternitatem augurabar, quam meruit dudum, non solum quod divinis scriptis orbem impleverit, sed quod in Te expressam

preſſam virtutum ſuarum imaginem transtulèlerit. Inprimis verò meam amicitiam optimè ſperare juſſi, cui Tu acceſſiſti, veteri nomine chariſſimus. Nolo in laudes tuas ire, quas mecum recolo. Sat erit ad laudem tuam, ſi Te Heinſium dixero. Accedit, quod connatam famam & eruditionis gloriam hæreditario quaſi jure à Parente derivatam pari exemplo juves. Perge igitur de Naſone tuo, ut cœpiſti, porrò benè mereri, nec diuturniore mora ſpem noſtram illude. Pro Claudiano, digno tuæ induſtriæ Heroë, pariter intercedo; & Aurelio Prudentio, quo aurei tui ingenii prudentia eluceat. Locus apud hunc dubius mihi occurrit, de quo judicium tuum expecto. Is in Hymno eſt de Hyppoliti Martyris Paſſione:

------ crux iſtum tollat in auras,
Viventesq; oculos offerat alitibus.

Quid in auras tolli ſit, mihi cum Lipſio non convenit, qui lib. 1. de Cruce c. 4 alluſiſſe arbitratur Poëtam ad ethymon τὸ σταυρὸς ab Heſychio traditum. Nam tolli in auras is mihi videtur, qui in cruce alta omnibus ſpectandus proponitur. Stauri autem apud Heſychium in aura conſiſtunt, quia libero aëri exponuntur

tur ſine fulcro. Ille crucis altitudinem deſignavit, à qua ὕψωσις illa apud Johannem, & cruci ſalum apud feſtiviſſimum Plautum, de quibus data induſtria fuſius egi in Diſſertatione mea de Latere Chriſti. Apud eundem Prudentium Lancinatores maximorum gregum, neſcio an Medicorum filii dicantur, quorum manus lanienam Hippocraticam ibidem appellat. Alii apud eundem legunt laniantes, alii lancinantes, quod ex Celſi præfatione mutuati ſunt, in qua Herophilus veteresq; vivorum profectores Latrocinantes audiunt. Idem ſanè Herophilus Tertulliano Profector, & Lanio nuncupatur, Aſclepiades Sector Celſo, & Medicus Archagothus carnifex Plinio, Tu de loco Prudentii quædam mone, ſi forte occurrant, dum ego Medicorum juſtæ incumbo defenſioni. Si in otium tuum pecco, amicitiæ condonabis fiducia, & Prudentii amori, cui curas tuas partitus es. Ex Claudiano tuo pauca delibarem, ſi epiſtolii anguſtiæ permitterent. Unum tamen de Phœnice decerpo, cui

Arcanum radiant oculi jubar.

Radios hos non oculis, ſed temporibus contribuit Auſonius;

Ales

Ales Cinnameo radiatus tempora nido, ſeu nimbo, ut Scaligero placuit. Toto capiti applicat Lactantius in Eleg. Phœnicis:

Æquatur toto capiti radiata corona.

Ubi membranæ meæ manu ſcriptæ habent: equataq; noto capiti radicata corona. Qua id veritatis ſpecie, per otium indicabis. Neſcio an huc reſpexerit Solinus: Capite honorato in conum plumis extantibus. Quid ſi capite coronato reponamus, ad Lactantii imitationem? quanquam & honoratum caput dici poſſit, ut apud Claudianum:

——— igneus ora
Cingit honos rutilo &c.

Sed hæc proſequor in Comm. de Luce Animantium. Tibi interim iter, quod laudabili animo in Latium ſuſcepiſti, ut ex voto ſuccedat, Deum oro. Ego patriam meditor diu deſideratam. Tu mihi bonas aves præcare, & amorem perenna. Vale amicorum decus. Leidæ XVIII. Mart. cIↃ. IↃc. XLVI.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTO-

EPISTOLA LXXXIII.

De Scorpii marini in tenebris fulgore.

THOMÆ BARTHOLINO Leidam.

EX ultimis tuis Lugduni Batavorum 11. April. datis, intellexi ad Te non perveniſſe meas quas fratri Erasmo perferendas tradidi. Nervoſiſſimam tuam Diſputationem Baſilienſem, ut & Orationem elegatiſſimam apud Avum vidi, quorum participem me quoq; reddes, cum ſcias avidiſſime me expetere quæ à Te proficiſcuntur, utpote ingenioſa & raro judicio elaborata. De Luce tua cogitans, non poſſum quin referam quid hiſce diebus mihi contigerit. Emerat in foro piſcario nuper ancilla mea, inter alios piſces Scorpium marinum, Schonveldio ſic dictum, nobis vulgo en Ulck/ hunc cum excoriaſſet, ac exuvias cum capite in locum ſordibus excipiendis deſtinatum projeciſſet, poſt dies aliquot illac circa crepuſculum tranſiens famulus, vidit inſolitam lucem in tenebris ibidem micantem, quæ terroris haud parum ejus animo incutiit, unde domeſticos reliquos convocans oſtentum demonſtravit. Qui attoniti cum aliquamdiu lucem hanc aſpexiſſent, ex iis animoſior quidam, propius ſe admovit, quid ſubeſſet rei

exploraturus. Offendit verò caput & corium piſcis exenterati, quod in diem ſequentem ſtudioſe aſſervavit. Mane me convenit ac rei geſtæ hiſtoriam pluribus expoſuit circumſtantiis. Juſſi corpora luminoſa adferret, quæ ſemiputria in angulum Mulæi abdidi. Aliquoties verò in diurno lumine verſanti ac tractanti, nihil tale animadvertere licuit. Veſperi verò ingruentibus tenebris, rem ut narravit comperi: accuratiùs verò obſervanti, quatuor quaſi diſcretæ luculæ oculis obverſabantur, ex quatuor diverſis capitis partibus emicantes; ſupra quemvis oculum una, ad inferiorem mandibulam utrinq; una. Hæ autem partes unde lux emicabat, per candelam luſtratæ, non ut corium reliqvum, nigræ, ſed candicantes & mucoſæ obſervabantur. Spectaculo hoc per noctes quatuor aut quinq; diverſis temporibus oculos pavi, aliisq; id monſtravi, donec calore ambientis exſiccatum caput, paulatim lumine deſtitueretur. Humidum igitur illud lentum & mucoſum in ſubjecto niveo ad putredinem diſpoſito, ad hujus lucis naturam multum contuliſſe arbitror. Hæc dum conſidero, venit mihi in mentem quod non ita pridem legeram in Epiſtola Allatii ad Licetum, de Gammarorum reliquiis in tenebris lucen-

lucentibus. Extat vero hæc Epistola in Doctissimo Clarissimi Liceti tractatu de Lapide Bononiense cap. 33. pag. 123. sed hæc hactenus. Controversiarum Mearum spem nulli facere valeo, cum non sit, qui excudendi laborem in se suscipere velit. Vale & porro ama. Hafniæ 24. April. Anni 1646.

T.

Olaus Worm.

EPISTOLA LXXXIV.

An Aneurysma tuto secetur?

Johanni Beverovicio Dordrechtum.

TUæ humanitatis dulcedine nuper inescatus qvum ex itinere devius ad urbem vestram inclutam tuo solius videndi desiderio deflexissem, absens gratius memoriam vestram recolo, quo certiori augurio divinus animus præsagit Charontis terrorem & mortalium delicium jam publico literarum bono morbi tædium superasse quo affligebaris. Interest sanè communi saluti, cui dudum te devovisti, tam chari capitis salus, in quo Musæ habitant omnes & Charites æterno fœderis vinculo sociatæ. Quod si amici aliquid votum apud

ſuperos valet, te ſerum cœlorum incolam velim, ne tecum juſto citius migrent & literæ, quas illuſtras, & ſalus mortalium, quam divinâ arte promoves. Quid enim ad utriusq; contuleris hactenus dignitatem, me tacente, orbis loquitur eruditus, maximis ingenii induſtriæq; tuæ monumentis clarior redditus & ſuperbior, ut fruſtra eſſem, ſi tanto famæ ſplendidiſſimæ lumini fenerarer lucem, ſat erit, ſi & me, quod præſens inchoavi, tuarum virtutum cultorem protulero, qui in tui admirationem jamdudum ivi, ex quo videre contigit quæ feliciſſimâ pennâ in publicum hactenus expediviſti. Quo ſecurius credas, euntem ad urbem veſtram Doctiſſimum Virum Dn. Mollerum, ſine litteris mei proni affectus interpretibus abire paſſus non ſum, & ne vacuæ ad manus tuas occupatiſſimas venirent, adjunxi Anatomicam Aneurysmatis Hiſtoriam olim à me conſcriptam, ut & de Monſtris Oratiunculam, & Cl. Folii mihi de Oſſiculis auditus inſcriptum munus, ea mente ut limatiſſimum tuum judicium ſingula experirentur. Inprimis autem, quid de Aneurysmatis nova ab Hildano cauſa inducta, contra quam diſputavi, ſententiæ feras, & cur extravaſatus ſanguis in pus non convertatur, de quo anxiè laboravi, ex ſummo

tuo

quo ingenio, mihi exponere ne dedigneris. Superſunt non paucæ Obſervationes de ejusdem Aneurysmatis curatione, quas iteratæ editioni deſtinavi, ſi ſymbolam quoq; huc contuleris. Digna ſanè altiori Tuo genio quæſtio, An tutò ſectio hic adhiberi poſſit, præſertim in minoribus tumoribus, & partibus à pectore remotis? Suadere videtur ſimilis varicum apertio, & Arteriotomiæ uſus antiquis uſitatus, nec noſtro ævo cordatioribus inviſus, aliaq; quæ non affero, ne ſus Minervam. A te enim ſolidam horum expecto ſolutionem, qui tot dubiis hactenus facem præluxiſti ipſe, partim certatim Eruditorum excitaſti induſtriam. Vale, Vir Maxime, publico bono diutiſſimè ſuperſtes, me amare ne ceſſes, ad quævis officia & amici obſequia paratiſſimum. Leidæ XXVIII. April. 1646.

T. T. Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LXXXV.

Reſponſio.

THOMÆ BARTHOLINO Leidam.

JOH. BEVEROVICIUS εὖ πράτειν.

CEleberrime Vir, gratiſſimæ mihi fuere literæ Tuæ, quas heri uxor Dordrechto

ad me misit. Summas etiam gratias tibi habeo, pro tot muneribus literariis, quibus me liberaliter honorare dignatus es. Jam magnam partem legi, quare vereor ne impar futurus sim scriptioni, quam requiris. Ne tamen videar peccare in exorientis & exoptatæ amicitiæ sacra, tentabo aliquid, ubi domum & cum Musis in gratiam rediero. Hic enim longè dispari negotio sum implicitus Effigiem tuam inter χειμηλια cum aliis magnorum Virorum imaginibus servabo. Raptim Hagæ 4. Maij 1646.

EPISTOLA LXXXVI.

De Hyssopo in Cruce Christi.

JOANNI BEVEROVICIO Dordrechtum.

THOMAS BARTHOLINUS, S. P. D.

RECtè meas curatas humanissimæ tuæ literæ testantur quas Haga nuper ad me misisti, in quibus id amo quod semper in Musis æstimare solemus. Expressa enim animi tui elucent vestigia & humanitati junctus candor, quem immensa eruditione adeo feliciter temperas, ut digniorem Musæ Charitesq; sedem haud facile inveniant. Unum doleo quod publicæ

publicæ res, quibus in patriæ commodum deſtinaris, non patiantur frui otio literario. Ita eſt, partem tui patria ſibi vindicat, quæ ſe totam in ſinu tuo reponit ſapientum arcanis gubernandam. Hic fructus philoſophiæ ſeverioris, quæ nobis imperia dividit; ſupra quam dignitatem major non eſt felicitas. Utriq; ego, tibi patriæq; gratulor, quod tu patriam conſiliis, hæc honoribus tantæ virtuti debitis te augeat. Cæterum ſi publica commoda permiſerint, optarim equidem tibi ab aula inducias vel mei ſolius cauſa, qui nuper in *Epiſtolicas* tuas *Quæſtiones* eruditiſſimas incidens de Hyſſopo in cruce Chriſti plures concepi difficultates quam ex proprio poſſim expedire ingenio, & tamen in Diſſertatione mea de *Latere Chriſti aperto* aliquid mihi erat determinandum: Hyſſopum enim pro arundine ſeu frutice accipere te cum Incomparabili *Salmaſio* intellexi, quod conſenſus *Evangeliſtarum* ſuadere videtur, variorumq; Interpretationes. Arabs enim قصبة *calamum* reddidit, arundinem ſeu cannam, & Perſica *Xavieri* Hiſtoria ſummitatem arundinis, *Italica* quoq; Verſio vetus, *un baſtone d' Iſopo* expreſſit. Quod ut verum ſit, hyſſopum antiquorum à noſtro diver-

diverſum ſtatuendum, & genere differre quia illorum frutex, noſtrum herba ſit. Sed ut ſecurius veſtræ ſententiæ applaudam, diſcere à te Medicæ rei peritiſſimo velim, qua veritate veterum hyſſopus, non minus quam noſtra, πόα nuncupetur à *Dioſcoride* lib. III. cap. XXX. *Auguſtino* 2. de Doctrina Chriſtiana cap. XVI. *herba* brevis & humilis, *Ætio* quoq; Tetrab. IV. ſect. III. c. XXV. hyſſopus *herba*, qvum ab hyſſopo *humida*, de qua *Myrepſus* Sect. III. de Ungu. c. II. diſtinguitur. Nusquam ſane inter frutices locum obtinuit, ſed cum herbis eadem ſerie explicatur à *Dioſcoride*, media inter Abſinthia & Stæchades claſſe. Imo ubiq; pulegio, Origano aliisq; humilis generis in compoſitionibus veterum ſociatur, ut ex *Galeno*, *Oribaſio*, *Ætio*, *Marcello* reliquisq; auctoribus noſtris liquet. Eadem ſuſpicio ex veterum deſcriptionibus emergit. Nam folium Origano Heracleotico aſſimilat *Dioſcorides* lin. III. cap. XXXII. & pro Origano ſubſtituit Galenus. Onitidem haud diſſimilem hyſſopo prodidit *Plinius*, & idem lib. 27. hiſt. Nat. c. 12. comam Hyſſopi ſtæchadi aſſignat. At inter herbas qvum referantur Origanum, Onitis & Stæchas, non video quo jure ex hac nomencla-

tura

tura excludatur veterum hyſſopus, niſi πόαν πολύκλωνον dicamus. Et quanquam *Dodonæi* veſtri argumentis lib. 4. Pempt. 2. c. 19. propoſitis convictus largirer aliam eſſe hyſſopum nobis notam ab illa quæ in veterum hortis colebatur; non tamen fateri cogar illorum fruticem fuiſſe, qvum id neceſſitatis non imponant mihi indicia à *Dodonæo* prolata. Quod ſi vel maxime id verum foret, auctoritate antiquorum caret, caules fruticis calamum vel arundinem appellare, quæ voces in hiſtoria Evangelica occurrunt. Ego quemadmodum calamum ſpongiam amplectentem libenti animo in Cruce concedo, quia altior crux talem requirebat; ita arundinem hanc ex hyſſopo confectam non facile inducor ut credam. Utriq; enim hiſtorico ſacro *Matthæo* pariter ac *Joanni* ratio conſtat. Nam adfuit fortaſſe utrumq; & hyſſopus herba & calamus cui alligatur, quod *Toleto* in Johannem & *Michaeli de Palatio* Granatenſi Theologo quoq; placuiſſe video, ne antiquiores repetam. Calamum hunc ſui generis neſcio an bona Eruditorum venia ex *thyrſo* mihi liceat derivare Libero Patri Veneriq; olim ſacro, quippe ut canit *Sidonius Appollinaris* carm. 22.

Cantharus & Thyrſus, dextra lævaq; feruntur.

Thyrſus enim globoſo cacumine ſpongiam alligatam facile ſuſtinebat, unde latens telum Liber Pater gerere dicebatur apud *Macrobium* in Saturnalibus. Huc conjecit me *Arabica* N. T. vox قصبتين quæ pro hyſſopo poſita eſt & calamum ſignat ſeu baculum thyrſi, ut in plurium numero قصبان advertit *Raphelengius*. Cæterum ſi aliquod amicitiæ precium ponis, de ſingulis ſententiam tuam mihi aperias, ut quæ pleniori calamo in *Diſſertatione* mea deduxi, auctoritate tua vel confirmentur, vel emendentur. Hanc enim legem ſcriptis meis poſui, quam vitæ moribusq;. Meliorum exemplum ſequor, quamquam ſubinde hanc paſſibus æquis. Interim tuum reſponſum avidius exſpectabo, quam in Phænicia ſervi faces Orientis diei, ſi res tuæ publicæ permiſerint, in quas videor longiori epiſtola peccaſſe. Sed menti calamoq; inſedit illud *Comici*, *Rud.* Act. 2. ſc. 3.

Omnes ſapientes decet conferre, & fabulari.

Vale, Vir Ampliſſime & magnum literarum columen, ut felicius utraq; Reſpublica per te valeat, &, ſi me amas, munus hoc literarium de

de Aſcire Amantiſſimi mei Conſobrini D. Fuirenii, benignis oculis excipe.

EPISTOLA LXXXVII.

De Hyſſopo Reſponſio.

THOMÆ BARTHOLINO
JOH. BEVEROVICIUS. S. D.

QUod eruditiſſimis literis tuis, Vir Clariſſime, iterum me condecorare dignatus ſis, vix dici poteſt, quantum tibi debeam. De Aneurismate quæ edidiſti, talia ſunt, ut omnem plura cogitandi anſam aliis præciderint. Nec minus accurate excepiſti Hyſſopum; de quo paullum reponam, non quod neceſſe ſit, ſed quia amica flagitatione mihi neceſſitatem imponis Dicis me Hyſſopum cum incomparabili Salmaſio pro frutice accipere, idq; conſenſum Evangeliſtarum ſuadere videri, ſuadereq; variorum interpretationes. Recte. Frutex enim debuit eſſe, cujus cuſpidi circumponeretur ſpongia, quæ erigi poſſet in altum. Ideo, quod Johannes dixit ἀσόγγου ὑσσώπῳ περιθέντες, Matthæus expreſſit καλάμῳ. In quem locum Beza nodum tangit, ſed non ſolvit. Et circumpoſuiſſet, inquit, καὶ περιθεὶς, i. ἐπιθεὶς, impoſuiſſet, extremo nimirum calamo circum-

circumvolutam. Calamum autem potius, quam arundinem interpretor hoc loco, non modo, quia uſitatum eſt Latinis vocabulum: ſed etiam, quia fortaſſis Hyſſopi culmum declarat, ſicut videtur apparere ex Johannis 19. 28. ut illis quaſi arboreſcere Hyſſopum oporteat, ſicut & Sinapi Matth. 13. 32. quemadmodum etiam Seſamum & Milium Herodotus ſerio teſtatur, ut oculatus teſtis, in Babylonia in proceram arborem aſſurgere. Hoc tamen affirmare non auſim, cum 1. Samuel. 4. 33. videatur, tanquam inter herbas humilimas, cedris, arborum proceriſſimis, opponi. *Verum fruticantem Hyſſopum hic confirmant interpretes, quos adducis, ut & Hiſpanus, qui vertit*, una vara de Hyſopo. Hoc cum minus conveniat Hyſſopo noſtro vulgari, eum differre à veterum ſtatuunt Monachi, qui in Meſuen commentati ſunt, Dodonæus, Pœna, Lobelius, Dalecampius, Bauhinus, &c. Sed non opus eſt diverſas ſpecies ſtatuere; quod ratione magnitudinis ſolenne Botanographis, cum quotidie videamus, plantas pro loci proprietate (quod etiam notat Dioſcorides) & anni temperatura citius tardiusq; adoleſcere, atq; celſius aſſurgere. Sic ſcribit Plinius 29. 4. authores tradere, in Arabia Malvas ſeptimo menſe arbo-

arboreſcere, baculorum uſum præbere extemplo. Idem, non facta mentione Arabiæ, cultura fieri teſtatur Theophraſtus 1. Hiſtor. Plantar. V. Itaq; ſi Malva, quæ herba flaccida eſt, varietate ſoli, vel ſola cultura ad tantam magnitudinem, ac firmitatem pervenire poteſt, ut baculi uſum præbeat, quanto magis ſolum Orientis natura ſua aptum, quippe à cœlo & ſolo præparatum, id efficere queat in Hyſſopo, herba per ſe fruticoſa? Cur ergo, objicis, veteribus habita pro herba, & Dioſcoridi ſimpliciter πόα appellata, qui etiam Origano Heracleotico ſimilem facit? Similem facit, ſed folio: quanquam vidi hic ſæpius utrumq; lignoſis ſurculis duorum pedum ſuperare altitudinem. Et talis Hyſſopus absq; dubio in Judæa altius excrevit, ita ut pro calamo facile uſurpari potuerit. Quod urges vocem πόα, ſcio ex diviſione Theophrati cit. πόαν quartum plantarum genus conſtituere, cum eam ab arbore, frutice, & ſuffrutice diſtinguit: Sed nec ignoro etiam ſumi pro quavis planta. Heſychius, πόα, βοτάνη ἑπάση. Et quidni talis Hyſſopus etiam pro frutice haberi queat, cum Thymum χαμαίσκιον Φρυγανοειδὲς, exiguus frutex, ſurculoſus, quod

Gaza

Gaza diceret ſuffrutex, & Abrotonon θάμνος δενδρώδης, frutex arboreſcens Dioſcoridi nuncupentur. Abrotono, magnitudine, aut ſurculorum duritie vix cedit Abſinthium, quod tamen eodem, quo Hyſſopus nomine, πόα χυμώδεσα indigetatur à Dioſcoride; qui & ipſe in præfatione cum Abrotono, Abſinthio, & aliis, inter fruticoſa, ἐρυώδη, recenſet Hyſſopum. Quare fruſtra duo, quos citas, ad duo diverſa confugere videntur, Hyſſopum nempe & calamum, cum ipſe Hyſſopus calamum præbeat ſatis longum ſpongiæ ori cruciarii admovendæ. Et idcirco quod alteri Evangeliſtæ Hyſſopus ſimpliciter dicitur, alter ab uſu calamum vocat. Vale, Vir præſtantiſſime, & applaudente fama præſtare perge, quæ alii ea ætate ſolent promittere. Pro elegantiſſimo libro Cl. Fuirenii iterum tibi debeo. Dordrechti IV. Eid. Quintil. cIↃ IↃc XLVI.

EPISTOLA LXXXVIII.

De quibusdam MStis.

THOMÆ BARTHOLINO Leidam.

ITa ego infortunatus fui, ut quo me tempore hic quæreres, ego te Lugduni fruſtra quæſi-

quæsiverim. Verum non mihi idem licuit, quod Tibi, ut testimonium aliquod affectus mei tibi relinquerem, quemadmodum tu mihi feciſti. Non minus interim mente gratus fui, quam tu re beneficus. Quod ſi nullum gratī animi dederim indicium, ſorti id potius quam voluntati imputandum. Gratias itaq; ago pro munere mihi relicto, quod quamvis cariſſimum mihi fuerit ſuo merito, carius tamen fuit propterea, quod à te profectum ſit. Remitto obſervationes tuas de Unicornu, quas quanto cum guſtu legerim vix dixerim. Illud quod minimi ponderis in illis obtinet, id unica nominis mei litura poſſit redimi. Gaudeo quod me monueris de duobus illis libellis ſcriptis, qui in auctione Commeliniana proſtabunt. Vidi utrumq;. Sed illud Cyrilli non magni facio. Si tamen parvo pretio poſſit haberi, velim mihi comparari. Alterum verò Chronicon nimirum Stuvonenſe quovis pretio habere velim. Aliquid in eo eſt quod mihi uſui eſſe poſſit. Folia Theæ ſimulatq; acceperim transmittam: id autem fiet cras, aut perendie ut ſpero. Corpus Medicorum cujus editionem parat Rhodius admodum videre deſidero. Celſi novam editionem parat D. van der Linden. De Marcello Empirico

pirico ſcripſi Salmaſio. Vale. Amſtelodami cIↃ IↃc XLVI. XVII. Maj.

T. T.

Iſaacus Voſſius.

EPISTOLA LXXXIX.

De Terra antiſcorbutica, Aue Topau, & Unicornu cranio.

THOMÆ BARTHOLINO Leidam.

TErra illa Antiſcorbutica, cujus mentionem facit Catalogus meus, prope Bergas in Norwegia reperitur, eam mihi attulit D. Fabricius Medicus Regius, qui refert ejus civitatis Poliatrum non ſine ſucceſſu, ad ſudores in ſcorbuto movendos ejus uti Drachmam unam in aqua appropriata. Cum effoditur impura valdè eſt, radiculis, fibris & ſabulo miſta: mundata lentorem & pinguedinem nullam habet, ſed formam pulveris refert, colore Turpethi mineralis ex ☿ confecti. Ego ejus experimentum nunquam feci. Aquæ meæ Antiſcorbuticæ, cujus miram hic indies experimur efficaciam, mitto deſcriptionem. Quid conferre poſſim laboribus Dn. de Laet, commentarium in Boëthium de Lapidibus meditantis, non video, cum vix quicquam poſſideam quod

quod ab aliis non sit descriptum. Noctuas ergo Athenas feram. Interim capsas meas data commoditate lustrabo, ac si quid invenero notatu dignum proxima commoditate Dn. de Laet perscribam. Ad alteras tuas literas (quæ mihi oblatæ cum hæc scribere meditarer) ut transeam. Felicitatem istam vestris literarum Antistitibus non possum non invidere, quod egregiis tuis Opusculis de Unicornu & aliis gaudeant, nobis verò hic nè tantillum concessum. Interim gaudeo Te familiariter uti magno Salmasio & meo Latio, Viris de Republica Literaria optimè meritis. Sed si animus sit iterum de Unicornu agere, suadeo legas Samuelis Purchassii Anglica lingua conscriptum Tomi 3. lib. 3. c. 1. 22 & lib. 4. c. 19. &c. ubi de hisce animalibus observationes invenies haud ingratas. Avis istius quam Topau vocavi rostrum, à quodam mercatore accepi, hoc ipso nomine ex Indiis advectum. Interim non me latet ab Aldrovando lib. 12. Ornithol. cap. 20. Rhinocerotem avem vocari. A Domino de Laet in Exoticis istis versatissimo certiora disces. Interim neminem adhuc videre licuit, qui integram historiam hujus avis proposuerit. Rostrum saltim habuisse videtur Aldrovandus, ego totum caput cum rostro.

Balenæ Narhual ſceleton, ut potuit delineavit glyptes, ita eſt, ut dicis, non accuratè obſervavit in totius icone, ſiniſtram maxillæ partem occupare dentem, aut in minuta iſta forma exprimere non potuit, corrigi hoc facile ex reliquis quæ junguntur, cum accuratè ſatis id oſtentent. Penes me adhuc extat craneum, mutuo acceptum à Nobili Viro, quod Te vidiſſe exoptarem. Quid jam agat Salmaſius mone. De materia medica opus meditari, mihi retulit quidam, utinam huc cogitationes dirigeret, nemo enim ipſo felicius eam tractare poſſe abundè docent divinæ Exercitationes Plinianæ. Ebenbeterum cur nemo veſtratium in Arabum ſcholis enutritorum nobis det, valdè miror, cum vel ſolius hujus authoris Verſio gloriam polliceatur immortalem. Inter rariora quæ ex Hiſpania attulit Eilhardus Ulfeldius & lignum erat quadratum, utrinq; literis Arabicis, ut hic vides, inſignitum, hujus enucleationem à veſtro Profeſſore Arabico ſi impetraveris, rem gratam feceris. De rebus tuis in Italia relictis aut Neptuno commiſſis quid tibi ſit ſpei mone. Hafn. 22. Maj 1646.

T

Olaus Worm D.

EPISTO-

EPISTOLA XC.

De Unicornu variæ Observationes, & Annotationes.

THOMÆ BARTHOLINO Leidam.

QUas ad me 20. April. dediſti Lugduno Batavorum cum adjuncto faſciculo literas, jam primum 29. Maij accepi. Gratias verò ago maximas pro transmiſſis & diu à me deſideratis Opuſculis, in primis quod in tractato de Unicornu, non ſolum ſæpicule mei mentionem facias honorificam, ſed ad calcem Doctorum de Aureo Cornu judicia ſubjunxeris præclara. Si quid in tui honorem vicissim à me proficiſci poſſit, ſenties me in paribus haud ſegnem. Avidè & magna cum delectatione ubi perluſtraſſem eruditiſſimum De Unicornu opus, juxta monitum, Avo tradidi, qui ſummis laudibus non ſemel illud extulit. Perge, non de Patria modò, ſed toto orbe literato benè mereri: ſi non aliud, certè immortalem nominis gloriam hinc reportabis. Cæterum quia intelligo tam ex literis tuis, quam catalogo Nundinarum Francofurtenſium, Te iteratam ejus moliri editionem, non potui quin quæ percurrendo animadverterim notatu digna, monerem, ut ſi inde conatibus

tuis quid accedere poſſit augmenti, diligentius expendas. Erat & mihi cum doctiſſimo & nobiliſſimo Viro Dn. Iſaaco Peyrerio Gallo, qui in comitatu Illuſtriſs. Dn. Legati de Thuillerii hic fuit, dum Chriſtianopoli de pace tractabant, per litteras, de Unicornu Colloquium, quod communicandum duxi iisdem quibus inter nos habitum verbis, ut inde aliquid in rem tuam decerpas. In meliorem partem cuncta interpreteris rogo. Vale mi Bartholine & amare me perge. Hafniæ 5. Junii 1646.

T.

Olaus Worm.

Quæ obiter percurrendo librum tuum de Unicornu obſervaverim hæc ſunt:

Pag. 47. Si erraverim vocando avem Rhinocerotem Topau, in errorem inductus ſum à Mercatore noſtro qui roſtrum attulit. Facile igitur me corrigi patiar à Clariſſimo amico meo de Laet, in his exercitatiſſimo.

Pag. 53. Rhinocerotis inſecti aliud genus, depictum ex Galliis mihi transmiſit Chariſius noſter; cornu oſtentans in extremitate bifidum & in dorſo gibberum valde eminentem bifidum quoq;. A nemine, quod ſciam, hoc animal depictum; magnitudine & reliquis linea-

lineamentis cum eo convenire mihi videtur, quem tu proponis.

Pag. 91. Inter piſces cornutos non immerito Centrinam nobis Hafnius, & canem marinum, Haa noſtratibus dictum retuleris, qui unicum cornu, verè corneum & acutum in dorſo geſtant, quo ad dentes purgandos, etiam argento & auro ornato utuntur noſtrates, à doloribus & aliis incommodis præſervare credentes. Quamvis alii hoc cornu aculei nomine (cum parvulum ſit reſpectu totius piſcis & aliorum cornuum) potius dotandum cenſeant. Illorum piſcium duos in Muſæo teneo, marem & fæminam, uterq; duplici præditus eſt genitali.

Pag. 95. *Anteriori dentium ſerie, &c.* Balena noſtra nullos plane habet dentes, præter unicum illum longiſſimum, quem Unicornu vocant, unde arbitror illum quem vidit Holſtenius Roſmari fuiſſe. Nec prope Spitzbergam invenitur aut capitur; Sed in freto Davis Grönlandiam alluente. Mercatores noſtri, totas naves hiſce non implerunt, ſed inter reliqua mercimonia, particulas quasdam & unum aut alterum integrum, ab incolis emptum, reportarunt.

Pag 103. Strias in dente non rite expressit glyptes tuus, radicem etiam tenuiorem justo finxit, melius meus, quamvis in radice exprimenda etiam erraverit, cum crassitie æqualis ferme sit parti vicinæ. Forsan ex re esset monere, datam à Te effigiem, partem palati interiorem referre, ne in dextra maxillæ parte situm dentem quis existimet. Accuratius cuncta exhibere mihi videtur tabella nuperè tibi à me missa.

Pag. 103. Non puto Scaligerum per Elg intelligere Uros seu Uhroxen. Elg enim convenit cum nostro Els, quo addito Diut/ Alcem, exprimunt nostrates, cum cervo majorem quam cum bove habentem affinitatem.

Pag. 123. Carnem Alcis gustavi, duram, nervosam, concoctu difficilem, quæ quamdiu asservatur cruda, sanguine ichoroso scatet, ut ego in frustulo mihi dono dato expertus sum.

Pag. 140. Poculum ex cornu Rhinocerotis in India eleganter elaboratum possideo, colore succinum referens flavum, nisi quod in fundo maculas quasdam nigras ostentet. Iconem misissem si faviset pictor.

Pag. 141. Ex eodem animali dentem possideo molarem, quem ad dolorem dentium summe deprædicabat is, qui ex Indiis attulit.

P. 142. Mi-

P. 142. Miror cur porosam substantiam tribuas cornu Rhinocerotis, cum æque sit solida ac cornuum boum nostratium. In pocula ad aptatum liquorem infusum percolari aut diffluere non sinit. Graveolentia exusti cum omnibus cornubus ipsi est communis. Pro nutu animalis contrahi, extendi & flaccescere, vix mihi persuadeo, cum solidæ, duræ & corneæ ejus substantiæ hoc repugnet.

P. 197. Cavitas illa naturalis est omnibus ejus generis dentibus, ut in aliquibus quos tractavi animadverti, & ex Epistolis quas mitto uberius percipies.

P. 199 Subtilitas non impedit, quo minus ex iis pocula conficiantur, cum naturâ cavi ex parte sint dentes hi, ut ex Aldrovando lib. 1. De Quadrupedibus colligis, ubi iconem proponit poculi Sigismundi Regis Poloniæ ex eo confecti. Mihi particula est hujus dentis pedem Romanum longitudine superans, adeò cava, ut ex ea facili negotio poculum eximium conficere valeam.

P. 200. Cavitas naturæ dentium non repugnat, cum dentes Elephanti, Apri, Rosmari & aliorum ejus generis animalium cavi sint ex parte.

P. 203. Cornu Sereniſs. Regis noſtri non aptè ſatis expreſſit. Striæ enim anguſtæ nimis, ut ſupra monui, & radix tali involucro, quale proponit, non tegitur, ſæpius enim vidi & tractavi. In omnibus radicem concernentibus, cum noſtro convenit.

P. 257. Mihi ſunt aliquot ſagittæ, ex Lapponia, ut credo, allatæ, cornubus acutis armatæ, ea parte, qua ſcopum tangere debent.

P. 259. Edda non eſt conditor Hiſtoriæ alicujus, nec nomen Viri, aut Autoris alicujus: ſed liber ita dictus, continens fabulas varias, quarum uſus eſt in Poëſi Danica priſca. Similis planè liber ei quem edidit Natalis Comes, quo Græcorum & Latinorum fabulas perſequitur, quibus in carminibus uti ſolent Poëtæ.

Sed manum de hac tabula.

EPISTOLA XCI.

De Cruce dubia propoſita.

CLAUDIO SALMASIO Leidam.

THOMAS BARTHOLINUS. S. D.

EO jam ſumus ingenio qui mortalitatem conſcia mente circumferimus, ut de *illis* quæ

quæ fugax transmiſit ætas, magis ſimus ſolliciti quam quæ futura ſperamus. Hæc enim qvum non dubia minus ſint quam metuenda, ancipiti non rarò nobis ſpe illudunt; illa non certa tantum, ſed ex transactâ ætate veneratione mutuantur. Solemus quippe tantum fanis tribuere ſanctitatis, quantum adſtruxerint vetuſtatis, & in lucis antiqua robora non tam ob ſpeciem quam ætatis religionem amamus. Idq; jure meritiſſimo; quod non ignoras qui omnis Antiquitatis es promus condus. Nam præterita in exemplum ducimus, ut ex ſingulorum fato noſtrum informemus ſi conferamus utrumq;. Futura vel ideo deteſtamur, quod eventu dubio incertam volvant ſortem. Unde jam de felicitate certus, qui occulto omine non fallor, ſed certa præteritorum fide nitor; Oraculum tuum conſulo, Delphico eo nomine præferendum, quod hoc fallaci ſpe & ambage flexa pavorem mortalium, ſolatia ficta blandiretur; illud certiſſimo eventu de omnium ſeculorum dubiis det reſponſa, & in antiquis obtinuit palmam, ne cum tripode in futuris falleret. Magna profecto ingenii Tui, Vir maxime, majeſtas, quod antiquorum ætate inferior omnes tamen magnitudine antecedas, & qui veteres excuſſiſti, omnes ut diſceres,

jam verſa rerum vice ſi redirent priſca ſeculæ, in tuis invenirent quæ ignorarent. Adeò te ſolum ſacrorum ſuorum videntur optaſſe cuſtodem, qui & judex eſſes & interpres. Duum Viros ad cuſtodiam Sibyllini libri à Tarquinio impetrarunt, eosq; ſacerdotes nobiliſſimos, quorum numerus cum adulta Roma crevit donec plane decreſceret & in auras iret. Noſtrum ſeculum in eo antiquis felicius, quod & plura habet oracula, ſacra, profana, publica privataq;, ſed unum Oraculorum myſtagogum, qui & libros cuſtodiat, & ſine S.C. adeat, renunciet, procuret, omnia deniq; agat ſolus in quibus ad publicam veterum laudem per partes deſudarunt plurimi. Quod ſingulorum jus ad te devolverunt penes quos literarum ſtat arbitrium, Regemq; ſacrorum in Comitiis literariis, non Centuriatis, publico orbis applauſu crearunt, ut in Deorum gratiam & mortalium, regnum ampliſſima eruditionis dignitate ſuſtineas, ultra quam in humanis ſperare audemus amplius nihil. Ego qui ad ſacra hæc adſpiro, crucisq; altiora ſecreta ſum ſcrutatus, nunquam penetralia mihi promiſi niſi ejus admiſſione cui omnia patent. Quod tanto feci confidentius, quo mihi præſenti majora facilitatis tuæ nec fucata oſtenderis indicia.

indicia. Suasit quoq; publicus majorum gentium Virorum consensus, qui à te didicisse nunquam infra decorum putarunt. Qui enim potuerunt majora sperare quam ab illo, cui nihil magnum videtur aut arduum quod non altissimo ingenio assequatur? Nec ego glorioſius duxi quicquam, quam ab eo sacris his initiari, qui & sacrarium ipse in corpore circumfert, & justissimo imperio moderatur. Hoc si recluseris, non alium Te videbimus quam hactenus admiramur. Crucem mihi in cruce esse fixam non quidem ignoras, qui Dissertationem inspicere nostram benignis nuper oculis voluisti. Ascendi crucem altiorem, ex qua deficientibus gradibus, si vera fama, nullus regressus. Adstat quippe militum caterva, quorum Antesignanus Longinus fertur, qui & hasta petit & gladio, & suppedaneum vehiculumq; subtrahunt non pauci, quibus & pedes sustinentur & medium corpus. Quo utrumq; jure fiat non tam ex nostra eloquentia, quam ex tuis sensibus dijudicabitur. Longini hastam λόγχην vocat sacer Joannis Vates & ex antiquioribus pleriq; tibi quam mihi magis cogniti. Nonnus tamen μάχαιραν appellat diversa omnino instrumenti

menti militaris nomenclatura. Μάχαιραν Prætoriani milites geſtare ſolebant, quam Polybius Hiſpanienſem nominat, dextramq; fuiſſe ex Commentariis veſtris Eruditiſſimis in Ælium Spartianum perſpexi. Eodem inſtrumenti genere ad capiendum Chriſtum Matth. XXVI. Marc. XIV. & Luc. XXII. ſeſe armaverat cohors impia: quo etiam in perfodiendo ſanctiſſimo latere uti potuerunt, quia punctim quoq; feriebant gladiis tiones apud Vegetium lib. I. c. 12. An igitur, ut auctoritatem D. Joannis tueamur, dicendum ſuades, vel μάχαιραν dictam fuiſſe haſtam ob brevitatem, vel utroq; telo ſeſe accinxiſſe milites? Prætorum ſane inſigne & haſta erat, & gladius, unde utriusq; ad milites Prætorianos fonſan tranſiit uſus Chriſto adſtantes, ſiquidem ſubactiſſimo tuo ita viſum fuerit judicio, cui etiam πήγμα crucis utrumq; committo, ut felicius de cruce mihi ſuſcepta deſcendam. Vehiculum apud Irenæum lib. II. cap. XLII. adverſus Kalentinum, neutiquam medium illud eſſe lignum ubi medio quaſi corpore requieſcebat cruciarius, eo ducti argumento exiſtimant novitii quidam, quia & in ſuppedaneo ſolo requieſcere poſſet clavis affigendus quan-

quanquam ſtans : adeoq; etiam apud Juſtinum Martyrem in medio defixum lignum in quo feruntur & quaſi invehuntur, de eodem *ſuppedaneo* eſſe explicanduni, ſiquidem & ſtantes in curribus vehi dicantur triumphantes. Verum quidquid de triumphis decreveris qui totiens victor tot eruditos in triumphum duxiſti, quietem illam cruciarii in ſedilis exceſſu expreſſius collocat Tertullianus adverſus Nationes, diſtinguitq; *ſedile* à Soli ſtaticulo. Sed quid huic Afro *dipalus*, quod in vetuſto codice invenerat ille Doctiſſimus (Jacobum Gothofredum puto) cujus in ampliſſimis Solini Exercitationibus injectam reperio mentionem? An in *rudem palum* mutandum? An potius de antenna explicari concedis, cujus antennæ duo cornua ſeu extremitates, quibus *bipalium*, ruſticum Varronis inſtrumentum, exactè refert, ut ita apud Tertullianum legamus: *ſine forma cum dipalio*: pro eo quod Codex Regius habet: *ſine formarum dipalo*. Inter multa circa crucem noſtram dubia, veritatem conjectura imitari poteſt, quum ad obſcuriorum intellectum pectus nimis alioquin nobis ſit anguſtum. Tibi mortalium doctiſſimo, cujus illuſtrior gloria & perſpectior humanitas totius literati orbis in ſe convertit ocu-

oculos, quidquid obſcurior nobis mens ſuggeſſit inſolidum committo, vel ſinceriori approbandum laude, vel debita corrigendum cenſura, ut nobis doctrinam fruſtra apud alios quærendam, tibi verò, quam dudum ſummo tuo merito obtinuiſti, ingentis nominis præſtes perpetuitatem. Vale, Vir verè incomparabilis, ut & Muſas languentes foveas, & nos ames.

Impreſſ. Leidæ 1646. cum Reſponſione Cl. Salmaſii, quæ prolixior eſt quam ut hic inſeratur.

EPISTOLA XCII.

De Hyſſopo pauca.

JOANNI BEVEROVICIO Dordrecht.

PRo eruditiſſimis de Hyſſopo controverſa literis eas gratias ago, quas mens concipere poſſit imbecillior. Utinam tanto favori par eſſem, ſidera crederem tetigiſſe vertice. Quantum autem ex illis didicerim, nollem privatim ediſſerere. Publicè id teſtabor in Opuſculo quod ſub prælo jam fervet, ubi, quia aliud nequeo, Tibi tua reddam publicè relegenda cum aliis quæ egregiis ſuis Epiſtolis additura

ditura ſunt maxima lycæi hujus lumina Salmaſius & Vorſtius, quorum nec tibi ignota virtus nec amicitia. Eruditè ſanè, ut ſoles, fruticeſcentem hyſſopum ex conjectura & ſimilium herbarum comparatione aſſeris. Unum tantum deſiderare mecum cogit ſummus Vorſtius, præſentis nempe hyſſopi αὐτοψίαν, quam quidem ad fruticem ſurgere nulli orbis incolæ oculatam fidem fecerunt. Sed ingeniosè à te prolatis, tanto minus auſim repugnare, quod Salmaſium, dæmonium illud hominis, à tuis habeas partibus, qui operoſa Epiſtola fuſius id ad me perſcripſit. Movet me tantum ὁ κάλαμος ſeu arundo, quam ſi fruticem ullo auctorum teſtimonio aſſerueris, mecum deinceps muſſitabo. Aliquid quidem ex Conſtantino Geoponico in eam rem meditatus ſum ex cava utriusq; natura; ſed neſcio an Vorſtii noſtri impetraturus ſim aſſenſum, cujus ad prælum exſpecto reſponſionem. Interea dum hæc inter nos agitur fabula, Obſervationes meas novas de Unicornu & de Angina Exercitationes benevolæ Tuæ cenſuræ ſubmittendas transmitto. Memini quidem te aliquid de Unicornu ſcripſiſſe, ut præſenti narrabas, ſed necdum tale opuſculum licuit in-

veni-

venire. Verbo significabis quid ex hoc genere cornutorum observaveris, ut iteratæ editioni, quam Magni Salmatii & Laetii suasu meditor, commodius inspergam ante abitum. In procinctu enim sum itineris, ut patrios fumos aspiciam, quod tanto alacrius suscipiam, quo de perennaturo tuo securior ero affectu. Quem sicut mihi ad felix iter auguror, ita Tibi felicissima cuncta apprecor & seram ætatem. Vale, Vir maxime, & me ut cœpisti, quanquam remotiorem & alio Sole calentem, porrò ama. Lugd. Batav. XVII. Jul. cIↃ IↃC XLVI.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XCIII.

De cranii vulnere.

THOMÆ BARTHOLINO Leidam.

JOH. BEVEROVICIUS benè navigare.

NOn desinis me, V. N. obstringere literatis fœcundi ingenii monumentis. Ego ne plane ingratus sim, remitto Thesaurum, nomine, vereor ne reapse carbones. Unicornu nobis docte & copiose enucleasti, ita ut nihil

ad

ad Perſium, quæ ego inter alia remedia ſcripſi. Hiſtoriis de læſo cerebro, non abſimile eſt, quod ante paucos dies hic vidi. Puero ſexenni, ex alto baculus in ſiniſtram capitis partem perpendiculariter decidebat, unde fractum ad menſuram craſſitudinis baculi cranium. E parvo tamen primum oſſis ſyncipitis foramine cerebrum paullatim prodiit inſtar fungi, donec tandem ſponte decideret. Statim ab illato vulnere convulſus eſt in oppoſito latere, mox in eodem, quo læſus, reſolutus, deinde iterum convulſus, donec vulnus & ſymptomata decimo quinto à vulneris accepti die cum morte commutaret, exhauſto usq; ad corpus calloſum cerebro. De calamo cum Salmaſios, & Vorſtios domi habeas, fruſtra quæreres alios foris. Gratulor Te, V. N. patriæ, quam petis, & ut diu ſoſpes ejus decus ſis, æternum numen veneror. Dordrechti Idib. Sextil. cIↃ IↃC XLVI.

EPISTOLA XCIV.

De Crucis altitudine & Hyſſopo.

CLAUDIO SALMASIO Leidam.

THOMAS BARTHOLINUS.

SIcut illi qui diutius carceribus clauſi & tenebris damnati fuerunt, ſi ſubita mutatione

luci libertatiq; donentur, cæcutire plánè incípiunt, & vi infucti luminis affici: ita mihi quoq; mens oculiq; ſtetere & obſtupuere lectis nudius tertius literis πλυμαθεσέαις, quas Typographo excudendas de cruce dediſti. Ita enim affectus ſum, ut præ tanto tuo lumine & immortali eruditionis face jam obriguerint oculi imbecilliores. Dubito de illis quæ ſcire mihi videbar, qvum tenebras quorundam palparem, & ſciviſſe erubeſco, quæ falſa judicaſti. Solis enim tui radios quis intentis oculis innoxie ferat: ſiſtimus gradum neceſſe eſt, ſi obſiſtas tu, in quo an magis mirer ſcientiæ capacitatem univerſæ, an tantæ eruditionis fiduciam, non facile dixerim. Unicum collatæ in me gratiæ deeſt, quod à tua benignitate exſpecto. Tenebras quæſo diſcute, magne literati orbis Phæbe, quas veteris ignorantiæ conſtantia mihi ingeſſit, qvum tua opera ad veritatis lumen pertraherer. Nolim præter te ſapere, ſed de quibus nunc dubito, mox preſſiori gradu advolvar, ſi manum dederis adjutricem, ne amplius tenebras credam, quæ tibi ἰσοθέῳ placuerunt. De crucis altitudine agitur, cui tu exequias iviſti, metuoq; ut perpetuo damnetur, quia ipſe glebam congeris. Illam tamen,

opis

opis indigam, adstruxerit quis ex famosa Christi persona, cui omnia magna minabantur Judæi sive odii causa sive putati delicti. Hic enim supra vulgus eminebant cruces. Præterea singularis famæ, Prophetæ, sive Messiæ, Vir, singulari quoq; præter consuetam cruce fuerat mulctandus, non minus quam Haman, Regulus, Pæni, aliiq; veteribus memorati. Quod persuadet & Tertullianus 2. adv. Marcionem:

Hujus de latere, ligno pendentis in alto.

Et statura seu corporis forma requirebat, quam præ aliis eminentiorem deprædicant Patrum nonnulli & communis Romanorum fama. In quam rem urgent quoq; G. Nazianzenus Orat. Apol. I. Lactantius l. 4. c. 26. conspicuum omnibus esse debuisse, ut cunctis gentibus passio Dei innotescceret. Id quod à commodo astantium dependebat aspectu. At si uno tantum vel altero capite crux supra hominum regionem surrexisset, à remotioribus non visa fuisset, quibus viciniores intercipiunt aspectum, nec typum expressisset serpentis in deserto erecti, qui omnibus, qua patebat campus, erat conspicuus Necessaria etiam vel ideo visa ex mente Hebræorum, ne cruciarium Christum facile discipuli sectatoresq;, quod metuebant, surriperent ex

cruce breviori, quia per aliquot dies in cruce erat relinquendus niſi Paſchæ imminuiſſet ſolennitas. Ex pedum loco idem ſuſpicari licet, ſive ſuppedaneum credamus, ſive non. Hunc locum tribus tantum vel quatuor à terra pedibus dimetitur Epiſtola nunquam non laudanda, qua me orbemq; erudire dignatus es. Ex eo autem & crux longior hominis ſtatura haud minimi videtur, & ſuppedanei neceſſitas infertur. Nam greſſus noſtri vix trium pedum excedunt ſpatium, ne ulterius protenſos ad vehiculum dicam, quod dubio procul erat à pedibus remotius, quantum nempe à pedum digitis inguina diſtant. Tres autem vel quatuor pedes vix jam languentis Chriſti langvidiores greſſus aſſequebantur. Multo igitur minus ad medium πῆγμα potuit inſilire, niſi gradus apponamus, certiſſimo majoris crucis, ut videtur, indicio. Stratores quidem eqvum aſcenſuros olim ſublevabant, verum ſanos, & qui conatum ſtratorum ipſi poſſent adjuvare robore ſuo. De Chriſto autem viribus planè exhauſto, alia ratio & diverſa. Præterea veteres Equites an ſubice pedaneo caruerint, nolim ab alio quam te diſcere, qui unicus omnis Antiquitatis es Dictator. Nihil ſane de illis ſtapiis Xenophon de Arte equeſtri,

ſtri, nec Julius Pollux, niſi aliter monueris, à cujus dependeo auctoritate. Scythas plane caruiſſe, Hippocrates noſter L. de Ære Aq. & Loc. tradidit, indeq; ex equitatione κεδμαίτα aborta equitantibus, quod ſemper pendulos ex equis pedes habuerint. Videtur nihilo ſecius ſuppedaneum alias apud Romanos inductum, ut ex Inſcriptione Mulæ lcpida liquet in Vico Tiburtino:

CIUCIÆ DORSIFERÆ. ET. CLUNIFERÆ.
UT. INSULTARE. ET. DESULTARE.
COMMODETUR PUB. CRASSUS. MULÆ.
SUÆ. CRASSÆ. BENEFRUENTI.
SUPPEDANEUM. HOC. CUM. RISU.
POS.
VIXIT. ANN. XI.

Et illud quanquam equitibus denegemus, vices tamen ſtapiæ ſupplebant eminentes in viis lapides quos aſcendebant. Eos in via Appia adhuc reliquos non ſemel vidimus. Quos ſimilesve ſi Chriſto quoq; ſubſternamus nihil erit ad crucis magnitudinem validius. Sed cur ſcabellum inducimus, aliaq; adjumenta? Præſtaretne ſuppedaneum retinere, quod Gregorium Turonenſem ex cerebro ſuo finxiſſe nimis forſan foret durum dicere, qvum & Nazianzenus in Tragædia ſacra, ſi verus is ſit

cruce breviori, quia per aliquot dies in cruce erat relinquendus nisi Paschæ imminuisset solennitas. Ex pedum loco idem suspicari licet, sive suppedaneum credamus, sive non. Hunc locum tribus tantum vel quatuor à terra pedibus dimetitur Epistola nunquam non laudanda, qua me orbemq; erudire dignatus es. Ex eo autem & crux longior hominis statura haud minimi videtur, & suppedanei necessitas infertur. Nam gressus nostri vix trium pedum excedunt spatium, ne ulterius protensos ad vehiculum dicam, quod dubio procul erat à pedibus remotius, quantum nempe à pedum digitis inguina distant. Tres autem vel quatuor pedes vix jam languentis Christi langvidiores gressus assequebantur. Multo igitur minus ad medium πῆγμα potuit insilire, nisi gradus apponamus, certissimo majoris crucis, ut videtur, indicio. Stratores quidem eqvum ascensuros olim sublevabant, verum sanos, & qui conatum stratorum ipsi possent adjuvare robore suo. De Christo autem viribus planè exhausto, alia ratio & diversa. Præterea veteres Equites an subice pedaneo caruerint, nolim ab alio quàm te discere, qui unicus omnis Antiquitatis es Dictator. Nihil sane de illis stapiis Xenophon de Arte eque-

stri,

ſtri, nec Julius Pollux, niſi aliter monueris, à cujus dependeo auctoritate. Scythas plane caruiſſe, Hippocrates noſter L. de Ære Aq. & Loc. tradidit, indeq; ex equitatione κεδμαῖα aborta equitantibus, quod ſemper pendulos ex equis pedes habuerint. Videtur nihilo ſecius ſuppedaneum alias apud Romanos inductum, ut ex Inſcriptione Mulæ lepida liquet in Vico Tiburtino:

CIUCIÆ DORSIFERÆ. ET. CLUNIFERÆ.
UT. INSULTARE. ET. DESULTARE.
COMMODETUR PUB. CRASSUS. MULÆ.
SUÆ. CRASSÆ. BENEFRUENTI.
SUPPEDANEUM. HOC. CUM. RISU.
POS.
VIXIT. ANN. XI.

Et illud quanquam equitibus denegemus, vices tamen ſtapiæ ſupplebant eminentes in viis lapides quos aſcendebant. Eos in via Appia adhuc reliquos non ſemel vidimus. Quos ſimilesve ſi Chriſto quoq; ſubſternamus nihil erit ad crucis magnitudinem validius. Sed cur ſcabellum inducimus, aliaq; adjumenta? Præſtaretne ſuppedaneum retinere, quod Gregorium Turonenſem ex cerebro ſuo finxiſſe nimis forſan foret durum dicere, qvum & Nazianzenus in Tragædia ſacra, ſi verus is ſit

auctor, idem πηκτὸν ξύλον agnoverit, cui affixit pedes. Quod ſi aliorum de ligno hoc ſilentium obtendatur, in promptu erit reſponſio tibi examinanda, qui cunctorum potes moderari judicia. Quippe & ignobilior crucis fuit pars, & adeo inſilienti cruciſalo crediderunt neceſſariam, ut non opus fuerit quidquam de illo narrare quod omnium confeſſione credebatur adeſſe. Et qvum pedibus tegeretur, non minus quam ſella, vulgo non apparebat. Cæterum de crucis Chriſti magnitudine liberius ferrem judicium ex latronis patibulo quod Helenæ tempore fertur cum ſancta cruce repertum, niſi ſuſpectam illam apud te, cunctarum rerum perſpicaciſſimum cenſorem, hiſtoriam viderem. Refert Jo. Helffrich, Civis Lipſienſis, in itinere ſuo Orientali, adhuc ſervari in monte Olympo Inſulæ Cypri apud Monachos crucem ligneam excedentē parum hominis juſtam magnitudinem, quam pii latronis dicebant eſſe crucem, à qua monti quoq; crucis indiderunt nomen. Veroſimile autem eſt, Chriſto altiorem fuiſſe, in quem omnium convertebantur oculi. Credoq;, ſi credere fat ſit, impiam Judæorum turbam data induſtria tantum Chriſtianæ addidiſſe cruci, quantum detraxerunt latronibus, ut illum, innoxium

nempe,

nempe, magis redderent aſtantibus conſpicuum, hos vero, quantum poſſent, ſupprimerent. Cur autem tibi, maxime ſacrorum veterum myſtes, adeo inventæ crucis hiſtoria diſpliceat, non auſim quærere, quia nec quicquam gratis dixiſſe te unquam memini. Eam tamen hiſtoriam bona fide, ut credimus, Theodoretus, aliiq; Claſſicæ monetæ auctores texuerunt. Euſebius forſan ejus ſeculi ſcriptor illam pressit, vel quia cunctis nota, vel quod incerta adhuc eſſet referentium fides, ut optimo conſilio ſilentii pallio involveret, donec clariora indicia ſequens tempus addidiſſet. Cruces ibi tot bellorum everſionibus conſervatæ, ſingulari fortaſſe Dei providentia, vel caſu aliquo à Superis directo. Ita tot antiquitatum monumenta relicta nobis Romæ viſuntur alibiq;, quanquam nullum fere ſolum majores fortunæ variæ vices fuerit expertum. Teſtantur nummi, ſtatuæ, inſcriptiones, ſaxa, marmorā, columnæ, portæ, obeliſci, amphitheatra, thermæ, piſcinæ, pontes, aquæductus, templa, lucernæ, oſſilegia, & alia numero non pauca, quæ caſu quodam furorem militum effugerunt. Quam aleam experta quoq; crux Chriſti à ſummo forſan Numine temperatam. Miraculum hic damnare vetant iidem, quia etiam in utriusq;

crucis diſcretione ſanatum mulierem ſcribunt. Repertos Latronum titulos tacuerunt, quia tacuit & Evangeliorum hiſtoria, facile ignobiliora illa ſupprimentes dum magnæ Chriſti crucis indagationi vacarent. Vel fortaſſe literas coloresq; ex tabella ætas detriverat, quam σανὶδα λευκὴν, atramento pictam, non ſculpram ſatis, Vir admirande, hactenus probaſti, ut poſtea poſt tot ſeculorum recurſum nequiverint dignoſci. Sed horum, ut dixi, arbitrium à te, Heros literarum, dependet, qui crucem hoc nomine deprimis, quod à reo debuerit portari. Ego, qua ſum ingenii infelicitate, exinde inducor ut ſuſpicer, longam quidem fuiſſe, ſed leviorem nec compactam adeò aut ponderoſam, ſiquidém, ut obvium pluribus, magnitudini exile pondus non repugnat. Patibulum, quanquam alibi totam crucem deſignet, apud Nonium de antenna ſola ſumi, ex Plauto pro Lipſio videor poſſe probare, quia expreſsè inter patibulum diſtinguit & crucem totam Plautus. Imo ex Varrone apud eundem Nonium cruciarius deligatur primo & circumfertur ad patibulum, deinde demum cruci defigitur. Ubi apparet, aliud fuiſſe crucem, aliud patibulum. Nec enim ad crucem circumferebantur, ſed patibulum, nec ad patibu-

tibulum ſolum defigebantur, ſed totam crucem. Quod ſi crucem geſtaſſe dicantur, eam crucem homo ipſe efformabat antenna humeris impoſita. Titulum cunctorum in oculos incurriſſe puto, ab candorem in nigra tabula admodum illuſtrem. Nihil enim ad remotiora diffunditur magis, quam in candido pariete nigræ emicantes notæ. Quia, ut explicant Ariſtoteles in problematis & de Coloribus, & Aphrodiſæus, ex luce candor componitur, ad quam quo color quis propius accedit, ita lucidus magis eſt & conſpicuus, præſertim ſi cum extremo diſſidentis nigroris gradu conferatur. Λευκώματα enim majoribus literis exarata vetas credere. Sed eadem forſan cum aliis Inſcriptionibus titulorum fuit ratio, quæ & in edito loco collocatæ, & majoribus characteribus, pro diverſa ejus dignitate cui erigebantur monumenta. Ita Romæ grandioribus literis quadratis ſignata ſunt periſtylia auguſtæ Antonini ædis in foro Romano, ſublimi adhuc loco, à me tamen, quanquam non ſatis oculato, lectis. Pari pacto, ut majorem cruciario Salvatori conflarent invidiam, ſuperbam cruci noſtræ potuerunt præfigere inſcriptionem. Scalas admotas crucibus altioribus video concedi, ut nec

Chriſto eas ſubtrahere ſit fas, ſi quidem inter altiores numeratus fuit. Eas ſcalas paſſim annotarunt in picturis ſuis Durerus, Sadlerus aliiq; Apelles, quos urgerem acrius niſi infelicius á pictoribus ſuccederet argumentum. Hæ ſi denegentur, ex jacente cruce commodum foret effugium, de qua ſive prona adhuc, ſive cum cruciario erecta, optime quoq; quadrare arbitrarer loqvutiones, excurrere in crucem, aſcendere crucem, inſilire in crucem, tolli in crucem, ubi nempe nulla altitudinis ſit mentio, ſicut ſcamnum aſcendimus ad pedes poſitum. Tollebatur igitur Chriſtus cum cruce ſublata & cum eadem aſcendit. Crura de plano fracta dubium fuit nonnullis. Militem equitem fuiſſe, qui latus aperuit, Fr. Xavier in hiſtoria Chriſti Perſica divinavit, quo cum facit & Verſio N. T. Bohemica. Et quia in orbem longiori ſpatio cruciarius patibulum circumferebat, vero minus ſit ſimile, milites idem iter tædioſum pedibus fuiſſe emenſos. Dici quoq; poſſet, neſcio an tua venia, ſiquidem pedites erant, crura latronum fregiſſe ex minoribus crucibus dependentium, Chriſti autem ſublimiores pedes qvum tangere nequiverint, ad haſtam coactos confugere, ut, loco pedum fracturæ, quo ægre quoq; illi face-

facerent mortuo quem mortuum tam cito dolebant, latus aperuerint. De calamo per haſtam non explicando, is mihi ortus eſt ſcrupulus, quod locus Plinii dubius ſit, quia & haſtæ ſua habent ſpicula. Favetq; Plinius idem de Indicis calamis, pro haſtis, ut & Theophraſtus, quos calamos ad Palæſtinam in mutuo gentium commercio perveniſſe mirari non poſſum. Nec opus fuit ex Indis advocare, qvum, ſi magnitudo ad haſtas deſideratur, Cypria vicina fuerit, craſſa ſatis, auctore Dioſcoride l. I. c. 97. Unde & קנה Hebræis de haſta, & قنا Arabibus. In opinione Ludovici de Dieu hæreo, quia calamus κατ' ἐξοχὴν non ſemper de odorato ſumatur. Nam Dioſcorides περὶ καλάμων lib. 1. cap. 97. ſimpliciter agit de quinq; ſpeciebus aliis arundinis, neutiquam de calamo aromatico, quem deſcripturus cap. 17. reſtrictim addit περὶ καλάμε ἀρωματικῦ. Ita & σχοῖνος dicitur ἀρωματικὸς eidem cap. 16. Quod ſi hoc loco Dioſcorides ſine additamento κάλαμον expreſſiſſet, excuſari debuiſſet, quia ex ſe intelligeret Lector aromaticum eſſe, qui in ſerie aromatum collocatur. Idem de junco exiſtimandum, quem, extra hunc ſcilicet

cet ordinem, κοῖνον appellat Hippocrates noſter de Morb. mul. non ſimpliciter, ſed ἡδύοσμον, & ἐυοσμον, & ἐυώδεα, alii μυρεψικὸν. Extra quem aromatum catalogum quum in hiſtoria Chriſti deſcribatur, ſine dubio non κάλαμον ſolum, ſed adjecto cognomine compellaſſet, ſi de odorato calamo intelligi voluiſſet. Quod quo magis opinemur, hyſſopum aromatico calamo non fuiſſe congenerem, illi jubent, qui veterum hyſſopum non inter aromata, ſed alexiteria numerarunt. Inter quos Theophylactus, qui ὡς δηλητηριώδες traducit, & Cous ipſe, Actius, Celſusque, qui vomitorium poculum ex hyſſopo miſcent. Hæ ſunt denſiores tenebræ oculis meis mentiq; oblatæ quum ſatis clariſſimam veſtram lucem perſpicere non poſſem, de qua quanto minus dubitō, tanto alacrius perpetuo applauſu ſectabor, ſi obducta caligine lumina, ſolita tua dexteritate exterſeris. Nec amplius muſſitare animus erit, ſi ſilentium impoſueris, apud quem ſumma eruditi orbis eſt poteſtas. Vale, valere digniſſime Vir, & ſi pro aliis intercedere licet, crucis altitudini, ſin minus, mihi quæſo favere perge, homini quo nullum ſpondeo inter mortales

tibi

tibi habebis devotiorem. Scripsi Lugduni ad Rhenum in procinctu itineris XXVIII. Julii cIↃ. IↃc. XLVI.

Impress. Leidæ 1646. cum Responsione Secunda & Tertia Cl. Salmasii.

EPISTOLA XCV.

De calamo in cruce Christi.

ADOLFO VORSTIO Leidam.

THOMAS BARTHOLINUS, S. D.

MEmineris, Vir Eruditissime, quum nuper ad deambulationem me humanissime invitares, pares gressibus nos æquasse sermones, & inter pedum labores menti quoq; litasse. Nolo repetere quæ tum sibi devorarunt Nymphæ nemora vicina incolentes & perpetua arboreti corona Palladis vestræ urbem cingentes. Unicum de Hyssopo colloquium illis inviderim, quia foris degunt, & nuper in eandem rem ego pluribus in Dissertatione prælo Mariano submissa disputaveram, quæ non parum lucis sunt habitura si repetito quasi gradu in chartam conjeceris, quæ pari passu sed eruditò ingenio in Floræ regno maximus Floræ amor alterno colloquio reposuisti.

Res

Res tota ad Hyſſopum in Cruce Chriſti rediebat, quam de arundine ſeu ὑσσῷ cum Camerario explicaſſe te memineram, nec favere hyſſopo arboreſcenti, quia neq; in Oriente, utpote plaga ſicciore, ad talem magnitudinem excreſcere videatur ſimile vero, quod tamen credit in data ad me Epiſtola Doctiſſimus Jo. Beverovicius amicus quoq; tuus. Me judice, hoc tota vertitur controverſia cardine, de quo certiorem me fecerit ingenii tui ubertas, ut majori ſecuritate opinioni huic diffidere queam. Variis id quidem probare ſatagit Vir idem Ampliſſimus, ſed ſcrupulum non exemit, qui adhuc me pungit. Quippe admiſſa hyſſopo arborea, reſtabat eidem arbori arundinem ceu calamum conſignare ut auctoritatem ſacrorum Vatum tueamur. Videor mihi aliquid pro magno Viro inveniſſe. Nam caulis arboris hyſſopi, arundinis potuit mereri appellationem, ob ſimilem poroſi caviq; corporis ſubſtantiam, quemadmodum hippuris ſeu caudæ equinæ caulem vacuum velut harundinis vocat Caſſianus Baſſus in opere Geoponico lib. 2. c. 5. ex Democrito. Eodem ſane jure arundini compararetur caulis hyſſopi, ſi cavum eſſe ulla conſtaret authoritate. Quanquam Democritum credam

dam hippurim arundini comparasse non quia cava esset, sed quia articulos haberet illi similes, unde Geoponicum scriptorem ita, mutata parum verborum serie, emendarem: *αὐτὸς δὲ ὁ καυλός ἐστι κενὸς, ἔχων τὰ ἄρθρα ὡς ὁ κάλαμος.* *Ἄρθρα* illa alibi *γόνατα* nuncupat, quæ omni calamorum generi sunt propria. Secùs de cavitate. Nam arundines quoq; solidas describunt Dioscorides & Theophrastus, & ipse Cassianus ex Democrito *μεσοκαλάμους* agnovit, hoc est, plenas harundines, ut interpretatur Cornarius, imo *βαλίπους εὐελιγμους δασεῖς καὶ ἀπαλὰς*, densas & teneras. Videtur quidem *τὸν κάλαμον* confundere cum syringa, quem *κοῖλον* vocat Theophrastus tuus lib. 4. hist. plant. c. 12. non habentem *ξύλον* nec *σάρκα*, sicut & Plinius lib. 16. cap. 36. distinxit, Theophrasti, ut suspicor, sequutus ductum: Verum à partibus suis habet Dioscoridem, qui l. 1. c. 114. *συρίγγιον* appellat *πολύσαρκον*, *πυκνογόνατον* vel *παχύσαρκον* ex vetusto Saraceni Codice. Non tamen ita sunt *δασεῖς*, quin leves maneant & porosi calami, adeòq; ad conficienda tela & hastilia apti erant apud Romanos milites in martyrio Christi,

Chriſti. Hinc apud Virg. l. 1. & 5. Æneid. ſagittæ celeres, quia ex arundine levi, &, ſi fides Operi Geoponico lib. 5. c. ult. τρέφονται ὑπὸ τῶν ἀνέμων οἱ κάλαμοι, à ventis nutriuntur, quod de alimento terræ aquæve leviori & ventoſo intelligendum vel ideo reor, quod per bulbos ſerantur. Sed ſiquidem pro arundine pugnas, quæſo erudito tuo calamo nos doceas, quodnam calamorum genus tibi arrideat. Scio Dioſcoridem Ναστὸν κάλαμον advocare, ἐξ ὃ τὰ βέλη γίνεται, idq;, quia ſolida ea ſit arundo, & farcta, ut exponit Matthiolus, haſtis peridonea, unde Plinio ſagittaria, eadem forſan quæ Theophraſto τοξικὸς, & Democrito apud Conſtantinum, ſi verus ſit, Geoponicum, βαλίτης, ſeu, ut Sarraceno placuit, βελίτης, quanquam conſtanter βαλίτης legatur in exemplaribus omnibus MSis Palatinis, quæ Illuſtris Salmaſii manu collata apud te vidi, ſervaturq; in edito Codice Jo. Alexandri Braſſicani. Ναστὸν κάλαμον apud crucem habere potuerunt milites, ſiquidem in uſum ſagittarum accipi à Syris probat Matthiolus, quibus vicinus miles Hieroſolymitanus Prætoris. Sed qvum idem memoriæ noſtræ prodiderit, in Italia arundinem eam non oriri,

oriri, militibus Prætorianis, tanquam Romanis, fortaſſe denegabimus, niſi dixeris ex Syria derivatos illuc bulbos. Quorum omnium difficultates effugere videtur conciliatio à me tentata in diſſertatione de Latere Chriſti, ſi quidem exactiori judicio tuo probabitur. Vale, Muſarum & amicitiæ delicium, & in orbis Lyceiq; ornamentum cum Floralibus publicis porro floreſce.

EPISTOLA XCVI.

De eodem calamo Reſponſio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

ADOLFUS VORSTIUS.

VIx tanti erant, Vir doctiſſime, ut chartis illinenda putares, quæ tecum ambulanti mihi, ante diſceſſum hinc tuum, in ſermone familiari ὁδῷ παρεργον exciderunt. De Hyſſopo, divo Joanni, in hiſtoria Paſſionis Dominicæ, memorata, tum temporis actum eſſe memini probè; ducente nos eò Diſſertatione tua de aperto Chriſti latere, in qua huic enodandæ controverſiæ caput peculiare à te tributum. Dixi pro re nata ſententiam tunc meam; quæ cum tuæ aliquomodo videretur favere, iteratis litteris, hanc uti ſcripto

consignarem, petere tibi visum, Obsequar igitur voluntati tuæ, quia id me facturum in me recepi, scribamq;, quàm potero breviſſime, quid sentiam, aut potius conjiciam. Quæcunq; enim vel olim ad locum veteres, vel recentiores, maximiq; hujus ævi viri attulerunt, quorum non unius eruditioni libens assurgo, omnia meræ sunt conjecturæ, plurimum inter se discrepantes, prout ingeniorum judiciorumque magna solet esse diversitas. Quibus lectis idem evenisse mihi fateor, quod Terentiano illi Seni, qui filii in causa cum varios consuluisset advocatos, auditis singulorum pugnantibus sententiis, Incertior, inquit, sum multò, quam dudum. Non permittam mihi tantum, ut aliorum aut examinem opiniones, aut prolixe refutem. Est enim illud tum operosum nimis, tum minus fere gratum. Suo proinde quemlibet frui sinam ingenio, ut mihi meo liceat. Joachimi Camerarii, viri de tota re literaria optime meriti, correctionem, pro πεθὲς ὑσῶπω in Joanne, ὑσῷ legentis, hoc est hastæ, non displicuisse mihi apud te professus sum, sed obiter tantum, & re nondum accuratè perpensa. Nunc verò penitius eam introspicienti excutientiq;, nihil prorsus mutandum videtur, quod

quod tota vetuſtas, & quotquot antiqui hactenus reperti fuerunt Codices MS. ad unum omnes in hac lectione concordes ſint. Nam cum ſine horum autoritate, ne in profanis quidem ſcriptoribus ejusmodi facilè ſit admittenda ex ſola conjectura mutatio, multò minus in ſacro Codice, cui major quædam debetur reverentia, hanc licentiam ferri poſſe exiſtimo. Ad commodam itaq; interpretationem, quo in ſpeciem modo diſſonantes Euangeliſtarum loci in concordiam redigantur, confugiamus potius. Tradunt Euangeliſtæ duæ, Matthæus nempe & Marcus, Servatori noſtro in cruce pendenti, extrema jam omnia perpeſſo ſitienti; ſpongiam aceto imbutam, calamoq; circumpoſitam, ab aſtantium uno ad os fuiſſe porrectam; ſive id præ commiſeratione fecerit & ſitis ſublevandæ gratia, ſive contumeliæ, quod magis reor. Poſtremum hoc confirmant Lucæ c. 23. v. 36. verba. Ενέπαιζον δὲ αὐτῷ καὶ οἱ στρατιῶται, προσερχόμενοι, καὶ ὄξος προσφέροντες αὐτῷ, καὶ λέγοντες, εἰ σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ιουδαίων, σῶσον σεαυτόν. Illudebant autem ei & milites, accedentes & acetum offerentes ei: & dicentes, ſi tu es rex Judæorum, ſalvum te fac. Atq; hoc modo divini oraculi impleta eſt

veritas, quod exstat 69. Psalmo Davidis, qui Christi typum gessit: Potaverunt me aceto in siti mea. Scribit enim Joannes, ἵνα πληρωθῇ ἡ γραφὴ, λέγει, διψῶ. & subjungit mox, ὅτε οὖν ἔλαβε τὸ ὄξος, εἶπε, τετέλεσται. Ex altera parte Joannes rem gestam eandem enarrans, pro calamo Hyssopum posuit, cujus vehiculo spongia acetata Christo oblata fuit. Eadem apud omnes loquendi ratio, περιθεὶς καλάμῳ, ὑσσώπῳ περιθέντες, idem usus calami & Hyssopi, quorum interventu Servatoris os attingi debebat, satis arguunt ipsos in summa rei convenire Euangelistas. Sed tota in eo consistit difficultas, quod calamus & Hyssopus res sint diversissimæ. Cui etiam ego opinioni, ut herbarum scientiæ peritus, adhærere cogor. Quis enim per κάλαμον simpliciter & ἄνευ προσθήκης positum, Hyssopi plantam intelligere queat? Ac, vice versa, per Hyssopum, calamum aut arundinem, ut vetus interpres in Matthæo eam vocem transtulit? quam tamen τυφότητα nonnulli hic sibi sunt imaginati, & ex veteribus nominatim Origenes, arbitratus sic ab omni dissensu immunes se præstitisse Euangelistas. Non hac ratione incidendus erat iste nodus, neq; ulla huc nos impellit necessitas. Nam

in

in calami ſummitate & Hyſſopi, paſſim in montibus Hieroſolymitanis obviæ, faſciculus eſſe potuit & ſpongia commodè eidem imponi, quod ego planiſſime credo. Dicat quis, cur ergo reliqui Euangeliſtæ Hyſſopi non meminerunt? Nimirum ſatis illis erat, inſtrumentum indicaſſe quod ſpongiæ in altum tollendæ ſufficeret. Joannes autem, qui oculatus teſtis paſſionis Dominicæ cruci proximus adſtitit, Hyſſopum additam, vel contemptus ergo, vel ut ſpongia melius extremitati arundinis hæreret, & ab aliis omiſſam, hiſtoricæ huic narrationi inſeruit. Quæ diſcrepantia in lævi quadam circumſtantia ſita eſt, non autem in iis quæ aliquod dogmatis, aut hiſtoriæ momentum in ſe habent, nihilq; detrahit autoritati ſcriptorum N. Fœderis. Quinimo, autore Theophylacto, Bulgariæ Archiepiſcopo, ὁι αὐτο τοῦτο μᾶλλον ἀληθεύουσιν, ὅτι μὴ κατα πάντα ὡμοφώνησαν. ἐνομιζήσαν γὰρ αὐ, ὅτι συγκαθίσαντες ἀλλήλοις καὶ συμβουλευσάμενοι, ἔγραψαν. ὑμῶν δὲ ὁ παρέλιπεν ἕτερος ἔγραψεν ἐκεῖνος. καὶ διὰ τοῦτο δοκοῦσιν οὐ πάνυ διαλάττειν. Loquitur autem, περὶ τῶν ἐλαχίστων non περὶ τῶν κυριωτέρων καὶ ἀναγκαιοτέρων, in quibus mira ubiq; omnium conſenſio. Arundini ergo va-

go veræ, non calamo aromatico, qui exiguus, rarus, pretioſus & alterius uſus, Hyſſopus adjecta, brevis frutex ſive φρύγανον, & quotidiani in Judæorum religione ad immundorum expiationes uſus, ſicuti ex veteri T. patet. Numeror. c. 19. ita præcipitur. Et quiçunq; in agro cadaver gladio cæſum tetigerit, aut alioqui mortuum, aut oſſa hominis, aut ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus. Accipiant igitur pro immundo iſto de cinere combuſtionis peccati, & infundantur ſuper illum aquæ vivæ in vas aliquod, & accipiat mundus aliquis Hyſſopum, & intingat in aquam, & ſpargat ſuper tentorium, & ſuper omnia vaſa, atq; ſuper animas quæ fuerunt illic, & ſuper eum qui tetigit oſſa, aut interfectum, aut mortuum, aut ſepulchrum. Vides hinc, aſpergillis ex Hyſſopo uſos fuiſſe Judæos, quibus aquam luſtralem contaminatis & expiandis aſpergerent. Cum vero κρανίου τόπος, in quo Chriſtus crucifixus eſt, plenus oſſium & immunditiei eſſet, mirum neutiquam videri debet, Judæos, rituum ſuorum obſervantiſſimos, qui eo ad ſpectandum convenerant, de Hyſſopo cogitaſſe. Huc quoq; facit egregiè, quod me monuit doctiſſimus collega, idemq; amiciſſimus cognatus, Conſtantinus L'empereur, ſcribere Talmudi-

cos,

cos, ubi de immundorum luſtratione agunt, Hyſſopum ad aſperſionem aptam tribus conſtare debuiſſe culmis ſive caulibus, qui breviores ſi eſſent, tum ligno alicui Hyſſopum alligaſſe Judæos. Quæ obſervatio meam quoq; roborat conjecturam, Hyſſopum, cui ſpongia fuit circumpoſita, calamo ſive arundini longiori fuiſſe alligatam, eximitq; præterea cogitationem omnem de Hyſſogo arborea, quæ nusquam gentium hactenus obſervata, ne in ipſo quidem Oriente, teſte Clariſſimo Golio, Collega & amico veteri, Qui in Syria cum eſſet, non ſemel Hyſſopi humilem plantam vidit, legitq; per terram repentem, cubitalibus ramis, foliis Majoranæ ſimilibus, odoris grati, ſaporis amari, quibus notis, ab ipſis Arabum Botanographis, Malaieſa, Abubeitharo aliisq;, inſignita deſcribitur, & زوفا appellatur, ab אזוב Hebræorum proculdubio, per *ἀφαίρεσιν τοῦ* Alif. Ex quo liquet, Hyſſopum noſtram vulgarem ab Orientali, atq; ea etiam quæ Dioſcoridis eſt, diſtare plurimum. Hæc, amiciſſime Bartholine, mea qualiscunq; eſt de hac controverſia ſententia, quam doctiorum judiciis æquiſſimo animo, ſi non arrideat, corrigendam ſubmitto. Vale, & boni conſule quæ valetudine non ita

firma, animoq; minus ob id excitato, in chartam conjeci. Scrib. Lugd. Batav. An. cIↃ cIↃ XLVI. IV. Novemb.

Impreſs. Leid. 1646.

EPISTOLA XCVII.

De Carteſio judicium, & alia.

THOMÆ BARTHOLINO Hafn.

SAMUEL SORBERIUS.

QUod in patriam, Vir Clariſſime, tandem poſt longam admodum peregrinationem fauſtè appuleris ex voto noſtro factum eſt, qui Tibi ſecunda omnia ſolventi adprecabamur: quod verò commodum appellens noſtri memineris, id ſummæ humanitati tuæ debetur, qui ex affectu in literas & bonas artes nos potius æſtimas, quam ex re & operâ navatâ: Etſi enim deſides haud quaquam ſimus, & horas multas quotidie impendamus mentis cultui, imò ſubinde chartis aliquid perituris illinamus: at neſcio quomodo nobis in dies tantò fieri obtuſiores videmur, & tantò altiores radices infigit *ἀκαπνλεψία*. Exſpectamus adhuc Incomparabilis noſtri Gaſſendi Commentarios de vitâ, Moribus & universâ Philoſophiâ

Epi-

Epicuri, unde lux tenebris noſtris affulgeat. Librum Hobbii de Cive edi curavimus, ut eliceremus quæ Vir ille admirandus circa naturam mittere pollicitus eſt. Nam quæ Carteſius & Regius emiſerunt non omnibus ſatisfaciunt, & cum tenuitate fili operisq; admirabilia, quoad uſum tamen & rerum veritatem frivola & inania apparent. Tuum de Luce Animalium Tractatum avidè expeto, quem inter deſiderata repoſuerat acerrimi judicii Cancellarius. D. Beverovicium fuiſſe, hic boni omnes & eruditi ægerrimè ferunt. De Bibliothecâ Avunculi mei Samuelis Petiti gratias ingentes ago, quod ſermonem feceris & catalogum oſtenderis Epiſcopo Reverendiſſimo, cui, ſi traderet nobis Amſtelodami decem millia librarum, quas vocant Turonicarum, ibidem deferri, tradiq; curaremus ampliſſimam illam ſuppellectilem librariam, M. S. Codicibus ornatam, atq; inprimis Excerptis illis Conſtantini Porphyrogenetæ, unde Valeſius ſua in Polybium deſumpſit, & innumera alia ſuperſunt paſſim uſurpanda ad bonos authores illuſtrandos. Verùm ſi emptores Maſſiliæ merces accipere vellent aliquid detrahi de pretio illo poſſet. Sed Tu, Vir Clariſſime, videbis, & reſcribes quamprimum ad fratrem mentem nobi-

lissimi Viri, quam materteræ meæ significabo, efficiamq; ut quam commodissimè res ista perficiatur. Vale. Lugd. Batav. Kalend. Febr. cIↃ IↃc XLVII.

EPISTOLA XCVIII.

De siniſtris judiciis.

JACOBO MATTHIÆ Arhusium.

OTium hactenus optavi, ut commodius te compellarem, sed frustra video me fuisse, qvum majora indies mihi èmergant negocia. Invitum sanè in hoc studii genere spiritum traho. Aliis enim inserviendo, gratis ipse consumor, nec tantum quicquam mihi indulgere possum, vel literis. Tu ex præsentium necessitate affectum metiaris, nec ex silentio, immemoris animi culpam arguas. Dum occasionem exspecto, elabitur ex insperato, quia curis premimur, quas novis aliis videmur pellere. Nihil tamen promoveo. Unum concoquere non possum, quod cum Musis benignioribus redire in gratiam non liceat. Retrahunt Receptæ, horrendũ ægris mihiq; nomen. Nec sinunt bonã mentem amplius tueri iniquiora invidorum judicia qui in Reipublicæ nostræ sinu malum delitescunt. Quid amplius sperandum, nisi ut antiqvum animum damnemus, bonum quidem,

dem, ſed malum patriæ incolam. Geographos brevi conſulam, ut ad fontem lethes me perducant. Nihil enim ſciviſſe commodum videtur & moribus patriæ non ingratum. Prius tamen mihi erit adverſariis reſpondendum, qui nuper partim publicis ſcriptis meam Diſſertationem de Latere Chriſti aggreſſi ſunt convellere, partim furtivis vocibus ea mihi affinxerunt, quæ nefas eſſet hic credidiſſe. Doleo occupationes Practicas (invitas ſane) omne otium mihi ſurripere, ut necdum compoſito animo ad Apologiam acceſſerim. Accedit quod ignorem ipſus quid olim definiverim, niſi per primum tabellarium libri mei partem transmiſeris quam apud te reliqui, quia necdum, confectum alioquin opus, ad nos detulerunt Bibliopolæ. Quod vere proximo futurum auguror Dabunt quoq; ex officina ſua Libros meos de Luce jam ſub prœlis ipſorum ſudantes, forſan & de Armillis Veterum ſchedion, quod confeci. Iniquiores quippe ſunt typographi noſtri, neſcio an cœli patrii vitio; & ego hic rude videor donatus, ut nec de aliis Opuſculis meis cogitare velim, nec poſſim. Tu interim, inter rara patriæ exempla numerande, ſi mereor, me ama. Vale. Hafn. Cal. Mart. 1647.

Thomas Bartholinus.

EPISTO-

EPISTOLA XCIX.

De Philologiæ abusu.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

VIr Cl. Affinis pl. dilecte, Interveniſſe varias differendi officii cauſas, ex quo vultum nobis voccmq; ſubtraxiſti, non eſt quod operosè adeò excuſes. Facile enim differt qui quotidie ſcripturus eſt, nec ideo obſequium omittit qui ſecuturæ occaſionis captat compendium. Novi quonam ſis animo, & quali vigore ſangvis Tibi caleat, vacillent alii, & fidem mutent, nunquam pectus illud levi erit ſententiâ, in quo ſe humanitas & eruditio pari cultu & concordia explicuit. Non placent qui amicos intra dentes concluſos habent. Ego cum affectus tui ſim ſecurus, nihil in amore noſtro revoco ad vulgi arbitrium, nec tanti erit ulla in ſcribendo mora, ut ea propter præjudicio velim peccare aut vadimonium deſererc. Spiritum ducit, qui dormit, quid obſtat, quo minus amare poſſit, qui manum ad tempus ſuccingit, & à ſcribendo nonnihil feriatur. Unâ voce, tuus ero, quamdiu ero. De cætero, gratulor tibi quod ea fiducia numeroq; operam tuam ambiunt, quos imbecillior valetudo affligit, ut nec tibi nec Muſis ex voto poſſis vaca-

vacare. A mœnioribus ſtudiis ſatis datum eſt; in eo genere quid poſſis orbi meliori non ſine eruditorum applauſu teſtatum feciſti. Noli ægre ferre quod Æſculapius tibi aurem ſubinde vellicet, manumq; ad practicas occupationes convertat. Habent literæ humaniores, & illa πολιλη Φιλομάθεια neſcio quam vim Πανσρπικην, ut quos Muſa illa ſemel afflavit, ſemper ad antrum illud reſpiciant. Sentiunt præter te & alii. At verò ubi expendimus qualem ſpicam culmus iſte ex ſe effundit; quid quæſo cultoribus ſuis niſi ſteriles ariſtas, nudam, inquam, delectationem, & famam ſui tædium ſenſuram tandem relinquit. Quod certè non eo fine à me ſcribitur, ut conatus tuos omni laude majores improbem, aut te in ſtadio πολυιστορίας currentem ſufflaminem, quod qui tentare vellet ſuam inſcitiam turpiter proderet, ſed conſilii mei hic ſcopus, hæc meta eſt, ne ita te ſtudio rerum antiquarum & humanitatis impendas, ut medicinam ei poſtponas. Illa luſum hæc uſum habet. Sit illa pediſſequa, hæc Dux & comes. Malè autem ſit illis, qui ſcripta tua, ſtimulante invidiâ arrodunt. Si fas eſſet tempora tua morari, rogarem ne grave duceres, verbo me docere, quid in Diſ-

ſerta-

ſertatione tua de Latere Chriſti invenerint obeliſco aut triſti literâ dignum. In me ne ſit mora quo minus adverſariis tuis maturè occurras, librum de quo certandum eſt, remitto. Vale, & ſi quid ultra eſt, vive immortalis.

Arhuſii 16. Martii 1647.

Semper Tuus

Jacobus Matthias, D.

EPISTOLA C.

Contra Pharmacopæos.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

DE elegantiſſimo tuo libro De Latere Chriſti, cum Cl. Salmaſii & aliorum de Cruce Epiſtolis, gratias ago infinitas. Non ſine ſumma animi voluptate eum ex amantiſſimi Fratris Caſp. Bartholini manibus accepi, ſed illud mihi penè funeſtum fuit, quod nullas à Te literas acceperim; ſuaviſſimum enim mihi fuiſſet, ſi per tuas diſcere licuiſſet, præſentem rerum tuarum ſtatum: nempe quid nunc habeas laboris in manibus? An cogites de tui Itinerarii Europæi promovenda editione? An de Opuſculo quod ante hac habuiſti in mente, pro Clariſſ. Parentis vindiciis, adverſus hominem moro-

morosum & mordacem, Casp. Hofmannum? an quid aliud? quidquid sit de illis, summo me afficies beneficio, si me monueris docuerisve quid de singulis istis opusculis habeas in mente. Hanc quoq; gratiam à Te postulo, Vir Clarissime. Patere quæso ut reficem Tibi memoriam à Te antehac, Dominisq; Fratribus tuis ante aliquot annos promissorum, nimirum Operum Clarissimi Parentis vestri Casp. Bartholini, Hafniæ editorum, præsertim verò suæ Physicæ, quam ardentissimè desidero: quibus singulis si addideris Instit. Medicas eruditissimi spectatissimiq; Viri D. Olai Wormii, Regem me feceris. Cura precor, & da operam ut hæc omnia in hanc Urbem devehantur tutoq; mihi reddantur: quod si effeceris, & ut spero facies, gratus ero de tanto beneficio, pretiumq; libentissime refundam ei qui mihi istum thesaurum in manibus tradiderit: aut quidquid volueris librorum ex hac urbe pro acceptæ gratiæ compensatione per eam viam quam mihi indicaveris, illicò mittam. Postremo verò, fuit hîc me Præside & Autore, disputata Quæstio *De Sobrietate ad longam vitam requisita*: ipsa Thesis omnibus placuit, præterquam Pharmacopæis nostris, qui de illa mihi litem moverunt: sed miserè cum illis actum

est:

est: in medio enim Senatu, me perorante, sine ullius Patroni opera, & eorum fraudes, suæq; artis impostúras æquissimis judicibus indicante & aperiente, causâ suâ turpiter ceciderunt, non sine eorum contumelia, publicoque infinitorum auditorum risu. Illius Theseos exemplaria duo ad Te mitto: quorum unum si placet per Te accipiet D. Wormius, cujus tuumq; de ea judicium utinam tandem accipiam. Valete ambo, quos toto corde saluto, ut & D. D. Fratres tuos: vobisq; singulis omnem felicitatem tota mente exopto. Dabam Lutetiæ Parisiorum, 20. Junii die, 1647.

Tuus ex animo

Guido Patinus, Bellovacus,
Doct. Medicus Parisiensis.

TH. BARTHOLINI EPISTOLARUM MEDICINALIUM CENTURIA SECUNDA.

EPISTOLA I.

De Pharmacopœis.

GUIDONI PATINO Parisios.

QUod prolixas pro Dissertatione nostra nuper egeris gratias, id totum humanitati tuæ adscribendum. Non merentur enim Schediasmata nostra vel tantillum pretiosi otii tui, ne applausum dicam. Video autem te fœtus nostros eo excipere animo, quo me solebas, & ex iis redire in sinceræ amicitiæ memoriam. Displicet inprimis, quod ad Te reliqua nostra mittendi non detur occasio. Locorum impedit distantia; & conducti internuncii dona hæc pretio nimio vendunt. Non dubito quin ex

Belgio ad vos delati ſint libri mei De Luce Animalium, de quibus judicium tuum deſidero. Dum in patria verſor curas practicas dispunxi editione duorum librorum, quorum alter Synopſin exhibet Antiquitatum Veteris Puerperii, alter Armillas Veterum præſertim Danorum, perſequitur. Quamprimum licuerit, ad vos eos mittam. Ad prælum tradidi Apologiam de Cruce, oppoſitam impugnationibus *B. Nihuſii*, qui me publico ſcripto laceſſivit. *Hofmannus* interea, dum aliis occupor, quieſcit, nec Itinerarium meum publicam lucem aſpexit. Gratulor Tibi de parta victoria, quod diſertiſſimo ore profligaveris Seplaſiarios. Si me in conſilium vocaſſent, ſuaſiſſem ut amicè potius cum Patino tranſigerent, quam intentata lite. Nota jam & huic hominum nationi erit infelix Marſyæ cum Apolline pugna. Neſcio cur illis adeò ubiq; ferè gentium pruriat cutis, ut intra officium ſe nequeant continere. Plerumq; enim vani oſtentatores ad exercendam medicinam furtim ſe ingerunt, quumq; apud ægros inferius tantum guttur eluere deberent, ſuperius audent inquinare, ſicq; in Medicorum meſſem immittunt rudem falcem, & relicto miniſterio ſervili, cui dicati ſunt, Dominorum ſuorum, ſeu

Medi-

Medicorum, famæ & fortunis ſtruunt inſidias. Magnam cladem apud vos paſſi ſunt à *Guiberti* veſtri Medicina Charitativa, ex qua quisq; domi ſuæ præparare diſcit, enemata, decocta, ſyrypos &c. pro uſu domeſtico, ut exigua apud vos amplius Pharmacopæorum ſuperborum ſit neceſſitas. Id ſi ſequantur aliæ quoq; nationes, jam vileſcet Seplaſiariorum pretium & criſtas demittent. Tu interim victor & profligator monſtrorum, perge, ut magni nominis magnæq; eruditionis Tuæ perſentiant virtutem. Theſis ipſa tua noſtro non indiget encomio. Sufficit, Patini eſſe theſin. Gratias tamen tibi utriusq; nomine ago, & ut parem rependat vicem Magnus *Wormius* noſter, Inſtitutiones ſuas Medicas cum aliis Exercitationibus Medicis hic editis mihi conſignavit, quamprimum ad Te mittendas, ſi, ut accepi, vergente autumno ad vos rediturus eſt Legatus Regis Veſtri Chriſtianiſſimi, Tibi ob patrem haud ignotus. Qui, ſi volet, deferet quoq; Phyſicam *Parentis*, & alia quæ Typothetæ noſtri parturiunt. Vale, Vir ſumme, cum Cl. *Moræo*, & ſi quæ Tibi exercitatiſſimo rara in calamum venerint, Obſervationibus noſtris Medicis brevi proditurus, quæſo ne invideas. Clariſſimus *Wormius*, & fratres, &

Conſobrini Fuirenii officiosè te ſalutant. Haſniæ 17. Jul. 1647.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA II.

Pro Apologia ſua.

BARTOLDO NIHUSIO Moguntum.

PRo literis humaniſſimis Tibi, mi Nihuſi, gratias refero, & pronum tuum in me affectum libens amplector. Utinam ex voto tuo ſuccederent cuncta, me applaudentem haberes. Kircheriana Muſurgiæ Synopſi me non parum nuper tibi devinxiſti. Amicis officiis certas, & ego me nollem inferiorem, ſi ita ferret occaſio. Non eſt quod ægrè feras meum de Cruce controverſa ad Te reſponſum. Diſſentiamus incolumi amicitia. Ego ſanè nunquam inimicos ſcriptis meis ſum venatus, ſed amicos, nec Te illa Apologia volui irritare, ſed devincire, ut ipſe perſpicies ſi attentius illam relegeris. Nec unquam Eccleſiæ, quod ſciam, fui injurius, quin Patres & Eccleſiam pro me Tibi oppoſui, ſi erravi, hominem me ſcio, & orbis cenſuræ me publicè expoſui. Unde compoſito animo & Tibi modeſtè, uti ſpero,

spero, satisfeci, & aliis. Miror cur rus tibi in mentem venerit? Quid verbis illis sinistrorsum acceptis cum rure commercii? Si rus olent, innocentia sua & simplicitate se tuebuntur, nam & ruri aliter olent sues aliter catuli. Prolixiore verborum amicorum apparatu in præsenti supersedeo, quia publica negocia graviora me revocant, & Alcides Hofmannus mihi est debellandus. Tu, mi Nihusi, omnia in meliorem interpretare partem & certô credas mihi esse antiquius nihil, quam amantem redamare. Vale itaq;, Vir clarissime, & quod olim suasi candido animo, publicas lites seponamus. Hafniæ XIII. Maj. cIↃ IↃc XLVIII.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA III.

De situ valvulæ coli.

JOHANNI SPERLINGIO. Witteberg.

GRatissimum fuit munus amica manu nuper per internuncium vestrum mihi transmissum vel hoc nomine quod ad amicitiam tuam, quam semper ambivi, viam straverit expeditam. Labores in publicum commodum quis non æstimet aut amet? Antiqvum id tibi & proprium videtur, cujus quippe eruditioris

EPISTOLA XCIX.

De Philologiæ abuſu.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

VIr Cl. Affinis pl. dilecte, Interveniſſe varias differendi officii cauſas, ex quo vultum nobis vocemq; ſubtraxiſti, non eſt quod operosè adeò excuſes. Facile enim differt qui quotidie ſcripturus eſt, nec ideo obſequium omittit qui ſecuturæ occaſionis captat compendium. Novi quonam ſis animo, & quali vigore ſangvis Tibi caleat, vacillent alii, & fidem mutent, nunquam pectus illud levi erit ſententiâ, in quo ſe humanitas & eruditio pari cultu & concordia explicuit. Non placent qui amicos intra dentes concluſos habent. Ego cum affectus tui ſim ſecurus, nihil in amore noſtro revoco ad vulgi arbitrium, nec tanti erit ulla in ſcribendo mora, ut ea propter præjudicio velim peccare aut vadimonium deſerere. Spiritum ducit, qui dormit, quid obſtat, quo minus amare poſſit, qui manum ad tempus ſuccingit, & à ſcribendo nonnihil feriatur. Unâ voce, tuus ero, quamdiu ero. De cætero, gratulor tibi quod ea fiducia numeroq; operam tuam ambiunt, quos imbecillior valetudo affligit, ut nec tibi nec Muſis ex voto poſſis vaca-

vacare. A mœnioribus ſtudiis ſatis datum eſt; in eo genere quid poſſis orbi meliori non ſine eruditorum applauſu teſtatum feciſti. Noli ægre ferre quod Æſculapius tibi aurem ſubinde vellicet, manumq; ad practicas occupationes convertat. Habent literæ humaniores, & illa ποικίλη Φιλομάθεια neſcio quam vim Πιερικὴν, ut quos Muſa illa ſemel afflavit, ſemper ad antrum illud reſpiciant. Sentiunt præter te & alii. At verò ubi expendimus qualem ſpicam culmus iſte ex ſe effundit; quid quæſo cultoribus ſuis niſi ſteriles ariſtas, nudam, inquam, delectationem, & famam ſui tædium ſenſuram tandem relinquit. Quod certè non eo fine à me ſcribitur, ut conatus tuos omni laude majores improbem, aut te in ſtadio πολυμαθείας currentem ſufflaminem, quod qui tentare vellet ſuam inſcitiam turpiter proderet, ſed conſilii mei hic ſcopus, hæc meta eſt, ne ita te ſtudio rerum antiquarum & humanitatis impendas, ut medicinam ei poſtponas: Illa luſum hæc uſum habet. Sit illa pediſſequa, hæc Dux & comes. Malè autem ſit illis, qui ſcripta tua, ſtimulante invidiâ arrodunt. Si fas eſſet tempora tua morari, rogarem ne grave duceres, verbo me docere, quid in Diſſerta-

ſertatione tua de Latere Chriſti invenerint obeliſco aut triſti literâ dignum. In me ne ſit mora quo minus adverſariis tuis maturè occurras, librum de quo certandum eſt, remittò. Vale, & ſi quid ultra eſt, vive immortalis.

Arhuſii 16. Martii 1647.

Semper Tuus

Jacobus Matthias, D.

EPISTOLA C.

Contra Pharmacopæos.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

DE elegantiſſimo tuo libro De Latere Chriſti, cum Cl. Salmaſii & aliorum de Cruce Epiſtolis, gratias ago infinitas. Non ſine ſumma animi voluptate eum ex amantiſſimi Fratris Caſp. Bartholini manibus accepi, ſed illud mihi penè funeſtum fuit, quod nullas à Te literas acceperim; ſuaviſſimum enim mihi fuiſſet, ſi per tuas diſcere licuiſſet, præſentem rerum tuarum ſtatum: nempe quid nunc habeas laboris in manibus? An cogites de tui Itinerarii Europæi promovenda editione? An de Opuſculo quod ante hac habuiſti in mente, pro Clariſſ. Parentis vindiciis, adverſus hominem moro-

morosum & mordacem, Casp. Hofmannum? an quid aliud? quidquid sit de illis, summo me afficies beneficio, si me monueris docuerisve quid de singulis istis opusculis habeas in mente. Hanc quoq; gratiam à Te postulo, Vir Clarissime. Patere quæso ut refricem Tibi memoriam à Te antehac, Dominisq; Fratribus tuis ante aliquot annos promissorum, nimirum Operum Clarissimi Parentis vestri Casp. Bartholini, Hafniæ editorum, præsertim verò suæ Physicæ, quam ardentissimè desidero: quibus singulis si addideris Instit. Medicas eruditissimi spectatissimiq; Viri D. Olai Wormii, Regem me feceris. Cura precor, & da operam ut hæc omnia in hanc Urbem devehantur tutoq; mihi reddantur: quod si effeceris, & ut spero facies, gratus ero de tanto beneficio, pretiumq; libentissime refundam ei qui mihi istum thesaurum in manibus tradiderit: aut quidquid volueris librorum ex hac urbe pro acceptæ gratiæ compensatione per eam viam quam mihi indicaveris, illicò mittam. Postremo verò, fuit hîc me Præside & Autore, disputata Quæstio *De Sobrietate ad longam vitam requisita*: ipsa Thesis omnibus placuit, præterquam Pharmacopæis nostris, qui de illa mihi litem moverunt: sed miserè cum illis actum

est:

est: in medio enim Senatu, me perorante, sine ullius Patroni opera, & eorum fraudes, suæq; artis impostura's æquissimis judicibus indicante & aperiente, causâ suâ turpiter ceciderunt, non sine eorum contumelia, publicoque infinitorum auditorum risu. Illius Theseos exemplaria duo ad Te mitto: quorum unum si placet per Te accipiet D. Wormius, cujus tuumq; de ea judicium utinam tandem accipiam. Valete ambo, quos toto corde saluto, ut & D. D. Fratres tuos: vobisq; singulis omnem felicitatem tota mente exopto. Dabam Lutetiæ Parisiorum, 20. Junii die, 1647.

Tuus ex animo

Guido Patinus, Bellovacus,
Doct. Medicus Parisiensis.

TH. BARTHOLINI EPISTOLARUM MEDICINALIUM CENTURIA SECUNDA.

EPISTOLA I.

De Pharmacopœis.

GUIDONI PATINO Parisios.

QUod prolixas pro Dissertatione nostra nuper egeris gratias, id totum humanitati tuæ adscribendum. Non merentur enim Schediasmata nostra vel tantillum pretiosi otii tui, ne applausum dicam. Video autem te fœtus nostros eo excipere animo, quo me solebas, & ex iis redire in sinceræ amicitiæ memoriam. Displicet inprimis, quod ad Te reliqua nostra mittendi non detur occasio. Locorum impedit distantia; & conducti internuncii dona hæc pretio nimio vendunt. Non dubito quin ex

Belgio ad vos delati ſint libri mei De Luce Animalium, de quibus judicium tuum deſidero. Dum in patria verſor curas practicas dispunxi editione duorum librorum, quorum alter Synopſin exhibet Antiquitatum Veteris Puerperii, alter Armillas Veterum præſertim Danorum, perſequitur. Quamprimum licuerit, ad vos eos mittam. Ad prælum tradidi Apologiam de Cruce, oppoſitam impugnationibus *B. Nihuſii*, qui me publico ſcripto lacceſſivit. *Hofmannus* interea, dum aliis occupor, quieſcit, nec Itinerarium meum publicam lucem aſpexit. Gratulor Tibi de parta victoria, quod diſertiſſimo ore profligaveris Seplaſiarios. Si me in conſilium vocaſſent, ſuaſiſſem ut amicè potius cum Patino tranſigerent, quam intentata lite. Nota jam & huic hominum nationi erit infelix Marſyæ cum Apolline pugna. Neſcio cur illis adeò ubiq; ferè gentium pruriat cutis, ut intra officium ſe nequeant continere. Plerumq; enim vani oſtentatores ad exercendam medicinam furtim ſe ingerunt, quumq; apud ægros inferius tantum guttur eluere deberent, ſuperius audent inquinare, ſicq; in Medicorum meſſem immittunt rudem falcem, & relicto miniſterio ſervili, cui dicati ſunt, Dominorum ſuorum, ſeu

Medi-

Medicorum, famæ & fortunis ſtruunt inſidias. Magnam cladem apud vos paſſi ſunt à *Guiberti* veſtri Medicina Charitativa, ex qua quisq; domi ſuæ præparare diſcit, enemata, decocta, ſyrypos &c. pro uſu domeſtico, ut exigua apud vos amplius Pharmacopæorum ſuperborum ſit neceſſitas. Id ſi ſequantur aliæ quoq; nationes, jam vileſcet Seplaſiariorum pretium & criſtas demittent. Tu interim victor & profligator monſtrorum, perge, ut magni nominis magnæq; eruditionis Tuæ perſentiant virtutem. Theſis ipſa tua noſtro non indiget encomio. Sufficit, Patini eſſe theſin. Gratias tamen tibi utriusq; nomine ago, & ut parem rependat vicem Magnus *Wormius* noſter, Inſtitutiones ſuas Medicas cum aliis Exercitationibus Medicis hic editis mihi conſignavit, quamprimum ad Te mittendas, ſi, ut accepi, vergente autumno ad vos rediturus eſt Legatus Regis Veſtri Chriſtianiſſimi, Tibi ob patrem haud ignotus. Qui, ſi volet, deferet quoq; Phyſicam *Parentis*, & alia quæ Typothetæ noſtri parturiunt. Vale, Vir ſumme, cum Cl. *Moræo*, & ſi quæ Tibi exercitatiſſimo rara in calamum venerint, Obſervationibus noſtris Medicis brevi prodituris, quæſo ne invideas, Clariſſimus *Wormius*, & fratres, &

ſpero, ſatisfeci, & aliis. Miror cur rus tibi in mentem venerit? Quid verbis illis ſiniſtrorſum acceptis cum rure commercii? Si rus olent, innocentia ſua & ſimplicitate ſe tuebuntur, nam & ruri aliter olent ſues aliter catuli. Prolixiore verborum amicorum apparatu in præſenti ſuperſedeo, quia publica negocia graviora me revocant, & Alcides Hofmannus mihi eſt debellandus. Tu, mi Nihuſi, omnia in meliorem interpretare partem & certô credas mihi eſſe antiquius nihil, quam amantem redamare. Vale itaq;, Vir clariſſime, & quod olim ſuaſi candido animo, publicas lites ſeponamus. Hafniæ XIII. Maj. cIↃ IↃc XLVIII.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA III.

De ſitu valvulæ coli.

JOHANNI SPERLINGIO. Witteberg.

GRatiſſimum fuit munus amica manu nuper per internuncium veſtrum mihi transmiſſum vel hoc nomine quod ad amicitiam tuam, quam ſemper ambivi, viam ſtraverit expeditam. Labores in publicum commodum quis non æſtimet aut amet? Antiqvum id tibi & proprium videtur, cujus quippe eruditioris

pennæ fructum non Antumni ſinguli, ſed nundinæ ſpondent. Remitto debendi reus vindicias meas illi oppoſitas, quem, ut ex Phyſiologia tua Doctiſſima perſpicio, & noviſti & lectitaſti. Citius illæ natæ, quam coquantur aſparagi. Quod ſi bono ſeni vita ſit ſuperſtes, quod ſeriò voveo, vel ipſe inveniet ex ingenio quæ culpet, vel alios fortaſſe ſubornabit. Quidquid futurum ſit, pari animo h. e. intrepido excipiam. In motu thoracis ab eo feci diſceſſum, cui tu planè acquieſcis, vel ſanè, quia collata inter ſe Hofmanni & Laurentii verba tantum affers, judicium tuum ſuſpendis, alioquin in his ſubactum. In ſitu valvulæ coli nullus planè cum Bartholino diſſenſus, ſi pro vario & anfractuoſo inteſtinorum ſitu illud ſurſum, deorſum, rectè accipias. Tu enim corpus reſpicis & rectum ad inferiora excrementorum deſcenſum, nos inteſtinorum poſitum. Sed res iſta non meretur divortium, nec opinionum, nec amicitiæ. Tu Vir Doctiſſime, benè vale, & me, ut cœpiſti, porrò ama tui ſtudioſiſſimum. Saluta quæſo meo nomine Grovium, Scavenium, Reſenium, inprimis magnum Collegam tuum Buchnerum. Hafn. XXIII. Decemb. cIↃ IↃc XLVIII.

T. T. Thomas Bartholinus.

EPISTO-

EPISTOLA IV.

Pro Respiratione Cartesianâ.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

HENRICUS REGIUS S. P. D.

ACcepi Vindicias tuas Anatomicas, ad me per Conterraneum tuum missas. Certè ingentes tibi, pro honore exhibito, habeo gratias. Perlegi illas, ac summopere tuam singularem in Patrem pietatem, singularemq; in adversario refellendo dexteritatem & solertiam, summamq; eruditionem tum miratus. Nihil video, quid ab illo reponi possit, præter inanes pervicacis philautiæ & invidiæ conatus. Verum, dum respirationis rationem à Cartesio & me, per solam impulsionem aëris, ex dilatatione thoracis, pulmones necessariò, citra ullam fugam vacui, ingredientis eosq; distendentis, rectè, ut opinor, propositam & explicatam, refellere conaris, magnopere, meo judicio, errare videris. Causam potissimam tui erroris in eo sitam existimo, quod aërem æquè facile condensari atq; de loco deturbari posse; ac proinde dilatatione solâ thoracis, inter respirandum passim contingente, illum non necessariò in pulmones impellendum, sed foris potius condensandum putas.

Cum tamen aër, ob ſummam ſuam fluiditatem, facillimè in locum commodum impelli, & inter ſe ſecundum ſuas particulas conturbari; difficulter autem, & non niſi magna vi, propter vehementem particularum ſuarum, perpetuo inter ſe volitantium, expanſionem & dilatationem, ab æthere, ſive ſubtili materiâ, illum continuo vehementerq; percurrente & agitante, factam, condenſari poſſit. Atq; hoc in ſclopetis & fontibus pneumaticis, aërem magna vi condenſatum recipientibus, & poſtea, aperto aliquo foramine, aquas incluſas ad magnam altitudinem, & glandes plumbeas aliaq; duriſſima tela, per craſſa obſtantia corpora, maximo aëris, magna vi antea condenſati & jam tum ſeſe dilatantis, impetu propellentibus, eſt manifeſtum. Nec quicquam nobis obeſt, reſpiratio tua, in cubiculo per fiſtulam, ori, clauſis naribus, inſertam, & parietem, usq; ad externum aërem, transeuntem, peracta. Cum enim cubicula habeant januas, feneſtras, aliasq; fiſſuras; hinc facile patet, quomodo aër continuo ductu foras protenſus, per illos januarum, feneſtrarum, aliarumq; fiſſurarum meatus, è cubiculo illo ad fiſtulæ, extra cubiculum prominentis; partem, & inde in pulmones, ſolo pectoris, in inſpiratione ſeſe,

ne sese dilatantis, impulsu, satis commodè adigi possit. Hæc si paulò attentius considerare in animum inducas, non dubito, quin pro tuâ ingenii solertia & candido veritatis amore, facilè pedibus in nostram sententiam sis concessurus. Forsan autem aliquid auxilii ea, quæ in Physicis nostris Fundamentis de Natura aëris & subtilis materiæ tradidimus, ad ad hanc rem præbere poterunt. Consobrinum tuum cum Chirurgis jam aliquoties inviſi. Res ejus jam planè abeunt in melius, quo optima quæq; speramus. Mea cura, ubicunq; ipsi quicquam poterit prodesse, illa, ipsi, tum tuâ, tum ipsius causâ, semper erit paratissima. Vale Vir Excellentissime, & rem Anatomicam ac Medicam strenuè promovere, meq; redamare perge. Dabam Ultrajecti VIII. Februarii Anno 1649.

EPISTOLA V.

De eadem disputatio.

Henrico Regio Ultrajectum.

BEnevolum Tuum de Vindiciis necessariis judicium libenter legi, quod amem tantorum virorum probari censuræ ea quæ &

eſt: in medio enim Senatu, me perorante, ſine ullius Patroni opera, & eorum fraudes, ſuæq; artis impoſturas æquiſſimis judicibus indicante & aperiente, causâ ſuâ turpiter ceciderunt, non ſine eorum contumelia, publicoque infinitorum auditorum riſu. Illius Theſeos exemplaria duo ad Te mitto: quorum unum ſi placet per Te accipiet D. Wormius, cujus tuumq; de ea judicium utinam tandem accipiam. Valete ambo, quos toto corde saluto, ut & D. D. Fratres tuos: vobisq; ſingulis omnem felicitatem tota mente exopto. Dabam Lutetiæ Pariſiorum, 20. Junii die, 1647.

Tuus ex animo

Guido Patinus, Bellovacus,
Doct. Medicus Pariſienſis.

TH. BARTHOLINI EPISTOLARUM MEDICINALIUM CENTURIA SECUNDA.

EPISTOLA I.

De Pharmacopœis.

GUIDONI PATINO Parisios.

QUod prolixas pro Dissertatione nostra nuper egeris gratias, id totum humanitati tuæ adscribendum. Non merentur enim Schediasmata nostra vel tantillum pretiosi otii tui, ne applausum dicam. Video autem te fœtus nostros eo excipere animo, quo me solebas, & ex iis redire in sinceræ amicitiæ memoriam. Displicet inprimis, quod ad Te reliqua nostra mittendi non detur occasio. Locorum impedit distantia, & conducti internuncii dona hæc pretio nimio vendunt. Non dubito quin ex

Belgio ad vos delati ſint libri mei De Luce Animalium, de quibus judicium tuum deſidero. Dum in patria verſor curas practicas dispunxi editione duorum librorum, quorum alter Synopſin exhibet Antiquitatum Veteris Puerperii, alter Armillas Veterum præſertim Danorum, perſequitur. Quamprimum licuerit, ad vos eos mittam. Ad prælum tradidi Apologiam de Cruce, oppoſitam impugnationibus *B. Nihuſii*, qui me publico ſcripto laceſſivit. *Hofmannus* interea, dum aliis occupor, quieſcit, nec Itinerarium meum publicam lucem aſpexit. Gratulor Tibi de parta victoria, quod diſertiſſimo ore profligaveris Seplaſiarios. Si me in conſilium vocaſſent, ſuaſiſſem ut amicè potius cum Patino tranſigerent, quam intentata lite. Nota jam & huic hominum nationi erit infelix Marſyæ cum Apolline pugna. Neſcio cur illis adeò ubiq; ferè gentium pruriat cutis, ut intra officium ſe nequeant continere. Plerumq; enim vani oſtentatores ad exercendam medicinam furtim ſe ingerunt, quumq; apud ægros inferius tantum guttur eluere deberent, ſuperius audent inquinare, ſicq; in Medicorum meſſem immittunt rudem falcem, & relicto miniſterio ſervili, cui dicati ſunt, Dominorum ſuorum, ſeu

Medi-

Medicorum, famæ & fortunis ſtruunt inſidias. Magnam cladem apud vos paſſi ſunt à *Guiberti* veſtri Medicina Charitativa, ex qua quisq; domi ſuæ præparare diſcit, enemata, decocta, ſyrypos &c. pro uſu domeſtico, ut exigua apud vos amplius Pharmacopæorum ſuperborum ſit neceſſitas. Id ſi ſequantur aliæ quoq; nationes, jam vileſcet Seplaſiariorum pretium & criſtas demittent. Tu interim victor & profligator monſtrorum, perge, ut magni nominis magnæq; eruditionis Tuæ perſentiant virtutem. Theſis ipſa tua noſtro non indiget encomio. Sufficit, Patini eſſe theſin. Gratias tamen tibi utriusq; nomine ago, & ut parem rependat vicem Magnus *Wormius* noſter, Inſtitutiones ſuas Medicas cum aliis Exercitationibus Medicis hic editis mihi conſignavit, quamprimum ad Te mittendas, ſi, ut accepi, vergente autumno ad vos rediturus eſt Legatus Regis Veſtri Chriſtianiſſimi, Tibi ob patrem haud ignotus. Qui, ſi volet, deferet quoq; Phyſicam *Parentis*, & alia quæ Typothetæ noſtri parturiunt. Vale, Vir ſumme, cum Cl. *Moræo*, & ſi quæ Tibi exercitatiſſimo rara in calamum venerint, Obſervationibus noſtris Medicis brevi proditurus, quæſo ne invideas. Clariſſimus *Wormius*, &. fratres, &

ſpero, ſatisfeci, & aliis. Miror cur rus tibi in mentem venerit? Quid verbis illis ſiniſtrorſum acceptis cum rure commercii? Si rus olent, innocentia ſua & ſimplicitate ſe tuebuntur, nam & ruri aliter olent ſues aliter catuli. Prolixiore verborum amicorum apparatu in præſenti ſuperſedeo, quia publica negocia graviora me revocant, & Alcides Hofmannus mihi eſt debellandus. Tu, mi Nihuſi, omnia in meliorem interpretare partem & certô credas mihi eſſe antiquius nihil, quam amantem redamare. Vale itaq;, Vir clariſſime, & quod olim ſuaſi candido animo, publicas lites ſeponamus. Hafniæ XIII. Maj. cIↃ IↃc XLVIII.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA III.

De ſitu valvulæ coli.

JOHANNI SPERLINGIO. Witteberg.

GRatiſſimum fuit munus amica manu nuper per internuncium veſtrum mihi transmiſſum vel hoc nomine quod ad amicitiam tuam, quam ſemper ambivi, viam ſtraverit expeditam. Labores in publicum commodum quis non æſtimet aut amet? Antiqvum id tibi & proprium videtur, cujus quippe eruditioris

pennæ fructum non Antumni ſinguli, ſed nundinæ ſpondent. Remitto debendi reus vindicias meas illi oppoſitas, quem, ut ex Phyſiologia tua Doctiſſima perſpicio, & noviſti & lectitaſti. Citius illæ natæ, quam coquantur aſparagi. Quod ſi bono ſeni vita ſit ſuperſtes, quod ſeriò voveo, vel ipſe inveniet ex ingenio quæ culpet, vel alios fortaſſe ſubornabit. Quidquid futurum ſit, pari animo h. e. intrepido excipiam. In motu thoracis ab eo feci diſceſſum, cui tu planè acquieſcis, vel ſanè, quia collata inter ſe Hofmanni & Laurentii verba tantum affers, judicium tuum ſuſpendis, alioquin in his ſubactum. In ſitu valvulæ coli nullus planè cum Bartholino diſſenſus, ſi pro vario & anfractuoſo inteſtinorum ſitu illud ſurſum, deorſum, rectè accipias. Tu enim corpus reſpicis & rectum ad inferiora excrementorum deſcenſum, nos inteſtinorum poſitum. Sed res iſta non meretur divortium, nec opinionum, nec amicitiæ. Tu Vir Doctiſſime, benè vale, & me, ut cœpiſti, porrò ama tui ſtudioſiſſimum. Saluta quæſo meo nomine Grovium, Scavenium, Reſenium, inprimis magnum Collegam tuum Buchnerum. Hafn. XXIII. Decemb. cIↃ IↃc XLVIII.

T. T. Thomas Bartholinus.

EPISTO-

EPISTOLA IV.

Pro Respiratione Cartesiana.

Thomæ Bartholino Hafniam.

HENRICUS REGIUS S. P. D.

ACcepi Vindicias tuas Anatomicas, ad me per Conterraneum tuum missas. Certè ingentes tibi, pro honore exhibito, habeo gratias. Perlegi illas, ac summopere tuam singularem in Patrem pietatem, singularemq; in adversario refellendo dexteritatem & solertiam, summamq; eruditionem sum miratus. Nihil video, quid ab illo reponi possit, præter inanes pervicacis philautiæ & invidiæ conatus. Verum, dum respirationis rationem à Cartesio & me, per solam impulsionem aëris, ex dilatatione thoracis, pulmones necessariò, citra ullam fugam vacui, ingredientis eosq; distendentis, rectè, ut opinor, propositam & explicatam, refellere conatis, magnopere, meo judicio, errare videris. Causam potissimam tui erroris in eo sitam existimo, quod aërem æquè facile condensari atq; de loco deturbari posse; ac proinde dilatatione solâ thoracis, inter respirandum passim contingente, illum non necessariò in pulmones impellendum, sed foris potius condensandum putas.

ne ſeſe dilatantis, impulſu, ſatis commodè adigi poſſit. Hæc ſi paulò attentius conſideraris in animum inducas, non dubito, quin pro tuâ ingenii ſolertia & candido veritatis amore, facilè pedibus in noſtram ſententiam ſis conceſſurus. Forſan autem aliquid auxilii ea, quæ in Phyſicis noſtris Fundamentis de Natura aëris & ſubtilis materiæ tradidimus, ad ad hanc rem præbere poterunt. Conſobrinum tuum cum Chirurgis jam aliquoties inviſi. Res ejus jam planè abeunt in melius, quo optima quæq; ſperamus. Mea cura, ubicunq; ipſi quicquam poterit prodeſſe, illa ipſi, tum tuâ, tum ipſius causâ, ſemper erit paratiſſima. Vale Vir Excellentiſſime, & rem Anatomicam ac Medicam ſtrenuè promovere, meq; redamare perge. Dabam Ultrajecti VIII. Februarii Anno 1649.

EPISTOLA V.

De eadem diſputatio.

Henrico Regio Ultrajectum.

BEnevolum Tuum de Vindiciis neceſſariis judicium libenter legi, quod amem tantorum virorum probari cenſuræ ea quæ &

pietátem ſecum & veritatem ducunt. Reſpirationi Carteſianæ cur necdum aſſenſum potuerim polliceri, aër efficit, quem dixi condenſari poſſe, non neceſſario à thorace loco moveri & propelli. Difficultatem moves, credisq; facilius aërem ob ſummam fluiditatem impelli, quam condenſari. Meo judicio contraria Tibi eſt Natura. Facilius enim leve corpus & exile comprimitur, quam propellitur, quia propulſio ad diſtans fit, compreſſio ad vicina. Majus autem robur ad illam, quam hanc requiritur. Dum de his cogito, facculus plumarum ex avibus, quas Eider vocant, ex Islandia noſtra mihi mittitur. Noſtris culcitris in lecto ſunt percommodæ, quia leves & molles. Plumis his aërem compara. Plumæ autem illæ facilè levi manus compreſſione arcto facculo compreſſæ includuntur, & anguſtum ſpatium occupant. Sibi verò relictæ extra culcitram vel faccum dilatant ſe & locum amplum implent. Ita motu thoracis quocunq; anguſtatur aër vicinus & condenſatur, ut minorem locum occupet, nec neceſſario in thoracem regrediatur, præſertim quia ubiq; obſtacula invenit, quæ thoraci prementi reſpondeant. Si non premitur, dilatari concedo, & ſe expandere. In tali compreſſione violenta quacunq;,

quando

quandò condenſatur, exprimitur ætherea illa materia, quam objicis quaq; antea dilatabatur. In machinis pneumaticis aërem condenſari certum eſt, nec id negare audes, At per vim id fieri urges. Fateor, ſed minore vi opus eſt in exili condenſatione, quæ in aëre thoraci vicino ſufficit. Et vim à thorace moto accedere, neq; vos negare poteſtis. Experimentum alterum à me adductum de reſpiratione per foramen in aliud cubiculum patens, diluere conaris, eo quod per januas, feneſtras, & fiſſuras parietum aër penetret. Sed & tardior & imbecillior eſt ille aër penetrans, quam ut pulmones & citò & validè implere queat. Si id non ſatisfacit, addo magnum vitrum anguſti oris colliq;, & ampli ventris, per hoc vitrum ori arctò appoſitum, commodè nonnihil reſpiramus, nec tamen dicere potes, per poros vitri aërem penetrare à thorace impulſum, quia per vitrum non penetrare aërem, cucurbitulæ cuti affixæ demonſtrant. Hæ fateor Difficultates me adhuc ſuſpenſum tenent. Non ero tamen in opinione hac contumax, ſi meliora videro & veriora. Tibi verò, mi Regi, multum debeo pro affectu quem conſobrino meo fusè demonſtraſti. Debendi reum me ſemper habebis, illiusq; amicos propiores, Vale, Vir celeberrime, & publi-

publico bono diu vive, meq; ama, Hafniæ XII Februar. 1649.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA VI.

Gratulatio Nuptialis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

ADOLFUS VORSTIUS ἐυ πράτειν.

IGnoſce, quæſo, cunctatori in reſcribendo nimio, mi Bartholine, & credere noli Vorſtii tui animum immutatum ab illo tempore, quo poſtremum nos vidimus; ſed eundem ſemper & fuiſſe, & futurum in poſterum, hoc eſt tui amantiſſimum. Hoc ſingularis tua eruditio, hoc morum perſpecta mihi ſuavitas, nec ſæculi hujus candor, tum datæ in diſceſſu hinc tuo dextra fidesq; jure quodam ſuo à me exigunt, imò vel ab invito extorquere poſſent. Reliquiſti apud nos, tanquam communis amicitiæ obſides, par nobile fratrum, quale mihi, ita ſi liceret, exoptarem. Uterq; ingenioſus, uterq; diligens, & ſuis non indignus naturalibus, ac tanto Patre teq; fratre. Quam fui gaviſus, qvum debitum eximiæ eruditioni Tuæ virtu-

virtutibusq; in patria Academia obtigisse tibi locum intelligerem. Gratulor animitus istam tibi provinciam, quam & docendo, & scribendo ornare jam cœpisti. Quod uti quam diutissimè possis, D. O. M. supplex oro veneror q;. Quæ Hofmanno, pro scriptis paternis præter meritum vellicatis, cordatè reposuisti, non potuerunt non placere. Tantum debebas Patris, τῦ μακαρίτυ, memoriæ ac famæ, æternum duraturæ. De cætero, malim te contentiosis abstinere argumentis, quod animi tranquillitati, cui ego tecum præcipuè studendum esse censeo; hoc scriptionis genus obsit quamplurimum. Sed frustra ego hoc tibi occino, qui per te sapis, & pectus multa prudentia jamdudum habes imbutum, longisq; peregrinationibus subactum judicium. Terentianum tamen illud in te competere noluisti, *Et quod beatum putant illi, uxorem duxi nunquam.* Non culpo, imò laudo quod animum ad eam appuleris. Desponsatam non ita pridem tibi audio virginem, quæ in ipso ætatis est flore, magno prognatam Consule, unicam ac benè dotatam. Eveniat tibi benè feliciterq; istud matrimonium, optime Bartholine, & liberis hac via inclarescè, ut libris hactenus. Lucem hoc adferre poterit tuis

de

de Veterum Puerperio Antiquitatibus. Jocos meos, uti confido, ægrè non es laturus, qui totus jam in Gameliis es, à quibus tetrica omnia exulare oportet. Fratris tui Doctissimi *Alberti* Panegyricus funebris, magno Principi dictus, gratissimus mihi fuit, & semel iterumq; lectus, arrisit vehementer. Utiq; Trojani equi instar familia vestra esse mihi videtur, è qua & plures viri eruditione insignes jam prodierunt, & spes non incerta aut vana est, exorituros insuper alios quoq; Grotius, Barlæus, Vossius, magna illa scientiarum & literarum columina esse desierunt. Veniant alii, qui, quod orbi literato horum morte est ereptum, restituant ac suppleant. Vale, Vir Clarissime, nec uno mihi nomine dilecte, cum tua suavissima μελλο-uxore, & me, qui totus sum tuus, ama. Salveant Consobrini tui Fuirenii à me officiosissime. Raptim Lugd. Batav. cIↃ IↃc XLIX XVI. April.

EPISTOLA VII.

De itinere suo.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

CL. SALMASIUS.

BInas tuas nuper accepi, Præstantissime Bartholine, quibus me benigne invitas domum

domum tuam. Pro qua benevolentia quam non meruiſſe me fateor quantum tibi debeam non poſſum exprimere. Enimvero etiam in Sueciam mihi per Daniam veſtram pergenti vel tridui itinere deflectendum eſſet à recta via haud dubitarem eam moram properationi meæ injicere, ut Te viderem & amplecterer. Tuo tamen hoſpitio ne utar illud maxime prohibebit quod non ſolus eo ſed cum conjuge, & præterea feſtino. In tranſitu tamen ſtatui te videre, ut poſſim tibi præſens præſenti teſtari, quanti te merito tuo faciam, & quantum me à Te amari deſiderem. Cum jam ſim in procinctu itineris, non poſſum pluribus verbis ad te. Cætera coram. Interim amare me perge. Vale, Vir eximie. Leydæ XXIV. Maj CIↃ IↃC L.

EPISTOLA VIII.

De Hofmanno & Riolano.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

NUnquam dubitavi de conſtanti tua in me benevolentia, quanquam & itinerum ambages, & locorum diſtantia cauſæ fuerint dilatæ ſcriptionis tuæ. Nobiliſſimos illos viros per

faciunt. Celeberrimo Wormio, Clariſſimis Viris Fratribus tuis & Fuireniis ex me quoq; ſalutem & officia. Filius meus cujus meminiſſe dignaris Pariſiis à 5. menſibus verſatur. Utinam vero frequenter à te literas accipere liceret: id ſane mihi foret jucundiſſimum. Vale. Baſileæ ad diem III. Non. VIIbr. cIↃ IↃC L.

Tuus ex animo

Jo. Caſp. Bauhinus.

EPISTOLA IX.

De variis apud S. Clementem mundis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

DUlciſſimæ tuæ literæ, Vir Excellentiſſime & Experientiſſime, quas ſuperiore autumno ad me ſcripſiſti, tandem aliquando rectè ad me ſunt perlatæ, cum non parvo intervallo in veſtra urbe detentæ eſſent. Satis verò ex iis intellexi amoris iſtius in me tui, quem præſenti mihi haut obſcurè oſtendiſti, conſtantiam: cui etiam nihil vereor, ne deceſſerit quidquam ex eo tempore, quo tuas literas ſcripſiſti. Quod tuam de Cygno Diatriben literis junxiſti, id quoq; pergratum mihi eſt, & eo nomine ago tibi gratias. Επφυλ-

λίθες meæ, quas ipſe ad Te miſi, nullam partem merentur earum laudum, quas Tu illis tribuis in tuis literis. Neq; eò nunc ad te mitto alias quasdam, quod putem dignas eſſe, quibus legendis quicquam tribuas temporis, ſed ut modò demonſtrem tibi, qualibus ſtudiis, quamvis non ſatis feliciter, hoc in loco occupari ſoleam. Cl. Voſſii judicium de S. Clemente pronunciavi equidem paulò iniquius mihi eſſe viſum. Neq; enim ſuſtinui credere, Clementem tam fuiſſe abſurdum, ut plures tales mundos, qualis iſte eſt, cujus partem ſinguli premimus, ſomniaret exiſtere. Putavi autem ita habendum omnino eſſe, Clementem τὰς μετὰ τὸν ὠκεανὸν κόσμους intellexiſſe magnas unius mundi partes, quæ alii mundi queant videri. Sic omninò mentem Clementis cepit Origenes περὶ ἀρχῶν lib. ſecundo. Deinde nec aliis Veterum magnas iſtas mundi partes fuiſſe incognitas planè, à Lipſio credidi, Grotio atq; aliis non inepte demonſtratum eſſe. Sed Tu, Vir Excellentiſſime, alium ſenſum videri tibi S. Clementis verbis ſubeſſe, haud obſcurè ſignificaſti: quem & infelici huic ingenio perſpectum eſſe credis. Vellem igitur, te mentem tuam paulò plenius expoſuiſſe mihi ſuper

Clemen-

Clementis verbis. Nam adhuc quidem nullâ conjecturâ eam ex literis tuis mihi licuit assequi. Peto autem abs te, ubi aliquid ad me literarum mittendum putaveris, de isto argumento me doceas amplius. Quid de Rep. Literariâ juvandâ nunc cogites, Vir Excellentissime, cogniturum me aliquando spero vel ex tuis literis, vel saltem isto, qui hasce literas ad te perfert, interprete. Anatomiam tuam credo ad umbilicum jam perductam esse in Batavià. Certum tamen de eo cogniturum me spero, ut & de quibusdam aliis, cum Welschius, cui hasce do perferendas, ad nos redierit. Langius, antequam istinc abiit, recepit mihi, se literas aliquando ad me missurum, & de conditione suâ perscripturum. Nihil dum autem literarum ego accepi. Si te non latet ubi nunc gentium degat, Φίλον κάρα, quaq; conditione utatur, quæso te ejus ne me expertem sinas. Cl. Salmasium, τὸν θαυμάσιον, fama est in Suecis adhuc esse & conflictari illic morbo quodam. Servet nobis Deus inprimis istum Virum amplius incolumem. In nostrâ Germaniâ acres Theologorum pugnas nondum desiisse, crebris rumoribus credo ad vos perferri. Ἔχθει Ζῆλον. An verò κατ'

Πάγκαλον semper, ipsi viderint. Longum Vale, Vir excellentissime, & me sic, ut cœpisti, perge amare. Rostochii III. Kal. Junias, Anno cIↃ IↃc LI.

Tuæ Excell. sincerus cultor
M. Johan. Vorstius.

EPISTOLA X.

De Miltoni scripto judicium.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

INstar beneficii fuit, quod Miltonum Salmasio adjunxeris. Si quid judico, nihil olim tam dispar fuit in armis Glauci & Diomedis. Pugnat Salmasius fortioribus telis, omniumq; seculorum consensum ad partes vocat. Alter verò obsistit, quà potest, circumit, discurrit, mutat in cornu pugnam, ut copias instruat provehendis turbidis consiliis pares. Ubi necessaria desunt argumenta, cavillis rem agit, & ut affectus suos ulciscatur, Salmasium modo Grammaticum modo ardelionem vocat. Temporum nostrorum summa est infelicitas quod ejusmodi scribendi materiam suggerat. Calamis hactenus res acta est, aliter brevi argumentum istud tractabunt hinc Scoti *illinc* Angli,

Angli, cum res ad manus atq; mucrones devenerit. Optarem Anglos eodem ſucceſſu pugnare, quo ſcripſit Miltonus, ut tandem temeritatis ſuæ pœnas luerent. Vertat ſe Miltonus in omnes, quot poteſt formas, nullis undis tantam gentis ſuæ labem eluet. Habet quidem ſpecioſa ſubinde nomina, ſemper tamen velut funebrę velum cadaver tegunt. Me verò mi Affinis viciſſim habebis debendi reum, quod ejusmodi novis ſcriptis ex intervallo me recrees. Invideo vobis tantam librorum ſupellectilem, quorum Hafnia hiſce Comitiis, confluentibus undiq; Bibliopolis præter ſolitum fuit ferax. Sed ætas mea eo eſt in flexu, accedente longâ, qua tabeſco, ægritudine, ut has epulas aliis cogar relinquere. Vale affinis ſuaviſſime, meoq; nomine Socerum, conjugem & filiolam officiosè ſaluta. Arhuſii 6. Julii 1651.

Semper Tuus

Jacobus Matthias D.

EPISTOLA XI.

De Chelidonio, Gryphe, Piſce cornuto, ſudore ſanguineo & lacteo.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam

NUnc tandem deſideratum fortaſſis lapi-

 dem,

dem, aut si mavts lapideum cornu mitto, utinam spem conceptam præsentia sua non frustraretur, vix tanti, puto, res, uti considerationem tuam hac in parte mereatur, alia aliàs, quamquam illa minutiora, adveniente æstate, si Deus volet, oculos tuos intrabunt, puta frustula Unicornu hactenus pro vero mihi habiti. Chelidoniorum, quos vario colore ac specie vivis juvencularum hirundinum ventriculis exemi, multos perquam similimos reperi in ora maritima, sic ut facilè Plinio credam, præterquam quæ de ipsorum virtutibus fabulantur, eosq; inde à grandioribus, aliave fluminis ripa collectos recens exclusis pullis per rostrum inseri atq; intrudi, quo delicatulus ventriculus spatiosior factus, escas suas, vermiculos, insecta, eo facilius citiusq; recipiant, & ad avolandum maturentur. Habui non ita pridem in Germania ungulam corneam, quæ curvaturâ ferè ulnam longitudine æquabat, præter id, quod ubi radices egerat resectum fuit, ob soni credo reflexum, quippe ejus in venatione quondam usus, gryphis ungula aliquibus credita, cui equidem fidem haberem, nisi ex Herodoto Plinioq; commentum esse quæ de gryphe feruntur, edocerer. Ejusmodi ungulam in templo pagi cujusdam ad primum

lapi-

lapidem Helmſtadio, pendentem vidi è lacunari, cæterum longè huic diſſimilem, etiam minorem, Hildeſii item ſi benè memini aliam vidi in Templo S. Michaelis quæ falſo pro ungula gryphis habebatur, verius cornu caprinum videbatur, ſed hujusmodi in theſauris Wormianis inquirenda. In cornua incidi, de iis referam novum quid, mihiq; hactenus planè inauditum, Neſtedii Sclandiæ oppido priori anno lucium piſcem ingentem atq; multorum ut apparebat annorum captum eſſe, cornu ipſi media fronte firmiſſime adhærente, longitudine digiti, ejusdemq; ferè ad radicem denſitate, paulatim in extremitate cuſpidato, intus concavo, retulit mihi oculatus ejus rei teſtis. De Chymiſta (rectus Chemico) quem ſuſpenſum in Ducatu Charitinorum, ipſiq; ex oculis duo cornua longitudinis inſtar digiti enata vidit Kornmannus d. mirac. mort. P. 5. cap. 7. notius fortaſſe exemplum. Paucula de Unicornu attingo. Obſervatt. de eo tuar. c. 29. agitur de ſignis veri Unic. de ebullitione videlicet in aqua, de circulo venenatum circumducto, de ſudore &c. Priora duo in meo deprehendo, de ſudore ambigo, quem ipſi nec ineſſe nec competere ullo modo poſſe tecum puto, emiſiſſe tamen etiam ſangvineum, &

homines & columnas, maxime ligneas, aut miraculosè, aut arte Dæmoniaca hiſtoriæ loqvuntur. Prioris eſt inſtar in Salvatore noſtro in horto, ubi ſuperata nimirum iræ æterni parentis magnitudine, naturâ noſtrumq; preſſus criminū mole ſudorem dicitur emiſiſſe ſangvineum. Apud Thuanum legiſſe memini: militum Præfectum quendam, urbi Galliæ in præſidium datum, audita ſubita hoſtium inſperataq; urbis expugnatione, captumq;, mortis horrore, ſudorem illico ſtillaſſe ſangvineum, quo pacto & Gismariæ Haſſiæ opido, anno h. ſ. 30. miles quidam præſidiarius per integram horam ſangvinem ſudarit, prodidit Joan. Philip. Abelinus Continuat. Hiſt. f. 97. ad an. 30. Petrarcha gravis autor Sacchino, memorabill. ultimo columnam ait marmoream Romæ ſudaſſe ſangvinem. Crucifixi imaginem quandam in Rhodo Turcarum telis petitam, ſangvinem aliquando ſtillaſſe, ſibiq; dum loca illa perluſtraret oſtenſam ſcribit Sālom. Sweigger. Itinerar. ſui l. 3. c. 8. Cujusmodi & mihi ante annos Hildeſii viſa in templo D. Pauli, ab Equite ebrio globo è bombarda manuali emiſſo trajecta ſangvinem per aliquot dies ſtillans. Sed quod admirationem ſimul & conſiderationem meretur, accidit, ut elapſis

pluri-

pluribus annis Hanoveræ, quæ mihi lucem dedit, vetuſtæ domus trabs liquorem aliquamdiu ſtillaret, imò effunderet lacteum, me etiam tum puero in denſo hominum confluxu id ipſum ſpectante, multi hoc tum temporis ad cauſas naturales trahebant, quemadmodum Pſellus, quod alii impoſturæ fraudiq; Sathanæ tribuebant. Muros quoq;, panem, alia, ſangvinem ſudaſſe exempla mihi tum notata, tum viſa, quomodo verò ſuſpenſi cujusdam Myrtilleti in Palatinatu cadaver per integros 14. dies in furca ſangvinem ſudare ſe vidiſſe ſcribat Kornman. loco ante citato, non capio, velim, ſi moleſtum non fuerit, abs Te erudiri, puto quæ hujus commatis ſunt, apud Magiæ ſcriptores indaganda. Sed leges ſupergredior epiſtolæ. Ignoſce, pro tua humanitate, quæ cum alias, certè & hic proclivis erit ad veniam, dabis interim hoc ingenuo meo erga Te amori, ſi pro voluptate fortean tædium ceperis, dabis hiſce temporum calamitatibus, quod hodiernus primum dies diuturni literarum ſilentii finem attulerit. De cætero ſatis habuero, tuam mihi gratiam, favorem, amicitiam, quibuscumq; poſſum maximis humanitatis officiis demerere, nomenq; tuum, decus Daniæ, in fronte epiſtolæ licentius (da veniam) ex-

ponere, argumentum tuæ humanitatis patiter atq; authoramentum meæ in Te obſervantiæ. Vale. Dab. ex Inſula Bornholm. VI. Eid. Xbr. anni cIↃ IↃc LI.

T. obſervantiſs.

Juſtus Bertramus.

EPISTOLA XII.

De edendo Seneca vulgari.

BRIGITTÆ TOTTIÆ de Turebye Soram.

INgentis officii memor calamum laudibus tuis implerem, ſi vel par ego eſſem, vel tu ſatis laudari poſſes. Ego certè ne minimis ſufficio, at tu, Matrona Perilluſtris, vel maximos antecedis. Sexus noſtri jam nos pudet, nec in mento nec mente habemus, quod nos amplius vindicet. Vincimur, & ſequiori ſexui faſces ſubmittimus. Ignoſce quæſo, Heroina, iniquius verbum loquendi conſuetudo extorſit. Ad ſequiores amandamur nos & ſexum mutamus. Tu decus feminei ſexus utrosq; ſupergrederis, hisq; monſtras quid eſſe poſſint, illis, quid debeant. Hunc animum nobis Viri optamus magis quam aſſequimur, & veſtræ demum felicitati incipimus invidere.

Obmu-

Obmutuiſſe credidimus ſeculorum lapſu Sibyllas, & antra ſua æterno ſilentio occupaſſe. Cæterum in Te redivivas veneramur, & clariores illas credimus, quia Te videmus. Pluribus non audeo, quia infra minima ſubſiſto. Conſtans loquitur ſemperq; ſibi ſimilis Stoa, cujus in te patrocinium felici conatu ſuſcepiſti, loquatur Seneca, cordatæ philoſophiæ aſſertor, quem penè expoſitum & derelictum adoptaſti. Sed in tanto præclaræ mentis faſtigio graviter peccabis, ſi procos Senecæ invideas, aut cordatos ejus ſenſus intra parietes tuos illuſtres cohibeas. Sat tibi placuit, & tu illi. Aliis quoq; loquatur & vivat. Æternum erit meritum multarumq; ſalute penſandum, ſi in Stoam alios aliasq; admiſeris. Noli tantum in mortales noſtras beneficium, tuâ culpâ pereat, cujus ore Seneca loqui amat. Tibi debebitur ſoli ſi ab omnibus pari facilitate audiatur, qua tu ab illo. Sic ſexum veſtrum lucraberis, ſic nos omnes, qui ſexum beatum amamus, qui adverſa fortiter, proſpera prudenter & animi quadam moderatione & conſtantia ferimus. In literatorum cenſum adſcripſit feminas Schurmanna, invidenda Belgio anima, & adhuc inter vivas merens, tu inter beatas numeraberis, ſi tam lubenter animi mo-

mi motus apud illas correxeris, quam illa animum ipsum. Utriusq; æqua apud te potestas, quanquam pro passionibus intercedam, quia de reliquis spes decollavit. Omnia tamen arbitrio tuo relinquo, quæ publicam utilitatem invidiæ & pravis judiciis, ex veterum placitis, nosti præferre. Deus Te, Generosa Matrona, diu servet sibi, tibi, nobis. Vale illustre feminarum sidus, & me inter virtutum excelsarum cultores numera. Hafniæ XX. Decembr. 1651.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XIII.

De novo chyli Receptaculo & Hepatis usu.

HERMANNO CONRINGIO Helmstad.

TAndem rupto silentio Te affari audeo, Vir summe. Audaciam hanc humanitati Tuæ imputabis, & famæ illustrissimæ, cui dudum ex debito assurrexi, spemq; fecit indubiam Cl. Arnisæus noster, homo ad magna natus, hoc officii genus qualecunq; tibi placiturum. Nec tamen clausam hactenus in præcordiis his virtutum tuarum venerationem in

præ-

præsenti propalassem, nisi publicum me movisset. Nolo per partes repetere maximi ingenii & immensæ lectionis monumenta, quibus universum orbem & me quoq; aut docuisti, aut excitasti. Cæterum siquidem doctissimo calamo chyli vias & generationem, Libro De Sanguinis Generatione, es complexus, patere quæso, ut de novo chyli Receptaculo, judicium tuum in his subactum exquiram. Observavit Jo. Pecquetus Gallus in nupera Dissertatione, inauditâ & supra ætatem felicitate, novum chyli Receptaculum, sub mesenterio supra lumborum vertebras inter musculum ψόας, chylum ex venis mesenterii lacteis exsugens, eundemq; refundens per candicantes ductus continuo tractu ad subclavios ramos, in quos inseruntur, ubi circa jugulares externas intra venam cavam mixtus chylus cum sanguine miscetur ad cor transiturus: ad Hepar verò nullam venam lacteam deferri vidit, unde transcolatorium jecori tantum usum assignavit. Miraculo vicinum, rem manifestam tot seculorum oculis impositisse. Sensibus ipsis assensum non denegabimus. Sedulò in rei veritatem inquisivi, sectisq; canibus & eviscératis, quarta circiter post pastum horâ inveni

veni clariora omnia & quædam ab ipso Pecqueto non animadversa, Receptaculi nempe cavitatem insignem, sub rene sinistro sitam, tubulos duos tumidiusculos utrinq; sub diaphragmate latentes, qui modò juncti modò intermediis ramulis sejuncti per spinam dorsi ad subclaviam sinistram adscendunt, in quam chylum eructant, ut digitis præmentibus videre est & cultro. Cæterum in hepar quoq; ex mesenterio diffundi ramulos lacteos observare mihi visus sum, unde nolim prorsus in exilium agere epar, sed partiri credo cum corde sanguificationis opus, quia copiosior in mesenterio est chylus quam per solas vias illas novas in thorace satis exiles traducatur. Forsan igitur tenior chylus ad reficiendum cor statim per novos ductus fertur, unde subita virium ab assumptis restauratio, crassior verò longioris coctionis indigus hepar ingreditur. Certè alimenta crassiora in ventriculis canum adhuc supersunt, tenuioribus in Receptaculo & novis ductibus copiosè distributis. Sed de his tuam sententiam exspecto, donec alia fecero experimenta in Urso, quem in hunc usum servo, & homine post pastum strangulato, quibus Serenissimus Rex noster, Regiam suam præsentiam nobis clemen-

menter condixit. Reſponſum quæſo ne differ, ut de omnibus te applaudente ſim certior antequam meditata de his Diſſertatio lucem videat. Ex prælo prodiit Anatome mea Reformata, in qua non ſemel illuſtre tuum nomen advocavi, quod hic & ubiq; eminet velut in campis tumuli & tori in coronis. Vale, Vir Incomparabilis, ut Reſpublica literaria per te diu valeat, & me tui obſervantiſſimum, inter amicos numera. Hafniæ XX. Decembr. 1651.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XIV.

De Lacteis Pecquetianis reſponſio & dubia.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

LIteræ tuæ, Clariſſime Bartholine, mirificè me exhilaravere, idq; multis nominibus. Jamdudum enim ex quo Anatomica paterna elegantiſſime abs te bis recenſita, & quæ de Animantium lumine, latere Chriſti aperto, Armillisq; veterum edidiſti in manus meas pervenere, ſuſpexi ingenium tuum, boni publici

blici ſtudioſum atq; ad ſolidã gloriam erectum, nec minus varia doctrina ſubactum exculumq;: auſus etiam ſum reipublicæ literariæ & noſtro huic ſeculo præclariſſima quæq; de te polliceri, ubi vidi indicem aliorum abs te editorum librorum complurium. Itaq; cum jam ante amarem te prout merebatur virtus & doctrina tua, vehementer ſane ſum gaviſus, quando ex literis tuis intellexi provocari me quaſi abs te ad ipſa penitioris amicitiæ ſacra dudum deſiderata. Quidni vero etiam me exhilarent illæ, quibus me proſeqvutus es, laudes? Quamvis enim rectiſſime omnium ego intelligam quantum illæ captum indolis meæ excedant, non poteſt tamen non me afficere impetus ille magni tui erga me amoris. Eſto igitur inter nos, mi Bartholine, impoſterum vera & ſolida amicitia, quoniam ita vis: nec enim patiar in me quidquam deſiderari; idq; ut tibi perſuadeas, etiam atq; etiam rogo.

Haud parum vero delectaverunt me etiam literæ tuæ elegante illa Pecquetiana obſervatione Anatomica, tuo ſtudio induſtriaq; egregiè exculta. Ne fando quidem de illa hactenus mihi innotuerat quidquam, eoq; illa quidem doctrina omnino mihi inſperato accidit. Adeo vero deſiderium, oculis rem illam novam

vam contemplandi penitius, in me accendiſti, ut ſimulac nonnihil otii à laboribus alienis plurimisq; (qui me tantum non conficiunt) nactus ſum, ilatim ad vivorũ canum ἀναπμὴν, vetera mea oblectamenta, redierim. Nec vero ad tuas reſpondere, nullo facto ante experimento, fas duxi; quia haud alia de cauſſa perinde fui hactenus in reſpondendo tardior. Ita autem eſt, mi Bartholine, prout narras: omnia qualia deſcripſiſti & ego hic inveni: ſed & vidi preterea ramulos varios à lactea illa thoracica in cavam venam ſparſos. Quin imò ſpem certam concepi, fore brevi, ut alii novi ductus connexionesq; lactearum cum venis inveniantur hactenus incogniti. Neq; vero copia lactei chyli & anguſtia paucitasq; hactenus cognitorum vaſorum, aptorum in id uti chylum ex receptaculo poſſint alio transferre, me quidem permittit dubitare de aliis hactenus ignotis viis. Ut ſanè per illum à Pecquetio inventum ductum omnis poſſit meare, ἓν eſt τῶν ἀδυνάτων. Nimis etiam paucæ ſunt & anguſtæ venulæ quas in venam portæ, in cava hepatis, in venam cavam, inſeri dudum cum aliis tum etiam mihi, (quicquid negat Pecquetus) eſt obſervatum. Jam ante decennium nonnihil aliquid ea de re ſum ſuſpica-

tus, quod habetur pag. 81. libri de ſanguine editionis Batavicæ: impoſterum ſi ferant negotia curioſius inquiram, imo vero Tu, feliciſſime Bartholine, invenies. Efficiunt verò adeo diverſæ lactearum connexiones, ut magis magisq; declinem in antiquiſſimi ævi illam περὶ αἱματώσεως ſententiam, nempe ἐξαιμάτωσιν (ceu loquitur Ariſtoteles) ſive primum ſanguinis rudimentum paſſim in venis fieri, adeoq; in hepate non niſi κατὰ συμβεβηκὸς, in corde autem quoniam ibi calor eſt maximus ultimum accipi complementum; non quod omne eo momento quo in cor pervenit ſtatim perficiatur [id enim vetat me credere is qui ſanguini permiſtus eſt ἰχὼρ crudus, quem per cor traductum eſſe nullum eſt dubium qui tamen nondum plene excoctus eſt] ſed quod tamen vi caloris nusquam ita queat perfectionem ſuam ultimam conſequi. Certè paucitas illa & anguſtia meatuum lacteorum qui in hepar pergunt non permittunt, uti credamus impoſterum hepar præcipua quadam vi αἱματοποιητικῇ valere. Et vero videtur naturæ rerum rectius conſultum ſi chylus variis multisq; in locis cum venoſo ſangvine miſceatur, quam ſi omnis uno loco tempore q; con-

ficia-

ficiatur: hoc sanè longè est difficilius quam prius illud. Num illa cum jugulari connexio singulatim faciat aliquid ad citam restaurationem virium cordis (ut affirmem tibi quod sentio, Vir Clarissime) multum dubito. Primo enim æque expedite & brevis via videtur in cor ex hepate aut vena cava abdominis, & omnino ante illam connexionem ramuli, ceu ante dixi, sparguntur in cavam qua parte cordi est propinquior atq; est jugularis externa. Secuudo in illa thoracica lactea nihil reperias nisi aliquot à pastu horis: ut proinde chylus ex cibo crassiore confectus videatur per hunc meatum deduci, is autem non est adeo facilis & idoneus ad restaurandas corporis vires. Hæ scilicet sitæ sunt in illo animali igne, quem pinguissimis sangvinis partibus ali, fortassis haud vanis argumentis probavi libro de Animali Igne.

Sed quid ego tibi narro cogitationes meas? tuas potius unice exspecto, quanquam pro recentis amicitiæ jure libere apud te sententiam imposterum sum dicturus. Vale Vir Clarissime & plurimum salve 6. Febr. 1652.

à Tui nominis studiosissimo

H. Conringio.

P. S. Miſi nuper libellum de Electione Paparum: eum ſpero jam redditum. Ejus auctarium ut & librum de Germanicorum corporum habitu ſecundæ ἐκδόσεως habebis propediem. Quod ſi & reliquorum quid meorum petieris, mittam; ſi quidem ad manum fuerit. Rogo verò ne graveris meo nomine ſalutare magnum illud Hafniæ imo omnis Septentrionis ornamentum Wormium, epiſtolari conſuetudine mihi quondam familiarem.

EPISTOLA XV.

De Generatione Harvei.

HERMANNO CONRINGIO Helmſtad.

MAximi beneficii loco fuit, Vir Summe, quod ad literas meas non ita pridem reſpondere non putaveris infra dignitatem, & amicitiâ tuâ me dignatus ſis, qua nihil unquam habui antiquius, felicemq; me æſtimavi tanti amici, omnium calculis doctiſſimi & candidiſſimi acceſſione. Quantum in me erit tuo honori & famæ æternæ litabo ſemper. Quid de ingenii mei laboribus benignè judicaveris, quia tenuitatis meæ mihi ſum conſcius, amori potius in me & humanitati adſcripſerim

quam

quam meo merito. Quam vellem alios tam modeſtos æquosq; mihi cenſores optare. Ad obſervationem Pecquetianam quod operam tuam contuleris, publico nomine gratias ago. Inſeri ramulos in cavam elegans inventum eſt, & dignum tuo cultro. Cætera quæ de partita chyli diſtributione eruditiſſimè diſſeruiſti, digna judicavi quæ publicè quoq; legerentur. In nonnullis diſſenſum planè amicum à me profiteris, præſertim circa ſubitam virium reſtaurationem, argumentis ingenioſiſſimis, quibus pauca repoſui ea modeſtia & amoris fiducia, qua amicum integerrimum decuit. Nec ægrè feres pro candore Tuo incolumi amicitia nos diſſentire. Tuæ tamen cenſuræ libenter acquieſcam meliora edoctus. Mitto Hiſtoriam Anatomicam De Lacteis Thoracicis, in qua brevibus ſum complexus, quidquid hactenus de illis obſervavi, tuo judicio in ſolidum committendum. Plura nova inveni, quæ propediem in lucem mittentur, ſi Deus, ſi valetudo, ſi occupationes permiſerint. De Electione Paparum, quæ miſiſti, internuncii negligentia perierunt. Submerſa aquis Pharmacopola referebat, qui nomine Tuo me ſalutavit plurimum. Majori voluptate ad nullius ſcripta legenda accingor, quam

ad Tuam, ex quibus quisq; discit quantum & velit & possit. Librum de generatione sanguinis & chyli, de Igne Animali, & Introductionem ad Naturalem Scientiam, cedro digna opuscula Bibliopolæ ad nos detulerunt, uti & observationes *Salmuthi* à te vindicatas. Reliquorum operum copiam si ex condicto mihi feceris, grato animo semper agnoscam. Paria repromitto, si vel verbulo monueris. Non dubito ad manus vestras perveniſſe Harveji nuperas de Generatione Animalium Exercitationes. Nisi molestum fuerit, quid sentias, scribe. Nihil tribuit semini seu virili seu muliebri, sed uterum turgere à spiritu vel ex semine ipso vel à toto corpore profluente aut irradiante. Varias habet observationes, & more suo *αὐτοψία* pugnat. Riolanus Enchiridii partem alteram meditatur, cum Responsione ad Gassendum, Harveum, Highmorum, Pecquetum, & Slegelium, quam brevi ad me missurus est. Rothomagi prodiit Giffarti quoddam opusculum, de Lactis generatione, cui se opposuit Auzotius Parisiensis doctissimus. Sed quid hæc coram Te, Conringi Clarissime. Tua potius expectamus, cujus jam orbi innotuit virtus, & eruditio summa. Vale,

Vir,

Vir ſumme, meq; Tibi addictiſſimum, ut cœpiſti, amare perge. Cl. Wormius noſter, officioſiſſimam Tibi, amico veteri, per me ſalutem tranſcribit. Hafniæ 24. Maji 1652.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XVI.

De Pecqueti invento.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

FUimus ſpectatores hiſce diebus, & ego & nonnulli alii literarum ac rerum ſtudioſi, iſtius εὑρήματος, de quo a. d. X. Kal. Januar. ad θαυμάσιον noſtrum Conringium ſcripſeras, pro quo Picqueto quidem primum, à quo tàm ſingularis & nobilis Naturæ latebra detecta fuit, mirificas gratias ac planè ingentes debemus, deinde Tibi, quo & internuncio & adjutore ad nos primum illius notitia pervenit, ad quos quidem multis de cauſſis, ſi absq; Te fuiſſet tardius perveniſſet. Sed quoniam adhuc privatim inter paucos res perveſtigata eſt, alienum ſit pluribus nunc agere, donec incomparabilis Viri Conringii cum ingenium tùm diligentia acceſſerint, quem per hos dies

occupationes ſic diſtentum habuere, ut manum adhibere ipſe, & rimari omnia ἀκριβέστερον minimè potuerit, quod tamen eum propediem facturum non dubitamus. Interea quod in iisdem literis tam amicam mei, tamq; præclaram & honorificam mentionem feciſti, non minus Tibi privatim hoc nomine debeo, quàm propter eruditionem & præſtantiſſimas Virtutes Tuas publicè, quare velim Tibi perſuadeas, me, quanquam is ſum, qui neq; præſtare aliquid prædicandum & magnum, neq; operam navare amicis pro voluntate ſua poſſit, tamen nihil carius aut antiquius unquam habiturum, quàm ſi Tu intelligas, mihi amicitia Tua neq; jucundius & gratius, neq; honeſtius & præclarius contingere quidquam potuiſſe, Vale πολυμαθέστατε Bartholine & me ama. Scrib. Helmſtad. in Acad. Julia a. d. proprid. Id. Januar. An. cIↃ IↃc LII.

Nom. & Dignit. T.

Devot.

Fridericus Arniſæus.

Mirum quantum Tibi deberemus Excell. Bartholine, ſi Exercitationis illius Picquetianæ exemplum ad nos perferri poſſet καλλιγραφῆσαι, in qua re affinem meum Opt. Virum

Samue-

Samuelem Mejerum non defuturum sumptibus esse, penitus certus sum. Quare, si ita mihi apud Te licet, ut id curæ habeas vehementer etiam atq; etiam à Te contendo. Iter. Vale.

EPISTOLA XVII.

De Pulchritudine Christi.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

ANimum tuum in me propensissimum, literis tuis aliisq; documentis testatissimum, gratâ mente agnosco; Gratiasq; tibi ingentes habeo de misso libello tuo lectissimo, quem pervolanti quidem oculo inter concatenatas occupationes sed non sine aviditate ac animi voluptate perlustravi. Limata atq; exasciata illa tua de Cruce Christi Hypomnemata mihi mirifice placent. Reconditam namq; Eruditionem produnt, & orthodoxæ veritati, quantumvis nova, non adversantur. Hypomnema tuum, de Sudore Servatoris vere sanguineo, veræ humanitati Christi adstruendæ oppido inservit; Eodem tu παθήματα Christi vera & acerba fuisse, Christum omnes infirmitates nostras expertum, quin crimina nostra sanguinea sudore Christi verè sanguineo

expiata esse, piè asseveras. Particulam ὡσεὶ, in phrasi ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος, ritè & dextrè explanas, ipsâ non invitâ Scripturâ: Etenim consimilis phrasis occurrit Joh. 1. v. 14. καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ τοῦ πατρός; ubi particula ὡς (quæ per Apocopen eadem est cum ὡσεὶ, ejusdemq; significationis) notat non ὁμοιότητα sed ὁμοιότητα vel ὁμοιοσίαν. Salmasio equidem ceu Primipilo Literatorum herbam porrigere fas est; neutiquam tamen est adeò ὁ πάνυ, tantævè autoritatis, ut tuam de facie Christi sententiam ipsius opinioni, quam lectorem ἐν προθύρῳ mones, præferre non ausim. Nicephori autoritati antiquorum Patrum testimonia prævalere nequeunt, nisi hi magis quam ille vivam Christi faciem αὐτόπται aspexerint. Priscis numismatis vultum Servatoris exactè repræsentari, argumentum est vix Topicum, nedum Apodicticum. Quam fallax sit fides & autoritas numismatum in exprimendis iconibus, affatim testantur nummi nostræ ætatis, quorum pleriq; vultus Magnatum, omnium judicio, fallacissimè exprimunt. Facies Servatoris pulcherrima tantum abest servili ejus formæ & conditioni obstet,

ut

ut παπεινώσεως, ἐλαπεινώσεως καὶ πενώσεως statum, quo ille velut profundiſſimo pelago immergebatur, quàm maximè illuſtret: Conſpectior ſane eſt contemptus, quando ſpecioſus habitus & pulcherrima facies, quàm quando deformis habitus aut teter vultus, deformatur, conſpurcatur, obſcuratur; Enimverò contraria juxta ſe poſita magis elucescunt: Exinanitioni magis conforme eſt ex pulcherrimo teterrimum quàm ex tetro tetrum aut ex deformi fieri deformem. Sicut Servator, exinanitus, Divinitatis Majeſtatem, perſonaliter communicatam, non exſeruit; ita humanitatis formoſitatem ſuſcepit, ut per Exinanitionem ea deponi & cum deformitate commutari poſſet Eſa. 53. 2. 3, Perſuaſum habeo Patres Nicephoro antiquiores non aliam vultui Chriſti adſcribere deformitatem, quàm quæ ex formoſitate per exinanitionem facta ſit. De Chriſto ejusq; vultu, cum hic ſpinis laceratus, pugnis contuſus & ſputo conſpurcatus eſſet, demum (non antea) dicebat Pilatus, Ecce homo! Herodi Servatorem ludibrio extitiſſe ob vultus deformitatem, plasma eſt humani cerebelli atq; commentum ἄγραφον. Pulcherrimus præ filiis hominum perhibe-

hibetur Servator propter decorem tàm corporis quàm animi: Pulchritudo proprie est Qualitas externa, in oculos incurrens, ac proinde tribuitur corpori πρώτως & proprie; animo verò δευτέρως, & improprie seu Metaphoricè. A literali & proprio sensu non recedendum, nisi id strictè urgeat necessitas, analogia fidei, aut ipsa Scriptura. Salmasii rationibus inductum, sententiam te tuam, veri longè similiorem, vel mutasse vel mutaturum ægrè fero. Amicus mihi Salmasius; magis tamen amica veritas, adeoq; magis mihi amicus Th. Barth. Casp. F. Quæso, Clarissime Vir, qui Salmasium impensè amas, veritatem ama impensius, & pristinæ sententiæ tuæ, Salmasianâ saniori ac meliori, cordatè immorare. Macte præclaris ausis, bellissimè vale, diutissimè vive, mihiq; Tui amantissimo in offenso tenore fave. Dabam ocyus Lund. 8. Januar. Anno 1652.

Tuus ex animo

P. Winstrupius D.

EPISTO-

EPISTOLA XVIII.

De Picqueti inventi Utilitatibus.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QVùm mihi Optatiſſimum ſit, ubi me ſentio diligi à Te, propterea quod nihil homini Sapienti arbitror evenire poſſe jucundius, quam ſi bonis ſe placere intelligat; beâſti Tu me quidem, cum ſingulari comitate Tua, tum candore atq; ingenuitate propè incomparabili, Excellentiſſime BARTHOLINE; qui tam diligenter tuearis officia conſtantis amicitiæ, quaſi ego id mererer maxime, quem Tu ſcire potes neq; his Virtutibus prædítum, quæ amorem cujusquam poſtulent, tum ab eruditione ita imparatum eſſe, ut nec Tuo reſpondere poſſim, nec pol meo ipſius judicio. Quare quod amori Tuo indulges erga me, eſt id quidem totum comitatis & manſuetudinis Tuæ, quam ſi ego rependere vel perpetuis ſtudiis meis me poſſe confidam, impudens ſim atq; etiam ineptus, quod poteſt enim eſſe officium tantum, ut comparandum ſit cum Clariſſimi hominis integra & conſtantiſſima benevolentia? Atq; illud prope admirabile, quod quum ad Te ſcripſiſſem me teneri deſiderio legendæ Exercitationis nouæ Picqueti,

de

de qua mentionem feceras in Tuis ad me literis, ubi exemplum ipsum, quod unicum erat, perferri non posse intellexisti, ultro laborem sumsisti non exiguum, eaq; descripsisti manu Tua, quæ propius spectabant ad quæstionem propositam, qua quidem opera Tua id effecisti, ut nisi ego invicem rem gravissimam & factu maximè difficilem exhausero, existimem me hominum vivere ingratissimum. Quid verò ego sentiam de re illa universa (quanquam non is sum ipse, qui nimium meæ fidam sententiæ, aut eam valere cupiam in tanto numero rectius judicantium, tamen ut dicere incepi, quid ego sentiam de tota re, si quis ex me quærat, nimirum primùm felicitatem Picqueti laudem, & diligentiam prædicem, & hoc seculum etiam atq; etiam beatum dicam, quo solo, atq; paulò superioribus temporibus, tam multæ, tam variæ res, tam scitu exploratuq; dignæ inveniuntur, quæ cum antiquiorum præclarissimis inventis, paria facere possint & nonnunquam majora, tum nostrum aliorumq; judicium amare occipiam, qui solis argumentis adducti hactenus in Aristotelis sententiam *περὶ αἱματώσεως* concesseramus, cui nunc tam liquido Naturam ipsam videmus subscribere. Quid enim fingi potest aut cogitari

Aristo-

Aristotele εὐστοχώτερον? Quàm omnes objectiones Galeni, omnes ratiunculas Medicorum pro jecoris ὑπεροχῇ hæc una res momento unico disjicit! quare eam quidem laudem debemus Picqueto libenter omnes, & non dissimulabimus, ubi usus venerit. Quàm vellem autem idem ille Picquetus Venarum lactearum ingressum in jecur negare animum non induxisset, qui si tanto Viro, & tam perspicaci non in oculos incurrit sæpius, multò magis mirum est, hæc eum præterire potuisse, quod nos in omni resectione αὐτοφθαλμοῦμεν, & tam certò scimus ita se habere, quam nos vivere: Oportet aliud subesse, cum id fateri & veritati manus dare non velit. Quod si ita existimat sese istoc Aselliano invento præclùdi ab integra possessione laudis suæ, nihilo sanè minor propterea illius fama habebitur, nosq; apud Prætorem sic agemus, ut nihilo secius ille rem suam possideat, ita uti quis optima fide, optimoq; jure possidet. Tuum nunc est Excellentiss. Bartholine augere hanc rem sedulitate & diligentia Tua, qua de te scriberem plura, nisi tempore excluderer. Fac existimes omnia quæ à Te proficiscuntur, ita uti merentur in magna spe esse, tum me ex tuis laudi-

laudibus tantam voluptatem capere ut majorem non poſſim. Vale: Ubi majus otium nactus fuero ſcribam ἀκριβέστερον. Helmeſtad. a. d. VII. Kal. Mart. An. cIↃ IↃC LII.

Nom. & Dign. T.
Devot.
Fridericus Arniſæus.

EPISTOLA XIX.

Cur lacteas in hepate Pecquetus non annotarit?

FRIDERICO ARNISÆO Helmſtadium.

NOn eſt quod multis dubites, cur Te amem & multis aliis in amore præferam. Meretur magna Tua indoles, meretur ingenium magnum, meretur eruditio magna, ut de parentis fama meritisq; nihil dicam, quæ pro alienis habes, qui magnus fores quanquam magnum Patrem non habuiſſes; meretur deniq; amicitia quam minus fucatam experior, ut & mihi de amico & patriæ de cive magno gratulari debeam. Non dubito quin de repetenda patria quamprimum cogites, ut reapſe experiaris, quantos amicos habeas Tibi tuisq; rebus

rebus prorsus addictos. Gaudeo quod Pecqueti inventum per me vobis innotuerit. Dignum est Medicorum observatione, & Philosophorum, qui pro suo Aristotele sensim illud ἔυρηκα inclamabunt. Necdum tamen hepar possum deserere, quanquam cordi ex parte faveam inventis his Lacteis Thoracicis. Forsan divisum imperium cum Jove Cæsar habet, & pro sanguine conficiendo pro tanta familia duo coqui rerum suarum satagunt, si quidem ad hepar quoq; lacteæ Asellianæ pertingunt. Pecquetus negat & præterit. Omnibus tamen hactenus visæ sunt. An umbram pro Junone? Monstravi non semel, & adhuc pro iis pugno, quanquam animus vacillare cœperit. Non ausim tamen antiquos limites movere, quamdiu supererint pro hepate suppetiæ. Mihi multa nova animo obversantur, & nisi valdè fallor brevi novum vasorum genus propalabo, de quo nihil publicè adhuc audeo proferre, antequam plurimis experimentis confirmaverim cogitationes. Ut eapropter justam causam habere potuerit Pecquetus, lacteas prope Hepar inficiandi. Quæ enim ibidem apparent, non lacteæ sunt, sed aqueæ, talesq; jam aliquoties observavi, nec prope hepar tantum, sed & alibi in

artubus, quæ tandem in novum fluvium erumpent. Distrahor tamen, & mihi non satisfacio. Interea Lacteas Thoracicas notas jam illustrabo, multa pro Hepate moliturus, ne si aliter imposterum res pro illo ceciderint, novaq; vasa illi inimica emerserint, mihi vel inconstantiæ vel temeritatis culpa imputetur. Nubes oriuntur, in pluviam uberem desituræ, & campum Anatomicum irrigaturæ. Tandem serenitatem inde expectabimus à veritatis fautoribus quos ad hoc spectaculum invitabo. Inter quos incomparabilem Conringium æstimo, quem tanti facio, ut pluris neminem. Tu quoq;, mi Arnisæe, Aristotelis tui fata solare, & me ama. Hafniæ prid. Cal. Maji 1652.

T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XX.

De Regina Christina.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

NOndum licuit mihi multis negotiis obruto in hoc adventu ad Te scribere. Ut primum occasionem nanciscor hac epistola Tibi gratias ago immortales pro tot acceptis

à Te

à Te gratiis, velim etiam agas gratias tuis Cognatis qui tam humaniter me exceperunt, eosq; meo nomine plurimum ſalutes. Expecto Tractatus duos à Domino Furen de aquæ potu copioſo ab aſſumpto medicamento ſolutivo. Gaudet Regina de omni doctrinæ genere, maxime de Medico, in quo eſt verſatiſſima. Retuli ipſi quantum artem illam promoveas, ſedulitate, experimentis & ratione, vellet inter Suecos eſſe qui eodem veritatis & gloriæ deſiderio tenerentur. Acceptiſſimus fui in hac aula, jamq; nota eſt mihi Reginæ munificentia, nec non Eminentiſſimi Comitis de la Garde, ſed nullos hucusq; vidi Medicos præter Dominum Vulden Batavum, cæteri latent, ignoro an metu an odio. Ego vero fero pacem, ſi abſint canam mihi & Reginæ quæ eſt inſtar omnium nec non quotquot ſunt literatorum. Illa eſt fama multo major, nec illius vim ingenii hac epiſtola valeam exprimere. Vale Anatomicorum lumen & me redama qui ſum.

Tuus ad omnia paratiſſimus

P. Bourdelot.

Holmiæ 15. Mart. 1652.

EPISTOLA XXI.

De Lacteis, Aquæ Potu, & ſemine muliebri.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

P. BOURDELOT, S. P. P.

DUm multa de Te Smæ Reginæ retuli muneris illud mei fuit. Id debebam veritati non amicitiæ. Gaudet Regina habere in vicinia Virum in Anatomicis Sectionibus ſic inſignem. Virtus tua de qua mirifica dixit Regina Profeſſoribus Upſalienſibus fuit incentivum ipſorum animis, qui jam ſedulo ſectioni animantium incumbunt, aliquis ex illis eandem obſervationem de Thoracicis chyliferis fecit, ignoto Pecqueti nomine, ſic enim aſſerit, multa promittit. Ad me ſcribit Auzotius Pariſienſis ſe parare librum de generatione Lactis contra Guifardum Rothomagenſem, in quo probat fieri à ſanguine non à chylo immediate, eſt Vir mathematico more diſſerens, nihil profert in medium perperam. Scribit Riolanum vidiſſe librum Schlegelii & ſpreviſſe, & multa in illum moliri, ſed credo fore irrita, ſeneſcit enim illius Viri virtus, & vult legentibus fidem extorquere, jure veteri ſed jam obſoleto & autoritate dicentis. Vellem Dominum

Fuiren

Fuiren, quem multum si placet meo nomine salutabis, ad me misisse illos duos tractatus de aquæ potu, curassem postea eosdem ad illum referri, credunt hic me aquæ bibendæ auctorem, faceret plurimum ad propugnationem meæ sententiæ, si haberem exoticos medicos comprobatores, saltem mittat titulos librorum, curabo ex Italia quamprimum huc asportari. Tota in me medicorum contumelia, ab aquæ potu Reginæ præscripto, illa dum huc accessi erat mera bilis, quæ jam restinguitur aquæ potu, balneo & somno juxta præscriptum divini senis: si tamen D. Fuiren mittat ad me tractatus ab amanuensi exaratos, solvam impensam ibi aut alibi ubicunq; præscripserit. Ita obrutus fui negotiis ut vix potuerim vel rebus necessariis par esse. Jam ita res meas disposui ut debeam mox mox vacare studiis, scribam ad Te quæ de Aneurysmate & serpentibus Braccianis proposui, & incumbam experimētis faciendis, de quibus Te faciam participem. Accepi literas quæ ferunt Te observasse thoracicas lacteas se inserere in sinistram subclaviam non in dextram, hoc interea jam circumferebatur. Mitto ad Te portiunculam lapidis amianthes dicta, cum lana ejusdem parata, cujus est methodus conscripta à quodam Italo Genuensi, est

etiam portio funiſue fili ſed craſſioris, nec non mitto byſſum verum veterum, vellem eſſet major copia apud me, ſed quod habeo impertior. Mitto etiam Elegiam in obitum Ruteani, cujus facies participes clariſſimos noſtros ſodales quos ſaluto. Scribe quid ſentias de opinione Harvei de generatione Animalium, nihil adſcribit ſemini muliebri neq; virili, ſed uterum turgere à ſpiritu vel ex ſemine ipſo vel à toto corpore profluente aut irradiante dum mulier patitur orgasmum, non credo materiam illam inutilem nec tantum vaſorum ſpermaticorum apparatum, dixerat tamen antehac Sinibaldus Romanus, vel minimam ſeminis portiunculam ſufficere ad generationem. Iterum Vale & me ama, habeas excuſatum quod hæc currenti calamo ſcripſerim. Holmiæ 18. Maji 1652.

EPISTOLA XXII.

De Aquæ potu poſt medicamentum, & de Harvei opinione.

PETRO BOURDELOTIO Holmiam.

IN magna gloriæ parte reputo, tantæ Reginæ placuiſſe mea ſtudia & Anatomicos labores, quibus defungor. Quid Upſalienſes obſerva-

ſervaverint de lacteis thoracicis, ſcire percuperem. Ego publico ſcripto edidi, quæ poſt tuum diſceſſum, in Homine obſervavi. Receptaculi loco glandulas tres lumbares inveni. Nec inſertionem duplicem thoracici ductus videre potui, ſed unam ſolam, eamq; in ſubclaviam ſiniſtram, quemadmodum ex Hiſtoria mea Anatomica percipies, quam prima occaſione mittam. Opuſcula Ingraſſiæ & Sylvatici de aquæ potu poſt ſumptum medicamentum ex Bibliotheca Fuireniana brevi faxo ut habeas. Magna tua prudentia potum frigidæ recte ſuadet in bilioſis & calore æſtuantibus, ut acrimonia calidi pharmaci obtundatur in ventriculo. Hoc conſilio ægrotanti Siciliæ ProRegi Johanni de Vega, poſt ſumtum pharmacum Ingraſſias aquæ frigidæ libram unam cum pauco ſaccharo dedit, unde & felicem medicamenti ſucceſſum procuravit, & vas idem argenteum, ex quo frigida propinata, pretii aureorum quinquaginta, obtinuit. Majora Tibi auguror, ſi conſilio eventus reſponderit. Faventes habes inter veteres Ætium, & Meſuen, quorum ille tetrab. 1. Serm. 3. c. 133. aquam frigidam abſorbendam aut colluendam dat ſi facilè purgentur, poſtquam biberint medicamentum: Hic vero Theor. 3. facultatem ex-

pultricem imbecillam aut medicamenti actionem debilem aqua modice frigida juvari tradit. Noſtris tamen moribus receptum eſt, non tantum calida juſcula epoto medicamento ſuperbibere, ſed in prandio quoq; cereviſiã calentem vel tepidam haurire. Dandum aliquid conſuetudini, dandum quoq; aëri noſtro ſeptentrionali, & cacochymicis corporibus frigidioribusq;, quibus non ita tuto frigida aqua exhibetur. Noſtro enim ventriculo ea non conferunt, quæ Siculo, quia variant & homines & cœlum. Pro amiantho, & byſſo gratias ago. Habui ſimilia ante, ſed filum tuum elegans inter Muſæi rariora locum meretur. Juxta tecum ſentio, contra paradoxa Harvei, inutilem non eſſe tantum vaſorum ſpermaticorum apparatum, & quanquam primo menſe ex ſemine in utero nihil ipſi apparuit, fuit tamen, vel certè in tubis uteri interea deliteſcit, de quo tamen nihil definiverim, quia tantam habet inter Anatomicos authoritatem, ut mentiri non credatur, & nos ſubinde malumus ἐπέχειν quia contrarias experientias, æquè manifeſtas afferre non poſſumus ſubſidiis deficientibus. Hiſce Vale, Vir acutiſſime, mihiq; favere perge. Hafniæ XXVII. Maj. 1652.

T. Thomas Bartholinus.

EPISTO-

EPISTOLA XXIII.

De Morbo Magico.

Thomæ Bartholino Hafniam.

NOn mediocriter exultavi præ gaudio, quum è cariſſimi & ſuaviſſimi fratris *Erasmi Bartholini* manibus litteras tuas accepi *Hafniæ* datas 28. Febr. per quas de duobus doceor, de tua nimirum valetudine, de qua ſit laus omnium bonorum authori: & de tua in nos liberalitate, pluribus nempe libris, quibus me beare voluiſti, & Bibliothecam meam locupletare. Eos autem omnes quum Deus voluerit accipiam; neq; enim ignoro quantæ ſint itinerum difficultates propter bellicos tumultus, pro mercibus ad nos usq; devehendis. Eos verò, quos *Erasmo* fratri tibi in *Daniam* mittendos commiſi, ante menſem, utinam quoq; brevi & feliciter accipias: eædem enim difficultates & turbamenta vos æquè reſpiciunt. Hîc apud nos currit ſub prælo novus liber Domini *Riolani* Antiquioris Scholæ noſtræ Magiſtri, cujus erunt duæ partes, & multi tractatus ex admodum varia materie: ut & de inverſo ſitu lienis & hepatis in quodam ſicario, menſe Novembris depræhenſo, initio mei decanatus, anno Chriſti, 1650.

Tractatus peculiaris de Circulatione sanguinis, adversus *Harveum*, Medicum *Anglum*, primum tanti mysterii repertorem: alter adversus Dominum *Gassendum*, Professorem regium, & virum eruditissimum: alter adversus *Pecquetum* Diepensem Anatomicum: alter adversus *Nathanaelem Highmorum*, nuperum Anatomes Scriptorem, & Professorem in Academia *Oxoniensi*: alter adversus *Marquartum Slegelium Medicum Hamburgensem* celeberrimum, & alios. Habebitur quoq; *Encheiridij Anatomici & Pathologici pars altera*, quorum singulorum editio ad finem deveniet ante junium mensem: Eum librum ubi prodierit, statim tibi mittendum, & adhuc à prælo sudantem, *Erasmo* fratri committam.

Quod autem Medicæ artis observationibus te delectari scribis, & ex iis nonnullas à me postulas, ecce unam tibi subjicio, alias quidem suggesturus, si eas scribendi otium suppeteret, planè raras ac insolentes.

Vir quidam nobilis, Campanus, ingeniosus & ad unguem factus, sanguineo & melancholico temperamento ab ortu præditus, multi jugæ eruditionis & literaturæ, postquam per plures annos pro Christianissimo Rege nostro militavit, laboriosæ istius vitæ pertæsus, ad

studia

ſtudia juris civilis regreſſus eſt, quibus tam acriter incubuit, ut in iis, imò & in ſingulis facilè excelleret. Dum *Lutetiæ* moratur initio hujus anni 1652. incidit in febrem, cum quodam dolore ad dorſum & lumbos, & totius corporis tremore inſolito, (qui poſt paucos dies feliciter deſiit,) & fluxu hæmorrhoidali, lento quidem & pauco, ſed dolorifico: poſt aliquot dies utroq; ſymptomate adaucto, eruditus quidam Medicus ad eum deducitur: cujus auxilium recuſat, nullam à Medicorum præceptis opem ſperans, incurabili quodam, ut ajebat, affectu laborans: Rogatus à Medici, cur iſtud morbi genus deſperatum & ἀνίατον cenſeret? Reſpondit eſſe morbum magicum, pravis magorum artibus ſibi immiſſum, quo abundabat illa regio in qua per aliquot annos militaverat: (*Lotharingiam* ſubaudiebat, ut ab ejus obitu intellexi:) quibus dictis Medicum illum dimiſit. Ingraveſcente tamen affectu, & fere incandeſcente, amicorum precibus inductus, ad eum acceſſi, eiq; per aliquot dies Medicinam feci: ratione febris urgentis quater fuit illi detractus ſanguis, impurus admodum, planè putris, & ab alimentarii ſanguinis natura omnino alienus: unde dubium & ancipitem morbi eventum,

non

non obſcurè ominatus ſum: nihilominus tamen paulò melius habere ſibi viſus eſt: venæ ſectioni, per quam ſingulá mitiora facta fuerant, ſucceſſit blanda purgatio, ex caſſiæ medulla, cum foliis orientalibus & ſyrupo diarhodon veteri, ad vitandum irritamentum, purgat enim ad inſtar Scammoniatorum recens paratus & novus ille ſyrupus: ex illa catharſi adeo levatus fuit, ut in convaleſcentiæ ſpem lubens devenerit, nec amplius incurabilem morbum eſſe reputaverit. Poſtquam tali remedio quater fuit repurgatus, etiam interdum addita diaprunis ſolutivi Drach. j. quietis dies aliquot ſibi indulgeri poſtulavit, meq; dimiſit: inter hos dies ſtillatitiam quandam aquam ex cornibus & corde Cervi, à Principe quadam fæmina ſibi ſubminiſtratam aſſumpſit, quaſi præſtantiſſimum adverſus magicas artes, & ad conciliandum cordi robur, ut agyrtæ loquuntur, alexiterium: ſed fruſtra, & nullo ſucceſſu, imò peſſimo: ideòq; cùm multo vino, çòq; meraciori uſus eſſet, ac incaleſcente febre, ad eum revocatus fuiſſem, omnia longè deteriora depræhendi, præſertim vero colorem in facie cadaveroſum, & fœtorem corporis nulli ferendum: mecum adſcitis in conſilium tribus è noſtris Senioribus, *Jo. Riolano,*

olano, Anatomicorum principe, & Antiquiore Scholæ noſtræ Magiſtro: una cum *Jac. Perreau*, & *Ren. Moreau*, Profeſſore Regio, viris ſapientiſſimis & conſultiſſimis, nulla ſalutis ſpes nobis ſupereſſe viſa eſt, propter ſummam illam virium proſtrationem, & *ἀναισθησίαν* quandam, quæ hominem detinebat, cum fugaci delirio, à quibus poſt biduum extinctus eſt.

In diſſecto cadavere apparuerunt omnia viſcera nutritia ſupra modum pallida, à veteri intemperie bilioſa, quæ toto vitæ decurſu dominatum obtinuerat, ſed absq; ullo eorum ſubſtantiæ vitio. Ex utroq; pulmone leviter compreſſo, ſerum putre & fœtidum defluebat: ſubſtantiæ cerebri ſerum multum inſtar ſeri lactis ſubvireſcens innatabat: cujus portio in ſpinam dorſi decidua, tremorem illum initio morbi concitaverat. Quænam igitur mortis cauſa fuit? ingens abceſſus in toto pancreate latitans, cum multo pure & fœtore intolerabili: pure inquam putidiſſimo, & ſubviridi, cujus acrimonia glandoſum corpus penè univerſum exederat atq; diſcerpſerat. Hæc eſt vera certaq; mortis cauſa, tetra nimirum labes & putrilago ſumma totius pancreatis: non autem veneficia, non incantamen-

mentum, non magicæ artes, humani ingenii talibus nugis ſeipſum excruciare ſoliti, figmenta atq; mera ludibria. Tuum erit, eruditiſſime *Bartholine*, diſpicere & decernere quid facto fuiſſet opus, & qua arte quibusve aliis præſidiis potuiſſet tantus affectus expugnari: ego quidem planè immedicabilem & naturâ ſuâ lethalem fuiſſe puto. Tu verò quid ſentias aliquando ſcribes, ſi volueris.

Vale, amicorum ſuaviſſime, & candidiſſime, & me quod facies amare perge.

Scripſit filius me dictante Pariſiis, die Jovis 28. Martii, 1652.

Tuus ex animo vetus & conſtans amicus

Guido Patinus, Bellovacus, Doct. Medicus Pariſienſis, & ſaluberrimæ Facultatis Decanus.

EPISTOLA XXIV.

De Infantis ex chylo nutritione.

GUILIELMO HARVEJO Londinum.

ÆTerna nominis tui fama & in Remp. literariam merita ſumma; hactenus mihi ſpectatiſſima fuere. Meruiſti profecto candidorum

dorum omnium calculos Circulatione Tua ſangvinis, qua nihil elegantius, utilius nihil, nihil verius mortalis induſtria invenire potuit. Nec Exercitationes Tuæ de Gen. Anim. mihi præ-tereundæ planè divinæ, quibus inaudita literatum orbem docuiſti. Quid de tantis ingenii tui & eruditionis ſtupendæ monumentis judicet literatorum candidè rem æſtimantium chorus, nolo longo ſermone pertexere, nec operæ educo præciũ, qvum ipſe haud dubio quotidie magnum tuum nomen ubiq; gentium legas. Ego vero eruditorum minimus, quanquam affectu in literas & amore maximus, aliis principiis olim initiatus & imbutus, veriſſimum ſangvinis Circulati inventum, amore veritatis, lubentiſſimè ſum amplexus, & authori benè ominor. Publicis id diſputationibus non ſemel propoſui apud exteros alio ſole calentes, & in patria Academia, cui jam perſuaſi veriſſimum Harvei dogma. Optaſſem equidem ab authore ipſo & inventore totam Anatomen juxta hæc principia fuiſſe Reformatam, cæterum qvum majoribus illum curis viderim diſtrictum & cum temporum difficultatibus luctantem, negotium id in me ſuſcepi. Utinam ſatis ex voto publico & Tua, Vir ſumme, mente, Quid egerim, forſan ex Anatome mea Reformata

mata tertium apud Belgos edita & ad ſangvinis Circulationem accommodata vidiſti. An ubiq; mentem inventi ſim aſſeqvutus, verbulo monebis. Pro viribus certè conatus ſum, ſed qvum totam Anatomen à nullo viderim tum correctam, majus in me onus ſuſcepi, quam tulerint fortaſſis humeri. Exinde tamen ad nos pervenit Highmori elegans & erudita disquiſitio Anatomica, quæ idem ſaxum volvit. Jam autem totus occupor in experimentis tuis de animalium generatione, & Democriti ſpeluncam non rarò tecum ingredior. Inprimis Hippocratis nomine gaudeo, qvem ſemper ſequor, quod embryonem per os chylum ſugere probaveris. Cæterum in viis hæremus, quibus chylus ad uterum feratur qvum præter arterias venasq; ſangvine conſpicuas compareant nullæ. In prægnantibus canibus, lactantibusq; feci periculum, ſed inveni nihil quod planè mihi ſatisfaceret. Inpoſterum tamen diligentius inquiram. An arteriæ vehunt? At quomodo à cruore colliquamentum ſeparabitur, aut unde arteriæ haurient, ſiquidem in meſenterio chylo vehendo deſtinatæ non ſunt. Tuum hic acclamo auxilium & infinitam experientiam. Conatus ſum aliquid hac de re commentari in Hiſt. Anat. de lacteis thoracicis

nuper

huper inventis, quam Tibi mitto, tradetq; lectiſſimus Juv. Wilh. Wormius ſummi apud nos Viri Olai Wormii Medici & Polihiſtoris filius haud degener, qvem iccircò tuo favori & amicitiæ inſinuo. Quid de iſto invento lacteo ſtatuas, & cur in Exerc. de ſangvinis circ. contra Riolan. nuperq; de Gen. Anim. venas Aſellii lacteas habeas ſuſpectas, ſi ita negocia tua tulerint, me docere ne graveris per fidem tuam rogo. Deniq; pro publico apud Te intercedo, ne alia in Anatomicis demorſos ungues ſapientia, diutius nobis invideas. Privatas. cauſas prætendere non auſim, niſi me, quod impensè opto, & hac tabella deprecor, ad intimiorem amicitiam admiſeris, ſic Tibi ſemper ero devinctiſſimus, & vertice ſidera tangam. Deus te, Vir Incomparabilis, in Reipublicæ Anatomicæ emolumentum, diutiſſimè ſervet. Hafniæ Cal. Maji 1652.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XXV.

De Anatome Helmſtadiana.

Thomæ Bartholino Hafniam.

DEbitæ erga Te, Vir Excellentiſſime, Patrone ac Promotor maxime, obſervantiæ

meæ ratio poſtulaſſet equidem, ut Hamburgo protinus aliquas ad Te perſcriberem : verum tamen tamdiu epiſtolæ miſſionem differendam cenſui, usq; dum, oblatis Celeberrimo Conringio vaſis lymphaticis ejus ſententiam eſſem rogatus: quam lubentiſſimè ex ipſo præſens accepiſſem, ſed tantâ felicitate frui haud quaquam licuit; quoniam præpoſtera comitis mei feſtinatio ultra diem unicum Helmſtadii commorari non patiebatur, ideoq; ſuaviſſimæ ejus converſationi citius opinione ſubtrahebat. Eo tamen die ternis vicibus Exc. Conringium inviſi, humaniſſimè ab eo exceptus ſemper; interea multa invicem de variis rebus diſſeruimus, inter quæ non parum temporis ſibi vendicarunt vaſa lymphatica à Te deſcripta, de quibus ſententiam ferre diſtulit, cum quod nondum accurate ſcriptum Tuum perlegiſſet, tum quod nondum ipſe, quæ qualiave eſſet expertus; nihilominus multas de origine progreſſu, inſertione, uſuve agitabat quæſtiones ad quas pro ingenioli modulo ei reſpondi: Brevi autem ſe de iis aliquid ad Te perſcripturum promiſit, ſi alia negocia, (politicam videlicet concernentia, cui totus vacare videtur) tantum temporis conceſſerint, ut experimentum hujus facere poſſet. Idem ſcriptum Hamburgi

burgi Dn. D. Placcio perlegendum tradidi, cui omnia perplacuerunt, ut iteratò etiam legeret; hoc saltem, quod de Slegelio b. m. habetur, minus ei arrisit; falsum namq; fuisse rumorem istum divulgatum sanctè mihi testatus est, & facilè fidem verbis ejus attribuo, cum intimâ familiaritate conjunctos fuisse ex aliis acceperim: furciferum autem tertio à suspendio die scalpello anatomico aggressus est Slegelius, ubi quæso tamdiu vitæ reliquiæ delituissent? Ipse vero Slegelius p. m. jam antea de adversa valetudine conquestus, altero post exorsam sectionem die febre maligna ac petechiali decumbere cœpit, quæ etiam die decimo septimo eum extinxit: mutandum itaq; illud alio tempore amicè censebat, ne fortassis à quopiam olim falsitatis crimen Tuæ Exc. intenderetur. Interim multam salutem Tibi, quem olim Lugduni Batavorum novit, nunciare jussit, ac gratulari de incremento nominis Tui ac unà reipublicæ medicæ.

Sed Helmstadium commodum revertor. In auditorio medicorum tantoperè celebratas partium corporis ad vivum depictas effigies penitius excussi permultumq; in iis desideravi. Rudi omnes penicillo delineatæ erant ut partes accuratè distingvere vix liceret præcipuè

minutiores, ſive eminus ſive cominus adſpicerés. Omnes ex integro homine pedibus duntaxat mutilato deſumtæ erant, atq; uti olim ipſe ſuſpicabaris, anterior ſolum facies oſtendebatur, poſterior nuspiam : pauciſſimæ quoq; partes è corpore extractæ cernebantur. Deſiderabam inſuper totam capitis Anatomem, ſenſuumq; organorum omnium: muſculi itidem colli, dorſi, lumborum pedum deficiebant, neq; partes genitales muliebres uspiam comparebant, adeò ut maximè imperfectum hoc opus mihi non ſinè cauſa videretur uti ex dictis ſatis ſuperque liquet. Optarem itaq; hisce meis contueri oculis Auguſtam Tuæ Excercitat. Anatomen, tam qua vivas, quam qua æri inciſas icones, ut verè cognoſcerem, quantum diſtent æra lupinis : neq; enim contemplatio harum figurarum animum novitatis cupidum exſaturare potuit. Verum facilius eſt, hæc optare quam ſperare, quis novit enim, an hæc unquam ſit reditura dies, quâ præſens denuò Hafniæ Clariſſimorum Virorum colloquio fruar, quos abſens in oculis & animo fero.

De Statu hujus Academiæ hoc tempore nihil diſſerere queo, qui heſterno duntaxat die hic loci appulerim. Quamobrem, cum nihil præte-

præterea adjiciendum obveniat, Te divinæ protectioni ſeriò commendo Deum Ter O.M. calidis ſuſpiriis precatus, ut plurimos annos termino vitæ tuæ adnumeret Teq; cum univerſa familia ab omnibus malis quam diutiſſimè præſtet incolumem. Vale feliciſſimè & me ut ſoles, ſemper amare perge. Wittebergæ 15. Junii 1652.

T. Cl. Exc. ad aras
devot.
Michäel Lyſerus.

EPISTOLA XXVI.

De valetudine ſua, & itinere.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

CL. SALMASIUS S.P.

IN eo eram ut ad te ſcriberem, Vir ſumme, cum tuum libtum de Cruce ſed ſine litteris, reddidit mihi Studioſus Danus. Pro eo gratias tibi ſummas habeo, & ago, quando referam neſcio. Nam ex quo huc redii, nihil aliud fermè curavi niſi valetudinem de poſteritatis ſtudio valde ſecurus. Quod non maturius ad te ſcripſerim ſcito non unam cauſam feciſſe, quæ totidem ſint mihi excuſati-

ones apud te. Primum, valetudo impediit quæ manus libertatem adimebat, sæpius chiragra recurrente, ac debilitate præterea in ea permanente, quam morbus Chronicus in Suecia contractus fecerat. Præterea querebam occasionem aliquam tutam & commodam ad te scribendi, ubi manui sanitas rediit. Utcunq; excusatus esse velim, fateor tamen me in culpa esse, nec ea deprecor, non ut propterea agnoscam me immemorem vivere omnium officiorum atq; etiam beneficiorum quæ in me contulisti. Post omnia si officio defui, malim pigritiam meam accuses, quā de meo erga te animo dubites. Scis qualis semper fuerim, ac qualem esse Tibi, præsens cum Hafniæ essem, ostendi. Mutatum non esse ab eo tempore scire etiam debes. Quantum sane humanitati tuæ debeam possum magis profiteri quam gratiam referre. Sed gratum videri posse qui tantum meminit, non te latet. Revocor iterum in Sueciam per Reginæ litteras, quibus urget, ut iter maturem seu potius præcipitem, sed multas habeo causas non parendi. Aer Suecicus inprimis deterret cui assuefieri non potui, & quem corpusculi mei temperamento accommodum non esse experientia didici. Si similis esset vestro, non dubitarem quo vocat,

cat, incomparabilis illa Regina, protinus ire. Præterea Suecica ingenia non placent & Danica longe magis arrident ſive eruditionem ſpectes ſive genium ipſum ad litteras & quicquid politos homines facit propenſum. Scripſi ad Regem ante aliquot menſes, & miſi librum quem gratum illi fore ſperavi. Utinam poſſem aliqua in re oſtendere quantum obligatus ſim Sereniſſimæ ejus Majeſtati, id nunquam ceſſabo per prædicare ac hactenus laudibus quas potui & quas debui ad cœlum usq; apud omnes extuli comitatem qua me excepit. Nec id etiam tacui apud Reginam. Scripſi etiam ad illuſtriſſimum Gerſtorpium & miſi Epictetum meum quem me miſſurum te præſente promiſeram. Velim ſcire an rem ipſi gratam fecerim, & an litteras meas cum libro receperit. Fratri tuo viro clariſſimo plurimam à me velim ſalutem dicas. Quantum de me ſit bene meritus, ſcio, & libens omni occaſione teſtabor. Vale Vir præſtantiſſime & me tibi devinctiſſimum pro tuis in me plurimis & ſummis meritis, amare perge. Leidæ 11. Julii cIↃ IↃc LII.

EPISTOLA XXVII.

De morte Heurnij & morbo Heinſij.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

ADOLFUS VORSTIUS. S. D.

QUod tuos, Vir Excellentiſſime, de Cruce Chriſti, Lacteisq; Thoracis venis, accuratiſſimos commentarios, nuper typis evulgatos, ad me transmiſeris, feciſti id tu pro vetere tuo in me affectu, & ego, qui tuam hîc agnoſco humanitatem, ſingulari eosdem excepi cum voluptate, maximasq; eo nomine gratias tibi ago. Admiror indies magis magisq; præclari ingenii tui fæcunditatem, quam tot egregiis hactenus ſcriptis ſeculo erudito approbaſti. Medicum te oſtendis, nec minus tamen literaturæ omnis & antiquitatis ſcientiſſimum. Faxit vitæ noſtræ arbiter Deus, ut Neſtoris attingas annos, quo porrò de literis ipſaq; inprimis Anatome benè mereri poſſis, in præſentis ac futuri ævi commodum. Gaudeo ex animo corporis humani abdita à perſpicaciſſimis ingeniis, oculis propemodum Lynceis erui quotidie ac illuſtrari, quo in ſtadio, tu, cum Clariſſimo noſtro Jo. van Horne, palmam jam cæteris ferè præripis omnibus. Par ſanè fuit induſtria veſtra in inveni-

endo

endo ductu illo novo Thoracis chylifero; invento, me Hercules non contemnendo. Incidimus in ea tempora, quibus scientiæ omnes maximum cepere incrementum capiuntq; quod cæteris infelicitatibus, quibuscum nunc conflictamur, opponendum, in miseriæ nostræ solatium. Interim dum Angli, imminentes nobis, sollicitos nos habent ac reddunt suspensos, dum Gallia turbata nihil opis pollicetur aut præstare potest, abdamus nos in Bibliothecam nostram & Deo ac Musis vacemus. Fratrem tuum Erasmum, verè ἐγκώμιον, ac delicium omnium, in Gallia etiamnum obhærere intelligo; quem vobis ac reip. literariæ incolumem velit servetq; D. O. M. Vivo ego & valeo utcunq; cum meis, tranquillitatis unicè amans, sed quæ vera ac solida non nisi in cælis obtinget. Academiæ nostræ Rectoratus, quo in præsens fungor, multas mihi hactenus creavit molestias. Sed dabit iis finem sex mensium, quod restat, spatium. Obiit diem suum ante triduum Clarissimus Vir & Collega, Otto Heurnius, senio morboq; diuturno confectus. Celeberrimo Heinsio, quod dolendum, jam ab aliquo tempore ἡ γνώμη νοσεῖ; quo malo quid miserius?

Ita ingeniis etiam fatales ſunt periodi ac occubitus. Omitto triſtia hæc, Vir amiciſſime, & lætiora in futurum augurans, tibi tuisque proſpera omnia animitus voveo, Vale ac ſalve à Vorſtio verè ac in perpetuum tuo. Raptim Lugduni Batavorum Anno cIↃ IↃc LII. XXVII. Julii.

EPISTOLA XXVIII.

De Lacteis judicium.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

CLariſſimus Scavenius, Soloduri me ægri cauſa verſante, domoq; abſente, hic appulit. Gratiſſimas tamen tuas, cum elegantiſſimo de Lacteis Thoracicis tractatu, miſerant mihi domeſtici. Quorum nomine plurimum me tibi debere profiteor hiſce pàlam. Tum quod paternam amicitiam tam ſtrenuæ conſervas, tum quod ſcriptis tuis me donare pergis. Elegantia ſane ſunt, & digna quæ ſtudioſe excutiantur. Id tamen mihi notandum ab aliquo tempore propoſui, in pluribus talibus ἀμφισβητεῖν quidem licere, imo quandoque neceſſum eſſe: dum autem ῥιζώσεως καὶ διοικήσεως certi, ἐπέχειν tutius, quam præcipiti concluſione, brevi alia commutandum ſen-

ten-

tentia, determinare. Scavenium vero noſtrum quartanæ febris inſultus aliquantiſper apud nos tenuere. Nunc iter diebus ἀπυρέτοις ingreſſus (bene favente Numine! ex meo voto) Galliam verſus tendit. Vale Vir Clariſſime noſtramq; neceſſitudinem porro perge excolere iſto affectu: nec ego, quanquam diverſis peregrinationibus ad vicinos Magnates, aliosq;, plurimum diſtrictus, unquam deero officio. Salve iterum à ſalutatis, meoq; nomine reſaluta omnes qui mei dignantur meminiſſe. Baſilea a. d. IV. Non. IIXbris Anno ↀIↃ IↃC LII.

Tuus ex animo

Jo. Caſp. Bauhinus.

EPISTOLA XXIX.

De Sectionibus Anatomicis.

MICHAELI LYSERO. Hafniam.

THOMAS BARTHOLINUS, S. P. D.

QUod interiora hominis viſcera & quidquid elegantiſſima iſta fabrica ambitu ſuo complectitur, artificioſis ſectionibus non ſemel mecum denudaveris, exactamq; cultri Anatomici habueris rationem, omnem laudem

dem meretur & applauſum, mi LYSERE. Erunt forſan quibus præſens opuſculi Tui inſtitutum non ſis probaturus, in quo artis noſtræ arcana & ſecandi dexteritatem ſolis artificibus relinquendam plena manu eliminas. Magna ſapientiæ myſteria diſcipulos docuit Pythagoras, ſed ea in vulgus efferri nunquam æquo animo patiebatur, unde Hipparchum Pythagoræum, quod dogmata Pythagoræ explicatius tradidiſſet, accuſatum Scholaq; ejectum accepimus. Hippocratis noſtri jusjurandum plenâ authoritate ſilere jubet, & pro arcanis habere, quæ inter curandum, aut in communi hominum vitâ, vel viſuntur, vel audiuntur, quod in Japide Medico laudat Maro qui poteſtates herbarum uſumq; medendi ſcire maluit,

& mutas agitare inglorius artes.

Tu tamen rupto ſilentio vulgaſti, quæ pro arte ſecreta hactenus æſtimavimus, per manus tradendâ, quæq; variis vigiliis, peregrinationibus, & exercitationibus adquirimus, ut ſoli poſſideamus. Intercidit ſcientiæ artisq; noſtræ ratio, quia ad plures derivatur, nobisq; ſcire relinquitur nihil, quia in artis participationem admittuntur omnes. Sic liberali tua evenict culpa, ut Proſectionis artificium pro derelicto habitum, apud vulgus magis deſeratur, ſpernaturq;

turq;, ſiquidem expedita manu didicerint diſſecare, quod contumeliis mordaciq; lingua ſæpe dilacerarunt: Omnem deniq; Anatomicorum exiſtimationem partamq; laboribus famam nunquam à te ſperata propalatæ artis injuria eludet. Quis Patavium, Muſarum Apollinisq; ſedem ad Veſalios, Aquapendentes, Veslingios operoſo per Alpes invios itinere contendet? Vacua erit Baſileæ Bauhini & Plateri cathedra. Nemo Lutetiæ Laurentium, Riolanum ſenem Anatomica demonſtrantem accedet. Periculoſum mare & hoſtilibus navibus onuſtum nemo trajiciet, ut in Anglia Harvejum videat. Nec ad nos Hafniam conſueta meliorum ingenia Anatomici ſtudii cauſa amplius properabunt, ſiquidem ſecretis noſtris operationibus tuo libro incluſis ſine ulteriori opera aut alieno cultro nudam omnibus Anatomen communem feciſſe videris atq; expoſuiſſe. Sed ſalva res eſt. Ne rapiaris transvorſum à propoſito, per fidem tuam meamq; rogo. Præclarus iſte ingenii tui laborisq; fœtus tanto minus erit exponendus, quod ad conceptionem illius partumq; auctor tibi fuerim non poſtremus. Fuêre alii, qui ad ἐγχείρησιν Anatomicam operam hactenus contulerunt non ingloriam. Taceo Galenum, quem Anatomes infantia

tia in Administrationibus,& nimia in dicendo ubertas excusat, nec Columbum aliosq; advocabo, qui plura subinde promiserunt, quàm opere præstiterunt. Riolanus certè seculo nostro per susceptum hoc argumentum tàm feliciter & doctè decurrit, ut solus sufficere posset, si vel singula sparsim attigisset, vel junctim singula. Ex aliis corporis humani Prosectoribus spicilegia colligimus,neutiquam messem copiosam, nam qui Administrationem Anatomicam uno volumine sit complexus,omnemq; apparatum ad Anatomen jam adultam sine ambagibus necessarium & sufficientem breviter contulerit, præter Te hactenus extitit nemo. Major inde & illustrior laboris tui gloria, nominisq; æterni à majoribus Clarissimis ad te derivati maximum incrementum. Rectè infra ingenium reputasti, cum invidia luctari, & malos aliorum mores imitari, qui qualemcunq; dexteræ manus ductum angulis reservant, vel umbram spectantis metuentes. Miseri mortales, qui naturam ejusq; artificium abdunt, ubiq; diligentia patens, & amplissimos solis radios nubecula obfuscant. Non hic Cereris sacrum vulgasti, ut iisdem trabibus excludaris aut facilis denegetur faselus. Exulet Harpocrates, Theatrisq; nostris ejiciatur, ut

can-

candidè agamus & apertè, quemadmodum nobiſcum ſine larva Natura. Tales in me mores noviſti, & preſſius exprimis ut amicus. Nihil in ἐγχειρήσει volui occultum, quod vel publico auditorum ſpectatorumq; commodo, vel tibi partitis tot annorum inter nos laboribus in viderim. Nunquam profectò melius aut de me aut de publico, cui natus es, mereri potuiſti, quam Methodi hujus Anatomicæ editione, quâ quidquid ſeu apùd nos videris, ſeu ipſe pro ingenii felicitate crebris exercitationibus inveneris, ſeu paſſim apud melioris commatis auctores collegeris, bona fide & ſubacto judicio digeſſiſti. Egregiè autem ſpe ſua excident, qui lecto eleganti hoc opere, ſpretâ vivorum operâ, ad Anatomes culmen, ſine ἀυτοψίᾳ proprioq; manus uſu adſpiraverint. Vitruvium non ſimplici vice inſpexi, nec ignotus Vegetius, Palladiumq; iterum iterumq; evolvi: non tamen aut ædificiorum ſtructuram auſus ſum aggredi, aut aciem ordinare, aut terram aratro invertere. Ita quisquis ex mappis hydragogicis nauta emerſerit, ventis ſcopulisq; debebit ludibrium. Si me audiunt, feliciter in Anatome verſabuntur, ſi ductum eruditiſſimi Tui libelli ſeqvuti, vel alios ſecantes vide-

viderint, vel ipſi frequentiori ſtudio lecta probaverint. Sic utriq; precium eſtis laturi nunquam pœnitendum, illi lectæ operæ, Tu conſcriptæ. Ego verò publico gratulor de tantâ operis Anatomici acceſſione, & Academiæ noſtræ mihiq; gaudeo, quod cultrum Anatomicum orbi Literato profuturum apud nos & confeceris primus & expoliveris. Surgenti famæ applaudo, & ut plures Tui ſimiles ex palæſtrâ noſtrâ, velut ex equo Trojano, emergant quotidiè, votorum meorum ſumma erit. Deus Te porrò in publicum orbis patriæq; Tuæ ornamentum & commodum ſuperſtitem jubeat, annosq; Anatomicis cœptis ſuperaddat. Vale mi Lyſere, & Bartholinum ſemper tuum, ſemper ama. Scripſi Hafniæ prid. Non. April. An. Ch. cIↃ IↃc LIII.

Impreſs. Hafniæ 1653.

EPISTOLA XXX.

De Lymphaticis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

PErtulit Clariſſimus Wormius Tuas ad me litteras, tuumq; ſimul Vaſorum Lymphaticorum nuperum inventum. Viſum illud jam fuerat meis Collegis, qui iccirco me hortati

ſunt

ſunt in illud ut inquirerem. Ego, cum recepiſſem Tractatum avidè perlegi, & miratus ſum hactenus latuiſſe oculatiſſimos. Deſii tamen ex parte mirari, cum ſcribas rarò oculis ea vaſa patêre, niſi in valde gracilibus aut emaciatis canibus. Itaq; ea in reliquo animalium genere, quod pinguedine magis luxuriat, fruſtra inquiſiveris. Si Tu, mi Bartholine, deſperas de eorum in humano corpore oſtenſione, quid de nobis cenſes futurum, quibus ob ſubjectorum inopiam, ferè ſpes decollavit, in canibus ea perveſtigandi. Dabo tamen operam, primo quoq; tempore, præſertim cum nunc adſit oculatus teſtis Wormius, & tunc meum perſcribam judicium. Pro reliquis munuſculis Tibi, Excellentiſſimo Wormio, Clariſſimoq; Lyſero gratias habeo ſummas. Audio in procinctu eſſe, jamq; ære incidi Auguſtam Tuam Anatomen, avidè exſpectabo unam atq; alteram figuram, ut ex ungue Leonem diſcam. Quæ ego promiſi, ſunt quædam ab aliis non animadverſa, quod ſciam, ſed vereor ne lucem ſint aſpectura, ſiquidem calamitoſis hiſce bellonæ rumoribus obruatur Patria noſtra. Qui, ſi ut ſpero, ceſſaverint, atq; tum ſumptus meas non ſuperaverint facultates, (deſtituimur namq; Augu-

ſto Patrono, imò aliis quoq; quibuscunq; Mœcenatibus) ſpecimen illarum obſ. edam in publicum. Acceſſit ad nos Doctiſſimus Wormius circa ipſa Canicularium feriarum initia; quibus ſoleo Ego domo & urbe diſcedere, domumq; vacuam relinquere, & eam ob cauſam non potui hoſpitio meo eundem excipere. Si tamen exactis feriis idem ipſi animus ſit, dabo omnia quæ à me fieri poſſunt noſtræ amicitiæ, Clariſſimiq; Juvenis meritis. Cauſas ſilentii nunc non adferam, quæ planè nullæ non fuerunt, minus tamen graves quam quæ pro Te militant. Reſarciendum eſt frequentiori calamo, quicquid damni inde reſultavit nec deerit nunc continuò per Clariſſimum Wormium occaſio. Vale Vir Eruditiſſime cum uxore liberisq; jucundiſſimis. Et plurimum ſalve.

à Tui Nominis Virtutumq; ſtudioſiſs.

Jo. van Horne.

Lugd. Batav. 1653. 8. Julii.

EPISTOLA XXXI.

De Riolani Opuſculis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

POſtremam tuam accepi, eamq; ſuaviſſimam Epiſtolam cum elegantiſſimo tuo munere,

dubia

dubia Anatomica intelligo quæ nomini meo vix inter meos noto inscripta prodire in lucem voluisti: ideoq; tum pro libro tuo, tum pro bono illo in me animo, fidoq; & constanti amore, singulares Tibi gratias ago, quas etiam aliquando referam ἐν τῷ καιρῷ. Riolanus noster triplicem in Te tractatum prælo subjecit: primum de *Lacteis Thoracicis*: cujus Tui Tractatus aliquot exemplaria Londino allata sunt ante tres menses: Hafnienſis editionis nullum hic comparuit: secundum, de *Vasis Lymphaticis*, cujus exemplar ad Riolanum misisti: tertius erit, novum *Examen Anatomiæ Tuæ Reformatæ*. De *Dubiis* tuis *Anatomicis* ἐπέχω, incertus plane, super illo novo scripto quid sit consilii capturus. Sub finem istarum Animadversionum, Tractatus Tui recudentur, ut in uno eodemq; libro utrumq; prostet ac adsit magno Lectorum commodo. Isthæc editio Riolani lentè admodum procedit, quia desunt operæ Typographicæ, & duo tantum folia adhuc sunt excusa: ubi ad umbilicum perducta fuerint, statim Tibi mittenda optimo Viro Dn Neandro committam. Plura scribere vetat dolor ingens & lacrymæ de obitu Viri optimi *Gabrielis Naudæi* affatim erumpentes, qui sum-

mo bonorum omnium mœrore & luctu, è Suecia redux priusquam ad nos pervenisset, per continuam febrem malignam in itinere subsistere coactus, mortalitatem deposuit in ea Urbe Picardiæ nostræ quæ Abbatis-Villa nuncupatur, die Martis, 29. Julii, præsentis anni. Cl. Virum D. Olaum Wormium saluto, cui offeres Epistolam Viri optimi *Petri Gassendi*, qui Tibi quoq; multam salutem nunciat. Vale, Vir Clarissime, meq; amicum meum intimum Naudæum lugentem, & ubertim lacrymas fundentem, tui quoq; amantissimum redama, & valetudinem tuam cura diligenter. Parisiis 12. Sept. 1653.

Tuus usq; ad aras
Guido Patinus, Bellovacus, Doct. Med. Parisiensis.

EPISTOLA XXXII.

De ejusdem Riolani disfidiis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

ECce iterum scribo, Vir Clarissime, ut Tibi gratias agam de libello Tuo nuper mihi dicato, quem statim ostendi nostro *Riolano*, ad cujus examen illico se accinxit: Responsum

ejus

ejus excuditur, quod 4. constabit partibus, post quos ad finem tres tui subjungentur libelli, ut unicuiq; de tanta controversia sciendi & judicandi cupido, ad manus esse possint. Meum fuerat hocce consilium initio Editionis, quod tunc non probabatur, sed tandem vici & persuasi.

De dissidio illo Anatomico inter Te & *Riolanum* nostrum, i. inter duos amicos ex illis controversiis suborto, serio doleo: sed quid facerem? tantos fluctus compescere non valeo: vincat veritas, de qua posteri candidè judicabunt, si in tantis difficultatibus non desit requisita & adæquata eruditio, quam certa & oculata experientia confirmaverit. Hic habeo præsentem in Musæo meo dum hæc scribo R. P. Ludovicum Jacob, Carmelitanum, qui Te plurimum salutat: hîc ambo lugemus communem amicum, qui summo nostro dolore abiit ad plures, Cl. Virum D. Gabr. Naudæum intelligo. O dura fata! ô aspera fata! Tu verò vale, & me, quod facis, amare perge, tuamq; valetudinem cura diligenter inter tot intricatas scriptiones, & eruditas controversias, quæ plurimum laboris absumunt, & multum tempus requirunt. Suavissimam tuam Uxorem, Dnos fratres tuos & consobrinos,

præfertim D. Olaum Wormium omni ſtudio & benevolentia ſaluto. Pariſ. 26. Sept. 1653.

Tuus ex animo
Guido Patinus, Bellovacus, Doct. Med. Pariſ.

EPISTOLA XXXIII.

De gelatina ſeri.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

ULtimas meas, quas ad Te Vir Excellentiſſime Patrone ac Promotor maxime, Lipſiâ transmiſi, quin acceperis nullum equidem reſtat dubium; ſed quoniam in illis recepi, me ſimul ac Patavium appuliſſem, ſubitò aliquas ad Te deſtinaturum, promiſſorum haud immemor, has exarare volui, quanquam prolixe vererer, ne negotia Tua graviora ac Muſas ſeveriores interpellarem, attamen Tua Eximia ſæpius mihi declarata facilitas, facilem veniam confidentiæ meæ obferre videtur, qua confiſus non poſſum non plura abs Te exorare, & ut in dubio, quod jam annectam mihi ſubvenias, vehementer rogare. Accidit ut elapsâ hebdomade Exc. Frigimelica dum urinarum doctrinam in noſocomio explicaret, ad ſtabilien-

dam

dam suam sententiam, qua urina tertiæ coctionis excrementum esset, experimentum quoddam adduceret ac publicè ostenderet, serum in coctione secunda hepatis genitum (liceat ex opinione Veterum loqui) non purum esse excrementum, sed plurimas partes heterogeneas & adhuc utilissimas contineri, quod ex dicto experimento patet, idq; tale est. E corpore hominis probè constituti extrahatur aliqua portio sangvinis, eaq; reponatur ut more solito concrescat & serum à crassioribus partibus separetur. Serum hoc putatur nihil aliud esse, quam aquosa quædam materia quæ perveficam excernitur: sed si ad examen ignis revocatur, longè aliud innotescit: si etenim serum hoc imponatur carbonibus ut aquosum exhalet, remanet in fundo crassa quædam materia, quæ haud quidquam aliud quam concretum Chylum referre videtur, & est instar gelatinæ aut juris ex pedibus animalium coagulati. Quæritur ergò quæ, & qualis & unde imò cujus usus sit illa materia? Lubet hic, quod mihi in mentem venit, proponere & Tuo judicio exponere. Si circularem sangvinis motum, ac chyli immediatum ad cor transitum in auxilium accessivero, arbitror aliquid lucis rei huic obscuræ adferri posse. Quando enim

chylus ad cor pervenit non diu ibi moratur, sed continuo cordis pulsu iterum ejicitur, unde impossibile est, penitus in sangvinem mutari. itaq; dum ad alterum cordis sinum per pulmones redit, nec ibi moras trahit ac prorsus perficitur (nam coctio non fit in instanti) sed aliqua pars ejus cruda adhuc circulatione demum perficienda cum arterioso sangvine eliminatur. Atq; ita materiam hanc chyli portionem esse reor; quæ in primo transitu per cor perfectè excocta non est & dicitur cruda non absolutè sed respectu sangvinis absoluti & perfecti. Verum hic dubium movet Backius in tr. de corde qui non rubedinem sed ad alendum aptitudinem constituere sangvinem asserit: unde quis diceret, & hanc materiam esse ad alendum idoneam, neq; chylum crudum vocandam, præcipuè cum partes albicantes similè nutrimentum, album sc. non rubrum, requirant, & posset dici coctio illa supervacanea, cum in rubrum sangvinem chylus totus mutaretur, qui postmodum in partibus corporis dealbandus denuò foret. Unde me satis extricare nequeo. Et videtur præterea in fœminis hanc esse posse materiam lactis quod candore ei respondet. Sed sufficiat hæc tetigisse extremis digitis; cujus vel approbationem

vel

vel reprobationem à limato Tuo judicio exſpecto. Jam ne in leges epiſtolæ injurius ſim alia quædam brevibus annecto. Vaſa Tua lymphatica Cl. Rhodio reddidi, qui ea propter, quæ Viri eſt humanitas, mirificè me proſecutus eſt: oſtendi itidem Iconem Tuam in Anatome Reformata, quæ per literas transmiſſa à Te, aliquo malo fato interierat, quæ ipſi perplacuit. Jam typis exſcribentur Vaſa Tua lymphatica unà cum Vaſis Lacteis, tàm Tuis, quam Aſellii & Pecqueti, quod per Tuum Fratrem jam Tibi innotuiſſe cenſeo. Ulterius nihil adjicio, Tibi fauſtiſſima quæq; ac vitam longævam à Summo Numine expeto ac feliciſſimè Te valere jubeo. Dabam Patavii Anno 1653. d. 29. Decemb.

T. Clariſs. Excell. ad aras
Devot.
Michaël Lyſerus.

EPISTOLA XXXIV.

De ductibus ſeroſis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

SCribendi ad tuam claritatem, Vir celeberrime, occaſionem præbuit novum quod-

dam ſcriptum in Sueciâ editum. Quod quoniam ad Lymphatica tua vaſa illuſtranda aliquid, ni fallor, conferre poſſe videbatur, & dubitarem, an ad veſtras adhuc pervenerat manus quædam heic tranſcribenda duxi:

I. Ductus hepatici aquoſi Originem ducunt ab hepate, Hepar egredientes tam inferius, quam ſuperius venæ, portæ & ductus cholidoci latera prorepunt, deorſumq; tendunt ſub venâ cavâ prope pancreas, carnosum, duodeno & ventriculo adnexum. Perplurimi horum ductuum, ac interdum omnes glandulam quandam ingrediuntur, ramulisdiſperſis, atq; deinde cum reliquis eandem prætervectis in veſiculam chyli, ſitam inter renes, ſub venâ cavâ & arteriâ aortâ ſeſe inſinuant. Unus horum ductuum, imo aliquoties plures, præcipuè in felibus diviſis ramulis veſicam fellis ab extra integunt, atq; junctim cum reliquis hepaticis eodem itinere deorſum tendunt. Maximè quoq; notabile, quod mihi ter quaterq; videre contigit, paulo ſupra chyli veſiculam, ſub glandula hac aquoſa manifeſtam anaſtomoſin hoſce inter ductus hepaticos, & duas vel tres lactearum venas dari. Facta etenim ad chyli veſiculam ligatura, humor per ductus hepaticos deſcendens, à ligamine reverberatus, ſurſum

ſum per lacteas usq; ad pancreas glanduloſum aſcendebat, iterumq; laxato ligamine deorſum fluctuans veſiculam chyloſam implebat. In pluribus & fere omnibus diſſectis animalibus tales ductus hepaticos, duo tres quatuor & plures interdum, mox ab hepatis lobo majore, qui venam cavam ſuſcipit, atque eidem ut reni ſiniſtro adnectitur, egreſſos atque immediatè illam cingentes quaſi in cavam hiarens reperi, illas venas eſſe lacteas ſum opinatus. Verum frequenti demum ſectione edoctus manifeſtè illos veſiculæ chyli inſertos, eidem humorem aquoſum infundentes conſpexi, Glandula autem prædicta, venæ portæ ſubſternitur, ut & in multis eidem adhæret, quæ plerumq; una eſt reperta, aliquando duæ aut tres, rarius nullæ. Hæc omnes ferè ductus hepaticos eodem modo ut glandula magna ſive Pancreas glanduloſum in meſenterii medio, venas lacteas ab inteſtinis recipit, atque ad veſiculam transmittit, ſe penetrare ſinit, & humorem illabentem manifeſtiſſimè inbibens graviſſimè intumeſcit, Digitis compreſſa illum deorſum effundit. *Modus ſectionis.* Abdomine canis aperto ablatoq; vel ſupra thoracem reflexo omento ligaturam inter ventriculum & hepar faciat, in meſente-

rii

rii parte hepar ventriculo ac inteſtinis connectente & intra ſe venam portæ, cum ductu cholidocho continente ac ducente, mox videbis à jecore ad ligaturam ductus aquoſo humore intumeſcentes qui poſt horam unam vel alteram flaveſcunt, liberatis deinde inteſtinis à lobo hepatis infimo Reni dextro adnexo, & illis ad ſiniſtrum reflexis ſeparet inteſtinum cholon à lumborum vertebris, & venas lacteas cum vena portæ immediatè ſub pancreate glanduloſo; in ea meſenterii parte, quæ inteſtina dorſo alligat, currentes liget, poſteà thoracem aggrediatur, ſternoq; avulſo, ductum chyliferum, prius evacuata veſicula conſtringat, eodemve modo alteram extremitatem in abdomine ano proſpicientem vinciet, ne vaſa ſeroſa eo tendentia veſiculam impleant, quamvis interdum ea ligatura non opus ſit. Solet enim plerumq; ille humor ſeroſus in vaſis glandularum reſtagnare. Aliam quoq; in meſenterio prope veſiculam chyloſam, faciet ligaturam & conſpiciet, laxata prima inter hepar & ventriculum injecta, glandulam illam ductus hos recipientem, & illos ipſos, usque ligaturam hanc inferiorem, humore gravatos, poſteà aperto inferiore hoc ligamine tota veſicula eodem implebitur humore,

re, etsi ligamen ductum chyliferum constringens, paulò supra vesiculam in thorace solveris vesiculam evacuatam, & humorem venam axillarem, ipsumque cor, (ligatis prius venis omnibus ad jugulum, dextroq; ejus ventriculo dissecto) ingressurum videbis. Postmodum, si vesiculam quoque chylo repletam intueri velis, illud astringenti tibi in thorace ad vesiculam filum, & laxanti, circa pancreas venarum lactearum ligamen, eveniet. Sic, alternatim apertis, contractisq; ligaturis humore aquoso & chyloso vesica implebitur.

II. Vasa glandularum seroſa. Hi canales in diversas corporis partes sese insinuant. Quæ enim ad jugulum inveniuntur ramulos substerno inter pinguedinem, & venas mediastino suffultas, spargunt, ut glandulam unam vel alteram, circa sterni principium ingressi conjunguntur, & unum, (aliquando duos,) constituunt tubulum, qui venæ axillari supravectus, ductus chyliferi conjunctione circa finem gaudet. Hic porro tubulus aliquando visus est, alium substantia similem, à costis dextris venæ axillari dextræ incumbentem admisisse. Illi autem seroſi ductus, qui cordis latus sinistrum occpant, rivulos pericardio,

ejusq;

ejusq; pinguedini, & Mediastino committunt, inde glandularum parvularum auxilio uniti arteriam aortam trajicientes ramulo ductui chylifero inhiant. Alii vero qui multa ramulorum copia inter musculos transversos, & obliquos abdominis propullulant, plerumq; sine glandula visi, duorum fere digitorum transversorum spatio, à vena cava uniuntur, & lumbarium vasorum consortio gaudentes vesiculam chylosam ingrediuntur. Situm obtinent inter Peritonæi tunicas. Qui deinde tubuli sero pleni venas crurales comitantes vesiculam chylosam sub vena cava, osculis excipiunt, glandularum duarum vel trium substantiam, inguina occupantium tam extra quam intra amplexantur, horum ductuum magnitudinem reliquorum antecessisse in omnium animalium Anatome comperi.

Deniq; vasa seroſa deorsum sub intestino colon progredientia, oriri videntur inter os sacrum & intestinum rectum, ramulis aliquibus inter pinguedinem sparsis qui paulo infra divaricationem venæ cavæ in crurales, juncti, supra illarum superficiem procedunt, atq; tandem cum reliquis seroſis vasis vesiculam adoriuntur. Illud autem seroſum vas, quod in vitulis & avibus sub œsophago conspicitur, oritur

tur multis radicibus à glandula quadam magna & oblonga, quam natura œsophagi lateribus prope diaphragma appositit, inde sursum recta fertur, & sese osculis ductui chylifero conjungit.

Hæc sunt Vir Clarissime quæ transcribere constitueram. Sunt in eo adhuc scriptulo multa lectu digna, sed ea descripsisse omnia commodum non fuit: hæc itaq; cum adjunctis iconibus mitto, quæ si tuæ claritati placuerint mihi gratulor. Omnia autem ea accurate ipse Autor, qui hic degit, mihi valde familiaris, Hornio mihiq; demonstravit. His Vale Vir clarissime cum tota familia meq; tuum cultorem amare perge. Lugduni Batavorum 3. Novembris 1653.

W. Worm Olai F.

EPISTOLA XXXV.

De morte Salmasij.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

PRidem est, Vir excellentissime, cum ex Batavia redux Flensburgi agere cœpi, & communis protegi umbone Principis. Quæ verò hic operæ præstandæ mihi essent, id memini antehac perscribere, cum Rostochii adhuc

huc essem. Et Deo quidem satis gratias scio me hic operas sumere, dum juventutem doceo bonas literas: sed poteram tamen multò mihi jucundiores præstare. Parum scilicet hic mihi temporis relictum est, quo liceat τῷ ἑαυτῷ (sic Græcos solere non ignoras) βελτίω καθίστασθαι τῷ διάνοιαν. Faciam tamen hoc quoque mearum rerum statu, quantum possum, nec desistam ad elegantiorem illam quam tu tuique similes jam consecuti estis, literaturam subinde oculos reflectere. Ex quo hunc locum attigi, accepi à Reinesio nostro, Viro clarissimo, literas, quibus inter alia tibi & Wilhelm. Langio gratias agit singulares, quod veterum Inscriptionum quæ apud vos erant, ipsi copiam feciſtis. Et nonnulla quidem ipsius verba in literis hæc sunt: Constabit etiam per candorem meum publicè, quisquam & qualem exhibuerit. Scribit quoq;, se quasi ter mille jam collectas habere. Tu, Vir excellentissime, si amplius juvare poteris ipsius conatus, facies, scio, tuâ sponte: atq; ut facere ne graveris, communi literatorum homine, ipse unà cum Reinesio te rogo atq; obtestor. Misi nuper ad ipsum inscriptionem quandam Græcam, quam Smyrnæ ex lapide descripsisse cogno-

cognoveram Ismaëlem Bullialdum. De Magni Salmasii ulterioribus juvandæ rei literariæ conatibus jam eheu conclamatum est. Et mea quidem hæc infelicitas fuit, quod Virum ne videre quidem contigit cum in Batavia essem. Scilicet vix Leidam deveneram, cum de ejus excessu nunciatum est. Speravi autem, Virum summum etiam post excessum suum publice profuturum, illis puta inexhausti ingenii monumentis quæ parata jam haberet, necdum divulgasset. Sed ea spes nuper penè mihi est adempta, cum audirem, ipsum morientem suis dedisse in mandatis, ut sua manu exarata exurant, nec ea in lucem proferant. Meas de Hebraismis N. T. φρυνίδας receperunt Elzevirii Lugdunenses se suis typis expressuros. Quamobrem & αὐτόγραφον meum illis reliqui. Non tamen constat, utrum operarum jam fecerint initium, nec ne. Batavos cum Anglis habere pacem pactam nuperrimè huc pro certo est allatum, & nostri quoq; Principis rationem, uti par erat, esse habitam. Est igitur, cur de communi quiete vobiscum gaudeamus. Serenissimum Regem ajunt & has terras suâ præsentiâ brevi illustraturum: quod nostris hominibus erit planè exoptatum. Vale, Fautor &

Amice honoratissime, καὶ εὖ πράττε. Flensburgi, die XXIX. Januarii, Anno cIↃ IↃc LIV. qui ut tibi porrò feliciter decurrat, ex animo opto.

Tuæ excell. Cultor

Joh. Vorstius.

EPISTOLA XXXVI.

De Receptaculo Lacteo in Homine.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

INcepit sectionem Anatomicam Clarissimus van Horn, diversa omnino ab illa, quam sub tua institutione videram methodo, à dorsi enim musculis initium demonstrationis capiens proximè ad artus, postremoq; ad ventres perrexit, nec quid significatu dignum tota fere Anatome suppeditabat, præterquam, quod chyli receptaculum, quod in brutis semper comparet, in Homine inter glandulas à tua claritate inventas Professor van Horn nobis monstraverit (Monstrasse dico, Suecus enim ille, Amicus meus satis familiaris primum in illud curiosa manu inquisivit, feliciq; studio invenit,) erat autem illud magnitudine articuli majoris digiti, primoq; die manifestissimo

ſtiſſime comparuit, ſequenti autem ne Lynceis quidem oculis apparuiſſet, ab ipſo tamen Sueco, qui præcedente die locum curiosè obſervaverat, tunc iterum detegebatur, immiſſo nempe Siphone, quo lac primo Receptaculo deinde ductui communicavit. Cum proximo internuntio, ſi Deo placuerit, totam deſcriptionem, cum accurata delineatione transmittam. Erat præterea muſculi cucullaris inſignis magnitudo, quamvis in homine minus Religioſo. In uſu muſculis aſſignando à tua claritate diſſentiebat; D. van Horn circa Muſculos ſerratos poſticos, quos noluit dilatationi thoracis, ob parvitatem, inſervire, ſed tantum Muſculis Sacrolumbo, & ſplenio pro ligamentis eſſe, 2 Muſculo Maſtoidi partes caput movendi negavit, ſed tantum firmitudinis ergo datos dixit, ut erectum ſervarent caput idemq; ei præſtarent, quod rudentes, malo in navi. Muſculum ſerratum anticum duabus ſuperioribus thoracis coſtis incumbentem quoq; vidimus. Ecce nihil præterea hæc nobis novi Anatome peperit. Opuſcula Riolani, quamvis de iis quotidie inquiram, nondum tamen habere potui. Tua autem unà cum Pecquetti & Sueci iſtius, ultimam jam Typographi manum evaſerunt,

tuo nomini à correctore inscripta, quæ heri, cum filio Consulis Otthoniani Christiano Johannis Kóllebrun, tuæ Claritati transmisi. Professor van Horn mira aviditate specimen Anatomiæ vestræ Augustæ exspectat. Uxor D. Sperlingii die 26. Januarii ad plures abiit. Plura in aliud tempus differo tuæ claritati felicia quævis æternum optans. Vale magne Vir, meq; ut soles ama. Dabam Lugduni Batavorum 2. Februarii 1654.

Tui studiosissimus

W. Worm Olai F.

EPISTOLA XXXVII.

De Receptaculo Lacteo Responsio.

WILHELMO WORMIO Leidam.

TUas recte non ita pridem, cum icone Receptaculi lactei in homine inventi accepi. Pro utraq; gratias ago, & unicum in votis habebo, ut in officio & amore tecum paria faciam. Elegans lactearum nostrarum augmentum perplacet. Et utinam his aliisq; augmentis inclarescere magis vellent nonnulli, quam obtrectatione famæ alterius, & inventi. Si recte conjicio in icone transmissa & à Cl. Rudbeckio delineata, videtur Lymphaticus qui-

quidam esse ramus, qui à receptaculo lacteo ad inferiora descendit, litera p. significatus, per quem aqua receptaculo ab inferioribus infunditur, lacteus enim esse nequit, quia nec usum haberet, nec eo usq; progrederetur. Quicquid sit, laudem diligentiæ author meretur. Mitto tibi centurias duas Historiarum anatomicarum nuperrime editas, quas æqui boniq; pro candore tuo consules. Misissem & reliquis Lycæi vestri Doctoribus, si Jansonio commodum fuisset. Adjunxi Bogdani Apologiam, quam me inscio & conscripsit & edidit, rogavitq; ut tibi cum salute transmitterem. Ego certe nunquam ne verbulo respondissem, satur enim jam famæ sperno contentiones, & sufficere mihi credo mentem recti conscium. Præterea non magnopere laborandum duco quis hujus vel illius inventi autor sit prior, sat est inventum esse, & ad publicam utilitatem conferre posse. Riolani autem opusculum avidius exspecto, in cujus judicio plus apud eruditos formidinis. Hisce vale amicissime. Wormi, & meo nomine saluta, quos salutare consuevisti, & si iconem receptaculi inventor mihi transmisit, & illum salvere jubebis cum prompta officiorum oblatione, Hafniæ X. Martii St. V. 1654.

T. T. Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XXXVIII.

De Vitrioli minera.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

HAfniam veſtram Regiam delatas meas, manu menteq; amica exceptas exſpectatiſſimæ Tuæ, omniq; ſuaviores Ambroſiâ internunciæ indicant. Gratulor mihi de fauſtiſſimo ſydere, & ſymbolismo tam amico, Fatis vota ſecundantibus. Regero hafce ſi non ſcriptionis dignitate, gratiarum actione tamen gravidas, quod poſt habitis indefeſſis lucubrationibus, & negotiis hoc otii amico conceſſeris, imo reipſa pronum mentis affectum conteſtatam vulueris; neq; enim levipendo transmiſſam ſub nomine Vitrioli mineram, quam cum examini ſubjeciſſem, neſcio qua ſingulari me affecerit voluptate, ſpemq; haud levem fecerit inſignis cujusdam tum in re Medica, tum in aliis inde redundaturi beneficii. Ignoſce Vir Clariſſime ubi pro genii mei modulo exquiſitius forſan & curioſius quam deceret in locum ejus natalitium, inventorem, & tempus inquiram, à quo innotuit; Examini ne ſubjecta ſit Metallurgico an Philoſophico? Ejusq; an copia comparari poſſit, & alia quæ forſan occurrunt ſcitu neceſſaria. Sine ſtrepitu &

ſub

b Harpocratico ſilentio hæc reſciſcere aveo; genuam meam poſtmodum hac de mine-
mentem & jamdum factam experienti-
n repromitto. De Collegio Naturæ-Curio-
rum enſchediasma, cui nomen nondum dedi
eum ab prægnantes ſatis rationes, quas ubi
lutas videro, pro Virili hanc provinciam co-
lornare haud gravabor. Expoſuiſſem
iſſem niſi mallem exactiſſimum Vir Excellen-
ſſime hac in re adjectum calculum, & *κεφ-*
ἀλαιον. Nundinas noſtras Francofurtanas hac
ce inviſere, & in Medica inquirere non licuit.
l. Michelii Profeſſoris Lipſienſis opus Her-
ıeticum quam primum prælum ſubire audie-
ɔ, aut exemplar ejus nactus fuero comparabo
: ſi cupis transmittam: Quantum audio erit
haretra omnigeno ſagittarum Medicarum
enere refertiſſima, & virum hunc addecens
ıbor. Quid Anatomica Tua? Nec enim du-
ito quin hyemale hocce tempus,

Cum Zephyro, primisq; Roſis & hirun-
ine prima Nomine Tuo digna ſuggerat. Per-
e in ſtadio hocce Vir Celeberrime Athletice
c fauſto pede perage.

Lapidum, Terrarum, aut qualiumcunq;
oſſilium collectanea procurabo Tuos in uſus.

EPISTOLA XXXVIII.

De Vitrioli minera.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

HAfniam veſtram Regiam delatas meas, manu menteq; amica exceptas exſpectatiſſimæ Tuæ, omniq; ſuaviores Ambroſiâ internunciæ indicant. Gratulor mihi de fauſtiſſimo ſydere, & ſymbolismo tam amico, Fatis vota ſecundantibus. Regero hafce ſi non ſcriptionis dignitate, gratiarum actione tamen gravidas, quod poſt habitis indefeſſis lucubrationibus, & negotiis hoc otii amico conceſſeris, imo reipſa pronum mentis affectum conteſtatam vulueris; neq; enim levipendo transmiſſam ſub nomine Vitrioli mineram, quam cum examini ſubjeciſſem, neſcio qua ſingulari me affecerit voluptate, ſpemq; haud levem fecerit inſignis cujusdam tum in re Medica, tum in aliis inde redundaturi beneficii. Ignoſce Vir Clariſſime ubi pro genii mei modulo exquiſitius forſan & curioſius quam deceret in locum ejus natalitium, inventorem, & tempus inquiram, à quo innotuit; Examini ne ſubjecta ſit Metallurgico an Philoſophico? Ejusq; an copia comparari poſſit, & alia quæ forſan occurrunt ſcitu neceſſaria. Sine ſtrepitu &

ſub

ſub Harpocratico ſilentio hæc reſciſcere aveo; ingenuam meam poſtmodum hac de minera mentem & jamdum factam experientiam repromitto, De Collegio Naturæ-Curioſorum enſchediasma, cui nomen nondum dedi meum ab prægnantes ſatis rationes, quas ubi dilutas videro pro Virili hanc provinciam coadornare haud gravabor. Expoſuiſſem eaſſem niſi mallem exactiſſimum Vir Excellentiſſime hac in re adjectum calculum, & *κεφάλαιον*. Nundinas noſtras Francofurtanas hac vice inviſere, & in Medica inquirere non licuit. Cl. Michelii Profeſſoris Lipſienſis opus Hermeticum quam primum prælum ſubire audiero, aut exemplar ejus nactus fuero comparabo & ſi cupis transmittam: Quantum audio erit Pharetra omnigeno ſagittarum Medicarum genere refertiſſima, & virum hunc addecens labor. Quid Anatomica Tua? Nec enim dubito quin hyemale hocce tempus,

Cum Zephyro, primisq; Roſis & hirundine prima Nomine Tuo digna ſuggerat. Perge in ſtadio hocce Vir Celeberrime Athletice & fauſto pede perage.

Lapidum, Terrarum, aut qualiumcunq; foſſilium collectanea procurabo Tuos in uſus.

Ego totus in Examen minerarum incumbam, quamquam de mutatione loci jamdum solicitus sim. Tum quod heic locorum rara sit Praxis, tum quod ab eo tempore quo Illustrissimus meus Ernestus Hassiæ Landgrafius Pontificiam amplexus δωλείαν id indies experiamur quod olim etiam notissimum, Apostatam Osorem sui Ordinis. De quibus alias. Hisce Vale Amicorum Fautorumq; Ocelle Clarissime, meq; ulteriori benivolentiæ Tuæ aura frui permittito.

Rapt. St. Goar. ad Rhenum Palmarum 1654.

Tuus totus ex animo

Janus David Wilhelmi D.

EPISTOLA XXXIX.

De Vasis Lacteis & Lymphaticis experimenta.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

SVavissimas Tuas Vir Excellentissime atq; Clarissime Patrone ac Fautor suspiciende, per Dominum Oberbergium transmissas optime ad me perlatas esse, testes erunt præsentes literæ, quæ quantoperè gratæ mihi fuerint,

pro

pro Tuo in me amore, & mea in Te reverentia vel me tacente colligere poteris: ac gratulor mihi equidem de prosperitate ac incolumitate Vestra, quam literæ Tuæ jucundissimæ indicarunt; hanc Vobis propriam & sempiternam voveo. Delectationi autem maximæ fuit ex Te imprimis felicem progressum Anatomiæ Augustæ rescisse, utinam eam propediem perfectam videre liceret: sed doleo impensè labores Tuos ob ruditatem sculptoris tantum adauctos: nominis Tui fama, quam ampliorem hoc quoq; spondet opus, condimentum aliquod istis afferet molestiis: verum eas amplius cumulari sentio, novis Veterani Parisiensis Responsionibus, quas intueri exopto atq; olim solidam illarum à Te compositam Refutationem, quâ convicti homines creduli tandem naturæ & veritati fasces submittere cogantur. Ita sub hisce dissensionibus Cl. Bartholini laus multò magis inclarescet, ut multi mordicus jam antiquorum placita tenentes, si non in totum maxima tamen ex parte ad ejus accedant opinionem, cujus aliquot jam vidi exempla, eorundem unicum audire non pigeat. Cùm Marchetto Juniori Viro in Anatomicis versatissimo publicè tàm lacteum thoracicum, quam vasa lymphatica

demonſtrarem; obſtinatè vaſa eſſe negabat, ſed pro nervis pugnabat, (idem de lacteis meſentericis ſtatuens) neq; copioſius effluens liquor opinionem ejus diluere poterat: diſſecuit autem truncum prope axillares cumq; perveniſſet ad proceſſus diaphragmatis, triumphum canebat ante victoriam, certus ſcilicet quod ibi eſſet plexus nervorum meſentericus, à nervis ſexti paris oriundus, cujus hunc ramum eſſe aſſeverabat, ſeq; perducturum ad cerebrum, nî ruptus fuiſſet: ſed verba erant. Jam verò pluribus factis canum cœdibus, inſtaroq; per tubulum ductu atq; corde mutaſſe eum ſententiã ac pro peculiari vaſe, non tamen lacteo, agnoviſſe inaudio; ſiquidem, quod mirum & mihi vix credibile ſit, apertis pluribus jejunis, paſtis, diverſis horis, nunquam, uti ſpectatores narrarunt, lacteum chylum ſed ſemper ſerum ſalſugineſum in ductu thoracico inveniſſe dicitur; quem interdum ſimplicem, duplicem interdum reperit; nuspiam tamen inſertiones Pecqueti multiplices conſpexit. Obſervavit quoq; motum retrogradum in lacteis, chylum ad hepar deferri creditis, easq; ligatas intumeſcere hepar verſus: quin & vaſa lymphatica in thorace notavit; quas & ipſe non ita pridem animadverti œſopha-

phagum amplecti, venam azygos transcendere & in ductum lacteum inseri. Videor mihi quiddam nuper in fœmina conspexisse, quod vasis aquosis quam simillimum fuit, dubius tamen sum annon fuerint venæ lacteæ: Fœmina probe pota ac ebria ex alto delapsa contusione cranii vitam finierat, conatus sum inquirere ductum thoracicum; & principium scilicet glandulas lumbares inveni; ad has supra cavam tendebant ramuli pertenues tali liquore, qualis in vasis continetur lymphaticis, repleti; an forte fuit chylus serosior ob potum copiosum assumtum an serum decernere nequeo. Molinettus Anatomicus superior in omnibus Tibi assentitur sed exauctorationi hepatis subscribere non audet. Folium, bis degens Venetiis exquirere nondum potui, tertium in festo Ascensionis eò profectus omnem movebo lapidem, ut eum inveniam, & tractatum Tuum tradam. In Nosocomiis nihil adhuc comparuit, si occasio dabitur, nunquam Tui immemorem futurum certò Tibi persuadeas. Percepi hic Patavii de Balsamo quodam scilicet Unguento vulnerario in regione Vestra admodum celebri, quod ad vulnera, ulcera, rupturas, & fracturas &c. valde commendatur: nominatur Unguentum Törckelia

kelianum (Torckels Smöreſſe) primum villico quodam Holſato innotuiſſe dicitur, qui Regi Veſtro poſtmodum communicavit, unde in manus complurium nobilium pervenit: Ejus compoſitionem ac utendi modum ſi Tua indipiſcerer ſolertia, neſcio quibus obſervantiæ generibus id rependerem. Jam plura adjicere non audeo, niſi ut me ceu hactenus feciſti porro Tuo amore complecti digneris, Tibiq; certo perſuadeas Tuam incolumitatem inter preces ad Deum fuſas ſemper mihi curæ ac cordi eſſe. Vale quàm feliciſſime Patavii 16. April. 1654.

T. Clar. Exc. devotiſs.

Michaël Lyſcrus.

EPISTOLA XL.

Plempii de Riolani ſcripto, & Harvei generatione judicium.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

MARTIN BOGDAN. S. P. D.

HUmanitas tua quâ me dignatus es Vir Excell. gaudere, excuſabit libertatem ſcribendi, cum præſens tua interturbare nequeam meis nugis ſtudia, & gratulor mihi quod eas non experior tibi eſſe moleſtas. Præmiſit Hauboldus

boldus aliquot opuſcula hoc anno invulgata, inter alia vidi Plempii fundamenta Medicinæ aucta, quæ ideo lubido inceſſit legere, & cum ſecunda editione conferre; pauca offendi, eaq; omnia Galenó & antiquorum ſcholis adverſa. Addidit meſenterio novum ductum Thoracicarum ex Pecqueto & Hornio, hunc tamen ſuggillat, verba ſunt: Primus tamen qui prodidit eſt Joannes Pecquetus; nam anno demum ſequenti prodiit libellus Hornii. Subnectit. Iſtis poſterior Thomas Bartholinus Danus, Doctor & Profeſſor Regius eodem anno LII. tractatum invulgavit de Lacteis Thoracicis. His viſis utrisq; jam laudati viri ſcriptis rem diligentius, & amplius examinare ad greſſus, comperit in brutis quidem receptaculum chyli tale, quale deſcribunt exiſtere, ſed in homine non item. Pecquetus quidem & Hornius, ſola bruta in hoc negotium diſſecuere. Bartholinus hominum, ſed primum à carnifice mactatorum exta recentia intuitus & perſcrutatus, officinam illam nobis detexit, oſtenditq; non receptaculum eſſe cavum, ſivè ſaccum ut vocat Hornius, ſed glandulas eſſe eodem loci, quo receptaculum ſitas, ſcil. in regione lumborum tres ut plurimum, aliquando plures magnitudine ad trium transverſorum digitorum

rum longitudinem. Præterea ramos emitti ad emulgentes arterias & capſulas atrabilarias, ad uterum etiam, ad jecur, ad mammas. His omnibus axit paſſim ſua fundamenta; & parum mutatis verbis infert; rationem adeſſe: cur cito tranſitu eodemq; colore ſapore odore excernantur potulenta per urinam, addit: chylo nutriri fœtum in utero, & lac eſſe chylum, partemq; ferri ad hepar chyli, & partem ad cor. Hæc & ſimilia in aliis locis quoq; repetit, ut conjiciam illi nondum innotuiſſe Vaſa Lymphatica, quia cum Hornio diſceptat; dari vias ex Meſenterio ad hepar; Et aliquid deferri hepati humoris; nil enim ornatus gratia moliri naturam. Scriptum Slegelii contra Riolanum multum effert, ſeq; contra Riolanum in ſimili materia calamum arripuiſſe; verum ſolidiſſimo opuſculo viſo, ſe omni indignatione ſublevatum, & quod nil potuiſſet addere. ſubnectit. Riolanus manum operi non admovet, at gloriam inventionis aliis invidens, ut & ipſe aliquid inveniſſe videretur, avia rationum ſecutus, fingere multa mavult, & orbi imponere, quam verum ſenſu comperire, illudq; confiteri. Harvei ſcriptum de Generatione Anamalium parum faceret, quod aut obſoleta aut paradoxa contineat, id tamen in compen-

compendium digeſſit propter viri exiſtimationem quam ex invento Circulationis adeptus eſt, paucis rem abſolvit, & revera ſemen in uteris animalium adeſſe, iisdem quibus ego, probat; ut juraret nobis eundem genium adſtitiſſe, qua uterq; neutrius ſcripto viſo talia ſcripſimus. Addit non potuiſſe Harveum in cervis Damisq; videre ſemen, quod animalibus perterritis in mactatione elapſum ſit, cum eodem tempore & fœces & urinam exire animadvertatur. In fine collegit quorundam Theologorum Lovanienſium contra Carteſii Philoſophiam epiſtolas, quam omnes impiam, & fidei catholicæ ob qualitates exploſas, quas in ſacra ſynaxi adeſſe adverſam ſtatuunt, ideoq; indignam juventute, tandem ſubnectit aliam contra Kyperum Wermoſtius apologiam. Hæc Vir Excell. excerpta, non tamen ut nova ſcribo. Deus te excellentiſſime Vir eruditis omnibus incolumem diu ſervet, & Medicinæ bono, proſperi tuis adſint ſucceſſus, tibi juſtæ vires tantisq; laboribus, quibus ſuffocari te indignamur, tuamq; inconſtantem valetudinem quam precor firmet Deus Vale, & me quocunq; loco, dumne extra affectum tuum pone. Hafniæ cIↃ IↃC LIV, 17. Maij.

EPISTO-

EPISTOLA XLI.

De Riolani Scommatis.

THOMÆ BARTHOLINO Roëſchildiam.

PErcurri obiter transmiſſa Riolani opuſcula, quæ, ne diutius iis defrauderis, gratus remitto. Semper verum credidi, quod in triviis decantatur:

Didiciſſe fideliter artes.
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Sed contrarium in Riolano noſtro experior, qui etſi literatus & ſcriptis Anatomicis celebris, ejus tamen mores, nec Muſæ, nec aula, nec anni emollire potuerunt hactenus. Credo eum in vetularum educatum contuberniis, in quibus rixari, ſcommatis & ſarcasmis certare, bonorumq; famam proſcindere, volupe eſt. Nec amicis compellationibus, nec errorum demonſtrationibus movetur antiquior ille Scholæ Magiſter, quin convitia & maledicta toto horreo effundat in bene meritos, qui laboribus ſuis Reipublicæ literariæ prodeſſe ſtudent. Solus dominari, & tanquam Numen aliquod Anatomicum adorari cupit. Quæ hæc inſolentia? Tuum eſt, mi Bartholine, alto ſupercilio & ſilentio, moroſi ſenis ſcommata contemnere. Docti ac probi, qui

utriusq;

utriusq; legunt ſcripta, & juſta lance rem expendunt, nugas ejus ſcurriles ſpernunt. Siquidem rem raro tangat, & ut plurimum ineptiis ludat. Ægrius, crede mihi, feret nugas ejus contemni, quàm ſi verbis acerbius tractetur. Cui bono de ejusmodi contumeliis ferram contentionis reciprocare.

Baccho bacchanti ſi velis adverſarier, ex
inſano ſtultiorem reddes.

Deus Te nobis incolumem ad majora & utiliora ſervet. Valemus DEI gratia in noſtra familia omnes, & Te tuosq; ſalutamus ac valere jubemus. Hafniæ 16. Jun. 1654.

T.

Olaus Wormius.

EPISTOLA XLII.

De remedio ad quartanam, de ſale aëris, & Tartari fermentatione.

THOMÆ BARTHOLINO Roeſchild.

MAgiſtrum Olearium necdum vidi, heri namq; ſub veſperam domum primum reverſus eſt, datâ occaſione T.E. nomine ipſum ſalutabo. Alteram fidei meæ concreditam ſalutem Cl. D. Joëli nunciavi, qui miſerum iſtum

dilectiſſimæ Tuæ Conjugis ſtatum juxta mecum ægerrimè tulit, quæſivitq; an pulvis de Ganna naperide mihi eſſet cognitus, & an eo uſa fuerit T.E. huic n. pulveri mirum quantum fidit, me autem ex Chifletio ipſi hac in parte oppoſui, nec ipſius uſum magnifaciendum credidi, eo quod paroxyſmos febriles retardaret magis quam tolleret, nec (monente Chifletio) inducias pro pace habendas, & quod palmarium eſt, acerbiores poſt hujus medicamenti uſum evadere paroxyſmos. Ubi ille experientiam ſuam acclamare, mirariq; à Chifletio tanto Medico (à ſe tamen lecto) hæc prolata, nec quicquam periculi eſſe, modò methodicè adhibeatur, ſe tamen ultra Drach. non exhibuiſſe. Credit autem Clariſſimus D. Joël fermentum iſtud Quartanæ hoc medicamento quaſi vinctum & in unum compactum, niſi apti, cujusdam & appropriati purgantis beneficio è corpore educatur, vim ſuam fermentativam tandem exſerturum, unde perpetuum Quartanæ fomitem derivare poſſemus. Purgans tale ipſi ſunt pilulæ Spadanæ, nec ineptè eum curaturum ſtatuit, qui iisdem non uno tantum die ante exhibitionem Gannaperides uteretur, ſed & ipſarum uſum ſequentibus diebus reiteraret. Sic & Panacæam Holſaticam cum Magiſterio

Gummi

Gummi Gotte & Acido Tartari in contumacibus hujusmodi morbis mirè commendavit. Doſis Magiſt. gumm. gutt. gr. 5. vel. 7. Salis Principis ſ. Panacææ Holſat. gr. 15. Acidi Tartari q. v. Deſcriptio Panacææ Holſaticæ in Schódero (quem mihi mutuò dedit) ex ſtat. Pharmac. Med. Chym. l. 3. c. 23. tit. Nitrum Vitriolatum, ſ. ſal. Ducis Holſatiæ, &c. Miras huic medicamento vires attribuit, ſancteq; juravit hujus ſalis uſu per ſudorem multos ſanitati reſtitutos, de quorum vita deſperatum penitus fuerat. Vitrum quoddam mihi oſtendit Clar. Joël, cujus parieti adnatum erat ſal quoddam volatile, albicans, ab ipſo ſal Aëris appellatum; In iſto ſale variæ ſolum, fluminum, plantarum, caudicum, &c. ſpecies accuratè repræſentabantur, in fundo vitri ſubſtantia quædam reſidebat lutea, craſſa, & fæculenta, orificio Vitri optimè clauſo. Hoc pro ſecreto mihi monſtravit, nec minus in hoc quam in Daviſſonii ſpeciebus abietinis artificium latere ſtatuit. Sic & fermentationem Tartari, quam ipſi Zuelferus per literas negaverat, ac pro nugis habuerat, mihi monſtravit, in qua fermentatione variæ magnitudinis bullæ in vaſe iſto excitabantur uvarum adinſtar: Ex fermentato hoc Tartaro ſpiritum Tartari tandem eliciunt,

multo majoris efficaciæ ac virtutis, quam vulgari Pharmacopæorum modo producti. Proceſſum fermentationis, cujus tamen divulgatio mihi à Cl. Joële interdicta, Præceptori aperiam, hicq; eſt: Salis Tartari vel potius (quantum viſu colligere poterã Cl. Joël Sal dixit eſſe) Tartari calcinati q. v. in vas fictile indatur, cui affundatur aquæ puræ Lib. j. vel Lib. ij. ſuppoſito igne coctio promovenda, quò ubi perventum fuerit, gradus ignis non nimis fortis, ſed mediocris & minor quam antea accuratè obſervandus, ſenſimq; pulvis Tartari crudi ollæ fictili ſubtili manu inſpergendus, ſtatimq; ubi iſte pulvis reſolutus fuerit, fermentari incipit, & in bullas, uvas uvarumq; racemos exactè referentes, ſpectaculo ſatis jucundo elevari, ubi evanuerint bullæ, vel ſubſidere incæperint, alius inſpergendus eſt pulvis, quamq; diu fermentationis ſpectaculo frui velis continuanda erit repetita iſta inſperſio. Quam Tui prodigus Omnipotentis Dei gratiam mihi precaris, Tibi quoq; cum tota familia ex animo apprecor. Affines ac conſangvineos T. E. cum fœnore reſaluto. Vale Mæcenas Magne, & in public. Patriæ, Familiæ, meiq; bonum diu feliciterq; vive, vale, meq; ama. Slesv. 25. Jun. 1654.

T. Excell. Diſcip. obſerv.

Henricus à Móinichen.

EPISTOLA XLIII.

De Lacteis & Gananaperide.

THOMÆ BARTHOLINO Roëſchild.

J. LANGELOTT D.

RECTÈ poſtremas Tuas Roëſchildiæ datas nuper exhibuit Eruditiſſimus noſter Möinichenius juvenis ob morum candorem & literarum culturam mihi commendatiſſimus; & vidi ex iis abundè, quam cara acceptave ſint cuncta Tibi, quæ ab amicis proficiſcuntur officia, ut etiam exigua mea alicujus pretii æſtimaveris, quæ tamen usq; adeò mihi non ſatisfaciunt, ut majora tibi lubentiſſimè, ſi modo vires permittant, oblata velim. Cæterum tradidi Möinichenio munuſculum à Sereniſſimo Principe noſtro Tibi hac vice ob dedicatum Inventum Anatomicum deſtinatum, quod rogo non ſolum ſpectes, ſed mage ſingularem ejus favorem & clementiam, qua Te Tuaq; complecti cœpit, quamq; unà cum gratioſa ſalutatione literis hiſce denunciandam juſſit. Interea non degenerem Te diſcipulum ſe præbuit Mœnichenius noſter, qui ipſa hæc Vaſa una cum Lacteis Thoracicis ex meo conſilio Suæ Celſitudini in Cane majori, quem Vertagum appellamus ſatis dextrè de-

monſtravit. Vidit ſane illa Curioſiſſimus Princeps non ſine inſigni delectatione, Bartholinumq; eò magis æſtimare cœpit ob tam rarum inventum, tot ſeculis hactenus inviſum. Miratus verò eſt, quomodo fieri potuerit, ut ductus ille Lacteus conſpicuus magis præ Lymphaticis tot Lynceos Anatomicorum oculos effugere potuerit? Monſtravi ſtatim rationes à Te cap. 18, Hiſtor. Anatom. Lacteorum Thoracicorum adductas, & in iis acquievit. In rarioribus Hiſtoriis Anatomicis continuandis quod tua nunc occupetur induſtria, gaudeo, & gratias habeo, quod me quoque ex minimis unum ad tantorum Virorum conſeſſum peramanter invites. Accederem utiq; & Symbolam conferrem, niſi neglexiſſem annotare, quod anima harum perhibetur eſſe, neceſſarias ſcilicet circumſtantias, ſine quibus vix fidem à lectoribus impetrant. Curabo tamen, ut unâ aut alterâ amantiſſimæ Tuæ voluntati ſatisfaciam. Dolet valdè quod amantiſſimam conjugem Febris Quartana adhuc affligat. Me inſcio verò factum quod Mœnichenius de Gannanaperide tranſcripſit. Sane ſi ad hunc morbum debellandum me accingerem, forſan Dei gratia alia ſuppeterent, quibus non ſine ſucceſſu hactenus fui uſus.

Feci

Feci tantum experimenti mentionem, quod tunc de Gannanaperide in Quartanario quodam habueram, qui ſecunda ejus ſumptione ſtatim convaluit, nec ſine ulla ſubſequente recidiva, veluti Chifletius illam incuſat, adhibendo binis vicibus Pilulas noſtras Spadanas, quarum ope omnis Tartarea & nigricans colluvies feliciſſime fuit eliminata. Vale Celeberrime Vir, atq; ut in Peſtifera hac lue, quam proh dolor denſiſſima ſtrage graſſari apud vos audio, incolumis cum omnibus Tuis vivas & vigeas Supremum Numen ſupplici prece veneror. Gottorpi 22. Jul. cIↃ. IↃc LIV.

EPISTOLA XLIV.

De Elixire Peſtilentiali.

THOMÆ BARTHOLINO Roëſchild.

SUaviſſimas Tuas 3. Julii Roſchildiæ datas rectè accepi, ex quibus proſperam Tuam Tuorumq; valetudinem lætus percepi, ſola adhuc reſtat T. E. Conjunx chariſſima, cui (ratum ſit votum) poſt tot mœſtos dies firma ſalus lætior tandem arrideat. Incluſas ad Cl. Rhodium, ubi Diis vialibus Patavium venero,

rectè curabo, proq; iis immortales ago gratias. Viro humaniſſimo D. Joeli ſuas tradidi promiſitq; reſponſionem, ſiq; otium ſuppeteret obſervationes aliquot, ſemper enim occupatiſſimus eſt. Polypi Cordis hiſtoriam ac iconem brevi Tecum communicaturus eſt. In lignea reconditum capſula per Tabellarium qui curru vehitur, jam transmitto, una cum medicamento quodam antiloimico, quod Cl. Joëli acceptum feres; Elixir eſt Præſervativum, quo feliciter utatur Præceptor meritiſſimus juxta mecum ſincerè optat Magnus Tuus Amicus Cl. Joël, doſis cochlear. j. ad præſervandum cottidie uſurpandum. Pro parentibus meis tale mihi quoq; præſervativum dedit, cui curativum addidit, ſed in multò minore quantitate, doſ. gutt. 9. in aq. è typhis cervor. ſ. aq. C. Cervi, ſ. card. benedicti aſſumendum, poſtremi dimidiam partem à Parentibus meis exſpectabis, nomine Tincturæ Bezoarticæ hoc inſignivit, plurimum Camphoræ & aliquantulum Balſami Loimici Henniſii in ſe continet, inſtar olei ſupernatantis, virrum igitur diligenter agitandum, quoties medicamenti hujus uſus exſpectatur, qui ter uno die ab infectis uſurpandus. Elixir præſervativ. ex hiſce componitur

R. Elixir

R. Elixir noſtr. Balſamici part. ß. (ex eſſentia ſuccini, Juniperi, & Cervi)
Citri part. 4.
Præſervativi Joëlis part. 1.

Elixiri hoc ſemper utitur Cl. Joël cujus deſcriptionem antea mecum communicavit, quæ hæc eſt.

R. Gummi Ammoniaci Spir. Vini elot. repurgat. & ſoluti
Aloes opt. purificat. ac Spir. Vini elotæ
Myrrhæ ſelectæ an. Unc. iij.
Croci Orientalis Unc. i ß.
Flor. Sulphuris ter à Realgare ſublimator. Unc. xij.

Quibus bene pulveriſatis addantur in cucurbita vitrea Spir. Vini optime rectif. Spir. Meliſſ. ana ad eminentiam palmæ. Fiat digeſtio in igne arenæ 3. vel 4. ſeptiman. donec tinctura commoda elici poterit, quæ extrahenda remanentibus fæcibus, quas tandem calcinabis. Ex calcinata hac materia ſal eliciendum, quod reſolutum Tincturæ addendum, ſic enim virtus medicamenti adaugetur. Elixir vocat præſervativum, ejusq; uſus ipſi admodum familiaris, in pectoris affectibus aliisq;. In ſcorbuto cum aqua antiſcorbuticâ Munſicti vel alius, ſe eo feliciter uſum aſſeverat. Ob

ſummam quam in hoc Viro humaniſſimo experſus ſum humanitatem, multum ipſi debeo, nec enim ullum ab ipſo intermiſſum eſt humanitatis officium, quo mihi gratificari potuit, Tibi vero multo plura debeo, quod Ipſi tantopere commendatum me volueris, ſtrenuam daturus ſum operam, ne beneficiorum Præceptorem meum tandem pæniteat. Quia Chyli Receptaculum ut & Vaſa Lymphatica necdum viderat Cl. D. Joël, ea ipſi in Venatico cane ſatis conſpicua, 3. Julii monſtravi; Lymphatica tum vidimus in Ingvine, Hepate, prope Cor ubi glandulas adpinxit Rudbeck, quas tamen obſervare nequivi, glandulam vero ſub porta ſitam lymphatica recipientem præmiſſa in Meſenterii parte Hepar ventriculo ac Inteſtinis annectente, ligatura, manifeſte vidi, quæ ob impeditum lymphæ curſum, tumida ovum columbinum magnitudine referebat. Sequentibus diebus, quæ ipſi in Cane iſto oſtenderam, Celſiſs. Principi indicavit, cui eadem videre placuit, hinc ita volente Duce alium Canem venaticum quinta vel ſexta ante ſectionem horâ bene paſtum, præſentibus Celſiſs. Principe, Liberorum Principum Præfecto cognomine Lytzov, Clar. Joële aliisq; 17. Julii vivum diſſecui, monſtraviq;

(1) Ve-

(1) Venas Lacteas Aſellii, ſatis copiosè per univerſum Meſenterium diſperſas, (2) Receptaculum Chylo refertum, cum ſuo ductu Thoracico, calamum ſcriptorium craſſitie ſuperante. (3) Vaſa Lymphatica prope Hepar, in Ingvine ac artu ſiniſtro. (4) In crure ſiniſtro motum ſangvinis. Singula hæc mirè Celſiſs. Principi placuerunt, qui ea nunquam ante viderat, hinc 18. Julii in certum clementiæ ac favoris ſignum aureo me donavit annulo.

Hiſce vale Præceptor meritiſſime, meq; quem toties Tuum feciſti, ne porro deſere. Vale iterum feliciſſimè cum tota Familia cunctisq; Amicis, quibus meo nomine amiciſſimam nuncia ſalutem. Slesvici 23. Julii 1654.

T. E.

addictiſſimus & obſeqv.

Henricus M. à Móinichen.

EPISTOLA XLV.

De Conſenſu Partium.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QUas ad Te Slesvico 23. Julii dedi, una cum binis iſtis pyxidibus, rectè curatas ſpero, per Tabellarium namq; Dunchel dictum eas transmiſi. 27. Julii circa veſperam Hamburgum veni,

veni, octiduum hic manſurus; ſciendi cupidus quid novi in ampla hac ac populoſa Civitate ageretur, reddita per phosphorum prima luce per ſervulum quendam ad Templum primarium à Judicio nominatum me ſtatim deduci curo, ubi in Bibliopoliis impudens iſtud Riolani ſcriptum, cedro digniſſimis T. E. libris, quavis corona dignis, oppoſitum ſtatim offendi, duo mihi comparavi exemplaria, quorum unum Præceptori meo transmitto, quia à plurimis T. E. amicis avidè exſpectari ſciebam, Tibi unum offerre volui, quo amicis illud à Te expetentibus hac in parte gratificari poteris. Currente oculo quædam in eo legi, ſed obſtupui ſteteruntq; comæ, vox faucibus hæſit. Jovem Lapidem juro tantam in Literato, in Viro, in ſene qui dictaturam quaſi literarum ambit, me nunquam exſpectaſſe impudentiam, quantam in hoc ſcripto adverti. Tuas interea vices ſerio doleo, quod de Republ. literaria optimè merito, tale vigiliarum ac laborum non ſine ingenti virium jactura exantlatorum, precium Tibi ſolvat malevolus hic ſenex; A candidis rerum æſtimatoribus de Tuis meritis rectius judicaturis, multò dignius feres. Stenbuckius heic eſt, brevi domum rediturus. D. Otto Sperling heic habitat, quem tamen nec-

dum

dum vidi vel conveni. Medicus quidam Hamburgenſis, Vir Senex, D. Bernhardus Langwedelius heri in meo fuit hoſpitio, qui ubi Medicinæ me addictum cognovit, ſe tractatum quendam futuris Medicis apprime utilem præ manibus habere mihi indicavit, rogatus à prandio ipſum ſtatim inviſi, iſtumq; de quo ille antea mecum, mihi monſtravit tractatum, cujus inſcriptio hæc eſt: Conſiliarius Anatomicus Conſenſum partium Corporis humani tam externarum quam internarum per Præcepta atq; exempla veterum potiſſimum authoritate & Recentiorum demonſtratione Anatomica ſtabilita, cum monitis quibusdam annexis exhibens, & praxi Medicæ apprime inſerviens á Bernhardo Langwedelio Hamburgenſe M. Doctore informatus. Calcar ſibi à multis Præclaris Viris additum ajebat, ut opus iſtud abſolveret nec in nonum premeret annum, jamq; brevi in Belgio emittendum promittebat, quamvis nèdum ultimam impoſuiſſet manum. Opus ſane eſt laborioſum & vaſtum, ſed id in eo deſidero, quod veterum authoritatibus planè emancipatus, parum vel nihil Circulationi vel ejus Defenſoribus tribuat, unde falſas nonnunq; conſenſuum cauſas ab ipſo aſſignari fas erit, quod Tyroni haud leve

in

in legendo impedimentum erit. Partem quandam istius tractatus in hospitium meum mihi concredidit, quia diversis diversa placerent, meumq; de eo judicium ipsi constaret, hinc placuit mihi celeri manu quædam ex ipso transcribere, quo methodus ipsius Præceptori meo innotescceret. Abitum Urgente Tabellario, Præceptori meo desideratissimo cum Conjuge, Filia, Matre, cunctisq; Amicis ac Affinibus prosperam ac perpetuam precatus salutem filum abrumpo. Vale interea quam felicissimè mihique porro fave. Dabam Hamburgii 29. Julii 1654.

Henricus à Mòinichen.

Abdominis Musculi sub hypochondrio dextro siti & læsi in consensum trahunt Peritonæum ratione viciniæ.

Id quod declaratur Exemplo pauperculi. Anno 1641. 28. Augusti Marchiacus quidam P. W. 33. annorum ante annum elapsum à rotis rhedæ benè onustæ circumrotatis super hypochondrio dextro fuit vehementer conquassatus, sine tamen costarum notharum fractura; diarrhæa & vigiliis ob cruciatus atq; dolores comitantibus.

Eventus

Eventus lethalis.

Methodica curatione per phlebotomiam & alia neceſſaria præſidia ab initio neglecta & febri ſymptomatica ex abſceſſu ſuperveniente, tandem viribus collapſis, vitam cum morte commutavit.

Relatio Anatomica

Partium Infimi ventris.

Ratione ſitus, ſuſpicio aderat, partem affectam fuiſſe jecur, at vero poſt obitum longè aliter obſervatum fuit, nam ante corporis diſſectionem tetigi hypochondrium, quod non erat durum, ſed admodum molle. Ergo hepar non fuiſſe primario læſum, inflammatum aut induratum conjectura aſſequi licuit.

1. Primò itaq; inciſis in forma crucis abdominis muſculis ſtatim ex dextro latere materia purulenta copioſe effluxit ad lib. ſ. ſine ullo abſceſſu in jecore apparente; Apoſtema enim intra abdominis muſculos & peritonæum continebatur.
2. Pars omenti erat abſceſſui ad nata, ita ut novacula illud ſeparare neceſſum fuerit.
3. Hepar vero ſitum obtinebat ſub meditullio diaphragmatis ad ſiniſtrum hypochondrium inclinans & ſterni coſtis nothis undiquaq; beneficio membranarum annexum quod digitis fuit ſeparatum. (a) 4. Ma-

4. Magnitudo abſceſſus tanta erat, ut pugnus grandior in eo abſcondi potuerit, ſitu jecoris aliorſum translato.
5. Ventriculus ſatis magnus ſitum obtinebat ad ſiniſtrum latus magis vergentem ob abſceſſus grandioris præſentiam.

(a) Quibusdam corporibus à natura datum eſt, ut hepar fibris quibusdam coſtis inferioribus copuletur. Itaq; laborante hepate, imago pleuritidis repræſentatur. Alius materia quædam craſſa & viſcida in membranis pectoris colligitur, toto etiam thorace, unde dolor gravis, dyſpnæa & ficta pleuritis. Nam nec pungit dolor, nec febris incenditur, ut nec ſi flatus membranis aut intercoſtalibus muſculis impactus eſt. Aliquando etiam muſculi inflammantur, ſed pulſus hic alius, nempe mollis. Dolor gravis eſt non pungens & omnia ferè leviora ſunt.

Membranæ quoq; thoracem diſtinguentes ſi inflammantur par negotium vitæ faciunt atq; verus lateris dolor.

Sæpe etiam inferioribus coſtis inflammatis, diaphragma atq; hinc ſtomachus graviter laborat magno cum periculo. Morbus hic proximo vere Anno 1551. ante Paſcha plurimos & eos maximè qui vel temerè vel negligenter

genter curati ſunt ſuſtulit. Holler, libr. 1, de morb. inter c. 26.

Interdum Monita Practica ſubjungit.

Index tractatus ita incipit.

Index caſuum in quibus conſenſus partium proponitur & declaratur.
Abdominis muſculi ſub hypochondrio dextro ſiti & læſi in conſenſum trahunt peritonæum ratione viciniæ in viro quodam, pag. &c.
Caput communicat cum pulmonibus & pleura reſpectu vaſorum in juvene, pag.
Cerebrum conſentit cum corde ratione vaſorum in Infante. pag.
Cranii ſiniſtra pars læſa communicat cum dextra in Ruſtico quodam vulnerato, &c.

EPISTOLA XLVI.

De Riolano & Pecqueto.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

UT tuis Hafniæ datis 26. Aprilis, poſt duos menſes acceptis tandem reſpondeam, per me ſcias velim, me ſingulari Dei gratia vigere & valere: ſi parcius ad Te ſcripſi, quam antea, cauſa fuit quod neminem haberem cui

tutò poſſem literas meas committere. *Hiſtorias* tuas *Anatomicas* hic habeo, pro quibus gratias ago tuæ humanitati. *Hiſtoriam* tuam *Vaſorum Lymphaticorum*, nondum hic vidimus: mitte quæſo, ut & Commentarium de *Paralyticis* N. T. & alia ſi quæ ſint. *Riolanus* noſter à multis menſibus malè habet: utinam brevi convaleſcat, & inchoata perficiat: præſertim quod maximè habet in animo, *Reſponſum ad quendam* Curtum non tam Doctorem, quam decoctorem Monspelienſem; ignarum animal maledicentiſſimum & convitioſiſſimum: ut & Tractatum *de venenata Chymiſtici ſtibii natura*, adverſus tot impoſtores, qui nuper hic graſſabantur, quiq; frequenti civium noſtrorum nece, tam ſibi quam arti ſuæ fuſoriæ pleniſſimè decoxerunt. adeò deleterium & maleficum ſtibium experta eſt civitas noſtra. *Pecquetus* hic vivit, & alteram, ſed auctiorem ſui operis editionem procurat, novis aliquot experimentis illuſtratam & confirmatam: poſtmodum reverſurus in Septimaniam, cum Epiſcopo ſuo Agathenſe, cui eſt à ſecretis. Te vero amicorum jubar & decus, ſalvere valereq; jubeo: Vive igitur, vige atq; vale, meq; ex animo amantem, & veterem

amicum

amicum redama. Vale carum caput. Parisiis 31. Julii 1654.

Tuus asse & libra
Guido Patinus, Bellovacus, Doct. Med. Paris.

EPISTOLA XLVII.

Pro Lymphaticorum prima inventione.

MARTINO BOGDANO Helsingor.
THOMAS BARTHOLINUS. S. D.

ITa est, mi Bogdane. Cum Naturæ inventis crescit & invidia. Seculi nostri est felicitas multis diligentiæ abundare exemplis, & indefesso ignotarum observationum studio efflorescere. Sed nullum unquam seculum aut vitiorum fuit aut calumniarum feracius, quo eversi mores, regnat nequitia, in deterius res humanæ & in omne nefas labuntur. Tempora hæc justis de causis detestamur. Infausta sanè & ruinæ suæ vicina, quibus fructum laborum referimus quem merentur desidiosi, quem concedunt invidi bonorum obtrectatores. Nihil jam tam sacrum est, quod sacrilegum non inveniat. Nolo aliorum infortunio discere, quia meo expertus loquor. Nulla ex

calamo linea fluxit, quin à maligna invidentium lingua ſit commaculata. Nihil ſcripſi, quod non auſi ſint damnare qui me ſcripſiſſe ægris oculis adſpexere. Si calami ductus vel leviſſimos interrumpere, ſi papyrum divellere poſſent, non defuturi eſſent, qui ex meo excidio immortalem ſibi famam ſponderent. Deo ſummo ſit gratia, quod creverit ſub pondere virtus, & palma arctius preſſa, altius ſurrexerit. Plus candidi rerum æſtimatores addiderunt laudis, quam detraxerunt malevoli. Qui inter minima reputavi ſiniſtra multorum de me judicia, maxima famæ acceſſione ſemper æſtimavi bonorum applauſum, mentem recti veriq; conſciam, & publicam, cui me emancipavi, utilitatem. Mali mortalium quorundam & corrupti mores nunquam transvorſum me rapuerunt, quin mea virtute & innocentia involutus contra invidiam ſperatam audacter ſim luctatus, ſpreverimq; injurias, quas in ſapientem non cadere Stoici prodiderunt. Rectè Seneca: Eſſe aliquem invictum, eſſe aliquem in quem nihil fortuna poſſit, è Rep. humani generis eſt. Ita hactenus ætatem inter Labores trivi, annosq; definitio vivendi ſpacio decurtavi, ut quod ſupereſt, currendi tædio, niſi vires ſufficiat Deus, difficulter abſolvam. Nam

omnium

omnium laborum precium ad ſe rapit invidia, & tyranni inſtar totum me exſugit, ut ſola mihi ex tanta laniena ſuperſint oſſa, Hæbet calamus, corpuſculum enervatum, vitæque ſumma brevis ſpem longiorem vetat inchoare. Nimio mihi precio fama ſtetit. Barbam Senes vellunt ex invidia, juniores ex malitia poſticas lacinias arrodunt, medioxumi amico vultu tela ingerunt clandeſtina ex æmulatione, & ſi rectè calculum pono, ubiq; inſidiæ. Ego verò inter tot difficultates nunquam abjectus, obfirmato animo & conſtanti hos vici humanitate, iſtos ſprevi, ſua illis reddidi, tandemq; Deo innocentiam commiſi, Eruditis cenſuram, omnibus candorem & publicum juvandi ſtudium.

Fata noſtra ne mirare, Clariſſime Bogdane, ſed in Tui aliorumq; ſolatium interpretare. Fando accepi, Te inter naſcentis famæ initia ſtrenuè à quibusdam conviciis eſſe exceptum mordaci calamo diſcerptum, & inter viliſſimos nullo tuo merito habitum. Doleo vicem tuam quia mei cauſa malè audis, & inſigni in Præceptorem, in Amicum pietate famam tuam inimicorum calumniis expoſuiſti. In odium traheris, quia Bartholinum amas propugnasq;, cujus induſtria & parta apud meliores gloria, ſciolis multis & minorum gentium Diis ſordet.

Ne expaveſcas. Irritæ minæ Te non proſternunt. Regium eſt benè agere, & malè audire. Conſtans tuus in me amor, omni encomio dignus, etiam apud nolentes, pietatis extorquebit confeſſionem. Inter alia præter æqvum Tibi exprobrata, laudem proprii ſcripti intelligo Tibi invideri, & fœtum tuum genitori vero auferri, expoſitumq; mihi adoptari. Bone Deus, quam iniqua pateris, quam tuo nomine indigna & eruditione. Cœca jam libidine cuncta peraguntur, nec quid ſcripturient invidi, quidquam penſi habent, modo invida ſcribant. Oportet omnis ſenſus, omnis eruditionis defectu miſere laboret, qui prima fronte non videat, quid inter meas interſit lucubrationes & Tuas. Diverſo, neutiquam contrario, animamur genio, & comptum tuum ſermonem acutumq; à meo ſcribendi charactere differre plurimum vel primis literarum tyrociniis initiatus diſcernet. Sententiarum quoq; & opinionū diverſitate, facilè Tibi tuum partum vindicaveris, qui non ubiq; mea veſtigia legis, nec ſententias ſequeris, ſed libero ſpiritu eruditè per ſuſceptum argumentum decurris. Prompta autem tua in ſcribendo facilitas, in judicando ſubtilitas, in Medicina, in Anatome, in Naturali ſcientia, in meliori

deniq;

deniq; Literatura peritia, mihi non invidis adhuc perſpecta, & erectum nulloq; fuco adornatum pectus, non hujus tantum opuſculi, ſed melioris argumenti capacem Te aſſerunt. Obloquantur quicquid voluerint, qui de ignotis ſibi virtutibus judicandi ſumunt licentiam, nunquam, me ſponſore, vi ulla obtinebunt, ut non ſis vel Doctus vel operis tui auctor. Mirari ſubit frontem in nonnullis perfrictam, qui pro lubitu de eruditis decernunt & eruditione ipſa, quam ab artifice excludunt, quia ignari ſunt, nec tamen erubeſcunt in orbis ſcenam prodire, magnoq; furiarum genere inquietati bonos publiciq; amantes & candidos velut Prætoria authoritate proſcribunt, ſibiq; plenum in doctos jus arripiunt. Veterum Philoſophorum finita jam eſt controverſia, qvum pulli vix perrupta cruſta gallinis incubantibus inſultant. In auditum hactenus rara artis & Naturæ primis patere, qui per antiquæ experientiæ defectum ignorant, quid diſtent æra Lupinis. Sed miraculorum ſeculum hoc ferax eſt, & monſtrorum, ad quæ horrent, qui umbris terrentur & vanis rerum ludibriis.

Ego vero quid conquerar, quod laboris tui fructus mihi gratis adſcribantur, qui gratias agere debui quod in mei defenſionem produ-

xeris præclarum optimi affectus monumentum? Quod si opusculum tuum ob orationis elegantiam & rerum acumina indignum Tibi videtur, cur Tu moresq; Tui atro carbone notantur? Si meo calamo censebitur dignius illorum confessione, qui aliquam in me eruditionis exiguæ partem agnoscunt, cur erubescerès? Cur scriptionis tuæ Te puderet? Ego profecto tam Tui operis auctor sum, quam Tu meorum. Neuter alterius opera indiget. Nam te inscio sæpe calamum meum implevi, & me non consulto feliciter in chartam conjicis quidquid secundum ingenium ex se parturit. Non adeò tibi curta domi suppellex, ut vel sermonem Latinum cum Lunæ face debeas emendare, vel argumenti tui momenta, in quovis bivio ab aliis cogaris emendicare. Candide loquor, & publicè testabor, si volueris, ægrè fero tui causa, quod possessori legitimo sua denegentur. Ego me omni jure abdico, quod nunquam possedi; tibiq; ex debito ex merito, defero, quod nec scripsi, nec ut scriberes unquam fui author. Enimvero eo tua tempore chartis consignasti & in publicum emisisti, quo occupatissimus ego, cruda valetudine, à publicis Academiæ nostræ negociis vix spiritum trahebam. Aliud tum mente agitabam quam inimicitias,

micitias provocare vel illatas declinare. Decrescit indies corpusculi vigor, & quo metam vitæ accedo propius, eo me ab omni offensa mortalium removeo longius. Studiorum & reliquæ vitæ finis est prodesse publico, nemini nocere, & injurias condonare. Catalogum Operum ad invidiam plurimorum exauxi, nec opus erat tuis Laboribus increscere, quia nimium scripsi. Nimium dico, quia pro opera bono publico navata nihil merui, præter inimicos. Tibi verò, corporis robur animi vigori par est, & ætas florens laboribus sequvuturis abundè sufficit. Patere igitur, Erudite Bogdane, Tibi eripi laboris operisq; tui laudem, quia pati me volunt, in primam Lymphaticorum Vasorum societatem illos admitti, qui tuam mihi pro arbitrio Dissertationem assignant, meam mihi detrahunt. Nec animum abjicias, quod primo isto conatu invidiam multorum in Te concitaveris. Expeditum tibi iter ad majorem famam stravisti, scientq; posteri quantum in propria causa tuenda valeas, qui tam mascule in aliena defendenda te gessisti.

Camarinam ab adversario motam, non tangam, nec de controverso inter vos argumento verbum addam. Est tibi in promptu ingenium, penna ad obsequium facilis, ampla

culices ſectarer. Adſtant à tergo Veterani, optimè de Re Anatomica meriti, quibus ſcrupuli eruditi ſunt eximendi ex novo Lymphaticorum Vaſorum invento ſuborti. Aliis habenas libenter laxo, quibus ob feroces annos hinnire libet & calcitrare. Siſtent tandem impetum ubi ad ſumma pervenerint, & omnem bilem evomuerint. Egregia ſuperſunt permulta, in quibus majori gloria & publico commodo occupari poſſet induſtria mea, ſi tantum ſupereſſet ocii. Exemplo magni Platonis me tueor, qui Reipublicæ profuturos ſic voluit utilitatem civium tueri, ut quicquid agerent ad eam referrent, ſuorum commodorum obliti. Ut enim tutela, ſic procuratio Reip. ad utilitatem eorum qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda, quemadmodum ſolita gravitate apud Tullium Cato diſſerit. Si viſis in Hiſtoria Lacteorum Thoracicorum veſtigiis manifeſtiſſimis, vel verbulo quis ad famam ſibi demerendam pro invento ſollicitaſſet, diſpeream niſi obtinuiſſet. Libenter enim amicis gratificor, in re præſertim, qua ſine infamia carere poſſum, qvum abundè mihi hactenus ſuggeſſerit Natura, quibus me à ſilentio & nocte perpetua vindicarem. Pauperis eſt numerare pecus, aut in unica obſervatione

vatione ſalutem ſuam poſitam exiſtimare. Igitur ignoſcendum putavi ſurgentium ingeniorum contentionibus, niſi contumeliis, niſi intentata vi, niſi aſtu famam ſuam ex Clarorum Virorum infamia aucuparentur, quod licentius quam modeſtius ab æmulis quibusdam factum non ſine admiratione perſpexi, quos nulla æquitate mihi obſervationes, Tibi librum, utriq; famam eripere intellexi.

Innocentiam meam Tu, Doctiſſime Bogdane, non rogatus nulloq; precio illectus, ſtrenuè tutatus es, ut tibi pro ſpontaneo officio prolixe deberem, ſi res ipſa vel iram meam vel tuum laborem meruiſſet. Inventionis Lymphaticorum ſeriem ſine fuco aut mala arte pertexui in Centuriis Hiſtoriarum Anat. rariorum. Iram ſuperum inferumq; mihi imprecabor, ſi quidquam ibi fictum aut falſum. Nec pictor ſum, nec Poëtæ nomen exambio. Si tam mihi ad pingendum fingendumq; prompta eſſet quam aliis manus, quidlibet audendi æquam poteſtatem poſſiderem. In inveniendis rimandisq; abditis humani corporis & animalium receſſibus, quæ artis meæ fuerit felicitas nemo ignorat qui ſectionibus meis publicis privatisq; plusculorum annorum decurſu interfuit, nec alia conſtringar neceſſitate, ut navatam hactenus

nus in isto studiorum genere operam novis testimoniis confirmem aut Anatomes peritiam, quam à magnis meis Præceptoribus Falcoburgio, Veslingio, aliisq; hausi, quamq; spectatoribus meis & auditoribus ea fidelitate exhibui & dexteritate, ut ex palestra mea non pauci prodierint quibus promptum & accurata manu & Anatomicis scriptis paria facere cum exercitatissimis. Cave credas, ambitiosius hæc à me dici quam verius. Novisti quam à fastu & ampullatis verbis sim alienus, præsertim in arte humanæ salutis custode. Si aliud non profeci, hominem me didici. Cæterea successoribus relinquo ut invidiæ me eximam, tædioq; parcam. Quid velim, quo es acumine, facilè divinabis. Ætas mea & frequens exercitium novis observationibus non ineptum videbatur, ut curioso pateret mihi, quid invisum quid tritum esset. An idem assequantur, qui sine ductore, sine ulla exercitatione eruditionem ambiunt & Anatomici famam, præmaturæ illorum superbiæ relinquo. Nos enim ad portentosa ingenia obstupescimus, qui prius docent quam didicerunt, novaq; Anatomica sibi omni conatu affingunt, qvum nec antiqua sciant, nec à limine vetera salutarint.

Acutius

Acutius Tu, ingenioſiſſime Bogdane, vides & obſervas, multa eſſe indicia quæ perſuadeant meum Lymphaticorum inventum aliis anſam inquirendi ſubminiſtrare potuiſſe, nullà neq; per ſomnium mihi fuiſſe, ut ex illis diſcerem qui nec publicè nec privatim mihi innotuerunt. Non eo tamen ſum animo, ut à gloriæ poſſeſſione ullos excludam. Pro navata opera in perficiendis Lymphaticis & abſolvendis quæ videbantur deeſſe, ſi poſteriores ſunt, vel inveniendis quoq; ſi in tempore nobiſcum concurrunt, laudandos cenſeo. Utinam hic ſubſtitiſſent. Immortalia certè meruiſſent. Sed fervore juvenili accenſi & maleſana oſtentatione abrepti, omnia ſibi pro imperio tranſcribunt, nihil aliis relicturi præter ignominiam, neſcii eam eſſe Naturæ amplitudinem & majeſtatem, ut non facilè una offa deglutiatur. Qvum primum Hiſtoria mea Vaſorum Lymphaticorum in lucem eſſet emiſſa, ſpes erat indubia inter Eruditos fore, qui re accuratius expenſa, complementum novæ obſervationi eſſent addituri. Dum inventi ſecurus Doctorum arbitrium exſpecto, ecce poſt menſium multorum lapſum ex Belgio per amicum Wormium mittuntur icones binæ nitida manu delineatæ cum literarum explicatione &

curſo-

curſoria deſcriptione, ſine ullo auctoris ullius nomine. Excepi lætus figuras, ſuſpicatus candidum quendam Anatomicum inventi noſtri & certitudinem comprobaſſe & augmentum addidiſſe. De auctore ſollicitus, nihil comperi, donec circa feſtos Natalium Chriſti dies ipſum opuſculum typis exſcriptum Bibliopolæ ſervus ad ædes noſtras deferret, unde & nomen recentis auctoris nunquam antea auditum lectumve, & inſtitutum cognovi. Cœpi amare hominem ob Rei Anatomicæ ſtudium, & laudata ibidem opuſcula mea. Mirabar autem Lacteas meas Thoracicas illi & viſas & ad teſtimonium citatas, nec tamen ullam novorum vaſorum, de quibus lis eſt, non ſimplici vice in eodem opuſculo meo deſcriptorum, factam mentionem ab illo qui Vaſa Aquoſa repetito labore ſibi ſumpſit invenienda et deſcribenda. Condonavi lubens vel oblivioni auctoris vel famæ aucupio quidquid ſuſpicionē ingerebat. Egeram de nuperi inventi argumento cum eruditis aliis, antequam icones laudatæ ad manus meas perveniſſent. Nemo tamen mortalium unquam vel apice me monuit, Lymphatica vaſa ante meam curam vel viſa fuiſſe vel demonſtrata. Petrus Bourdelotius Doctor Medicus Pariſienſis magni ingenii & eruditionis,

nis, quo præsente antequam in Sueciam concederet, orta inter nos in Theatro Hafnienſi de Vaſis limpida aqua prope hepar reſplendeſcentibus, diſputatio, nunquam per amicas literas ſignificavit, alibi locorum detecta illa fuiſſe aut evulgata. D. Joël Langelotius Celſiſs. Holſatiæ Ducis Gottorpi Archiater feliciſſimus, viſis noſtris Lymphaticis, de hactenus inviſo invento cordate gratulabatur. Joannes van Horne, Anatomicus Leidenſis & amicus veteri neceſſitudine mihi conjunctiſſimus, cui, ut & reliquis ejusdem Academiæ Proceribus, Vaſa noſtra Lymphatica junior Wormius obtulit, inaudita illa ſibi per literas teſtabatur, mirari vero ſe hactenus oculos illa Anatomicorum Lynceos effugiſſe, ſeq; prima occaſione in obſervationis novæ veritatem inquiſiturum. Nihil diverſum judicarunt Eruditæ aliæ & candidæ mentes, ad quas Vaſorum novorum vel fama vel notitia pervenit. Igitur ut verba in compendium ſtringam, ſiquidem nemo mortalium aliunde pro invento novo quidquam ſuggeſſit, nemo vel umbram hujus obſervationis mihi exhibuit, arbitrium ſit penes cordatos qua fide qua ſinceritate me geſſerim in Vaſorum Lymphaticorum & inventione, quam in Lacteis Thoracicis indice digito

Lecto-

Lectoribus dudum oſtendi, & publica deſcriptione, quam nullo diffitente ante procuravi quam alii Ductus Lymphatici in orbe comparerent. Fidem dictorum teſtibus ſufficientiſſimis & quovis pignore chariſſimo fulcirem, ſi tantum res controverſa mereretur, de qua plura notavi, quam animo conceperam. Ipſe teſtaberis, quam æquo animo & immoto litem intentatam declinaverim, quam cautè ab iſto ulcere manus retractarim, quam Te candidiſſimum propugnatorem à ſuſcepto dehortarim, tempori ſeqvuturo & meliorum judicio meam integritatem commiſſurus. Tu tamen incredibili amoris non ficti documento, viſa invectiva æmuli Epiſtola auctore ſuo digna, eruditi facundiq; tui calami promptitudinem noluiſti deſiderari, quo orbi conſtaret, quantum injurias paſſi ſilentium poſſit. Reliqua ſicco pede transgrediar, nec unquam vel verbulo calumnias dignabor. Ipſe tuum, quod cœpiſti, negocium conficies, cui parem te monſtraſti, ne ſuperiorem dicam, ſive dextra ſive ſiniſtra lance expendaris, & tandem ſi per inſidias tui adverſarii licuerit, meditatas in Re Medica lucubrationes, ab invidia, qua nunc premeris, tutiores, magna nominis tui acceſſione & celebritate, orbi erudito expone, ut omnibus

conſtet, aliter olere ſues aliter Catulos. Vale Clariſſime Bogdane, meoq; exemplo diſce, pati injurias. Scripſi apud Roes Fontes æræ Chriſtianæ 1654. Pridie Calendas Auguſti.

Impreſs. Hafn. 1654.

EPISTOLA XLVIII.

De Vaſis Rudbeckii.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QUas ad me detulit litteras D. Eggebertus, læto animo ſuſcepi, tantoq; magis, quod quod in iis eluceat vetus ille Tuus in me animus propenſus. Ego non dubito affirmare, eundem me eſſe qui ſemper fui. Nolim tamen ſiniſtrè judices propter ſilentium cujus cauſas ignoro. Unice in me culpanda eſt aut negligentia, aut à variis negotiis diſtractio, quibus etiam accedit neſcio quid ignis occulti, quem meo pectore foveo. Sed Spes eſt facilè me Tecum in gratiam rediturum, daboq; operam, ne poſthac ulla ſuperſit querela. Quod hiſtoriam Vaſorum Lymphaticorum attinet non ſum inſcius, quantum alii ſibi in eorum prima inventionis laude arroganda laborent, verum id commune eſt vitium, Tu tamen primus nobis autor exiſtis, quanquam fatendum eſt, D. Rudbekium omnium primò ea mihi demonſtraſſe. Is nunc in Sueciam profectus eſt.

Gaudeo

Gaudeo natam Tibi esse occasionem ea in homine investigandi nunc vero omni ex parte ea inveneris, asseverare non ausim quia fateris ipsemet minus commodum fuisse illud subjectum, utpote emaciatum, & quod procul dubio ab aliquot diebus cibum non sumpserat. Hyeme præterita diligenter inquisivi in ea, nactus subjectum cujusdam decollati, qui nocte ea quæ supplicium præcedebat, largiter cœnatus fuerat. Sed copia pinguedinis nimia obstitit, quo minus voti fuerimus facti compotes. Ubi Tu, Clariss. Vir, ad exercitia redieris Anatomica, quæ jam sufflaminantur tum ab anni tempestate, tum à grassante apud vos contagiosa Lue, non dubito quin colophonem ei operi sis impositurus. Credo Te inscium non esse, Riolanum adversus eam Lymphaticorum historiam calamum strinxisse, ut & notas secundas in Anatomen Reformatam edidisse, Ego qui in eadem palestra luctor cum Viro celeberrimo, ubi Tuas opiniones defendendi occasio se obtulerit, amici partibus defungar. Vale, & saluta meo nomine officiosissime Cl. tuos fratres, & Nob. Consangvineos Furenios. Inter quos junioris silentium haud æquo animo fero. Lug. Batav. 17. Aug. 1654.

T. T. Joannes van Horne.

EPISTOLA XLIX.

De Riolani erroribus.

THOMÆ BARTHOLINO Roëschild.

NOn inquiram quare me dignatus sis tuis literis, cum divulgatum sit, nos in te cum ingenti eruditione satis humanitatem non posse mirari. Unde non absq; læsione hujus poterat fieri, si statim tuis responderem, quas quoties relego, toties penitus attonitus calamum meditor. Hem! audacia deest ipsum assumendi, & tacitus compellor te solum salvere, & meis humillimis votis cottidie tuam incolumitatem cœlo commendare. Alia solvere non valeo, & lætor tamen quod istis debiti vicem videor mihi explere. Ex literis Segeri sensi quoq; tuæ humanitatis vim, & Virtutis, in primis felicem statum, quem tibi Deus perennem concedat. Vehementer me movit, T. Excell. magis quam me lacessi à Rudbekio. Vereor ne majori dedecore repetat insultus, & fama quam veritate se efferat, aut rudi calamo se risui exponat. Scripta tua vellicare debet, aut nomen, in utroq; deficit ipsi ingenium. Nondum licuit conspicere quenquam potuisse tui ingenii vigorem sustinere, nec nomini tot regnis noto labem affricare, etsi á summè doctis id tentatum

tum eſt. Riolanus magis tuas laudus recenſet, dum eas ſtudet deprimere. Sed doleo Riolani faſtum, qui ut magis videatur tuæ Excellentiſſimæ famæ male feciſſe annos juvenes objicit, eoq; majus tibi decus, quo inferior ipſo es, conciliat. Nulla vitia ſunt, quæ iſte petit, ex Scaligero, quo indicat illum homines extra latium, & purioris latii ſeculum magis æſtimare quam melioris notæ Medicos, & purioris ſeculi. Opus eſt ut Riolani

Helleboro quoq; purgetur lymphaticus error.

Sammoniac cap. 28 v. 10. illi hæc injuria non condonanda eſt. Uti & ea quod audaciter ſugillat hæmorrhoidas melioribus medicis morbum ſolum dici. Tyroni forſan venia eſſet facilis, non illi ſeni, qui toties jactitat ſuam eruditionem ſenilem, & judicium maturum, unde difficilem adferas materiam, ſi erret. Erravit tamen hic turpiter, nec librum Hipp. περὶ τῶν αἱμορροίδων adferam, in quo in frontiſpicio αἱμορροίδων τὸ μὲν νόσημα; ſed Celſum qui l. 2. c. 1. v. 53. Poſthanc ætatem ſcil. adoleſcentiam ſangvinis per quædam etiam velut ora venarum (αἱμορροίδας Græci appellant) profuſio, & centum loca ex probatis

producerem niſi vererer illud, quid tu γλαῦκας εἰς Ἀθήνας? Utinam ſimilia ſub typum miſiſſet Rudbeck feliciori forſan calamo nomen tuum, ſi modo materiam præberet, vindicarem. Conſtat Doctis quod ipſi nil impoſuerim, ſed quæ virgula cenſoria videbantur digna, tetigerim. Excellentiſs. Vir, ſi citius hoc ſcriptum, quam ego videris, mihi favebis, & id transmittes: Non metuo Rudbekii tela, qui ſub tuis ſignis milito, eo audacior te præſente, & quod ille tardius ſigna intulit. Te unice veneror, & ſolum Præceptorem trado eſſe. Bartholinus noſter, quis ſit, pauci noſtra ætate rogant, quia te omnes norunt: & noſſe debent qui Medicorum & Eruditorum utilitati, ſiquis unquam, maxime conſuluiſti. Dico quod ſentio, & vere quod res habet, adverſatur in te Virtutem Riolanus. Martianum transmitterem, & gratias agerem ſi quas poſſem; niſi occaſionem exſpectarem. Excell. Vir

Terreſtri Barthline fruare diutinus aurâ
hæcq; minus lethi noceant tibi tela furentis; quæ nos meritò & hic terrent, inter tot cædes quas quotidie audimus XX. & plures eſſe. Si placuerit me T. Excell. fratri commenda, quem ut & te cum tuâ familia proſperri-

ſperrime valere precor Deum Miſericordem. Elſignoræ Anno 1654. die 17. Auguſti.

T. Excell. D. D.

humillimus ſervus

Martin Bogdan Drisna Marchicus.

EPISTOLA L.

De Lymphaticis, morte Slegelij &c.

THOMÆ BARTHOLINO Roëſchild.

AUguſtam Vindelicorum 11. Sept. ſtyl. vet. cum Comite itineris optatiſſimo Andrea Schultzen Hamburgenſi feliciter adveni, ſavente porrò Divini Numinis auſpicio brevi abiturus. Per Jenam, Lipſiam ac Norinbergam ivi, quosq; ſalutatos voluiſti ſalutavi plurimum, inprimis Cl. Virum Dominum Doct. Rolefinckium, qui pro tractatu T. E. de Vas. Lymph. in homine repertis, quem ipſi tradidi maximas egit gratias; ob temporis vero anguſtiam, non multum cum Clariſſimo hoc Viro de eadem materia diſſerui, quantum autem ex ipſius diſcurſu colligere poteram, eò collimabat, facilem inter modò diſſentientes de Cordis ac Hepatis officiis reconciliationem iniiri poſſe, confectione ſanguinis Cordi,

conſervatione Hepati conceſſa. Guiffartum poſſidet, mireq; laudat iſtum ipſius de Materia Lactea tractatum ac pro ſcripto ſolidè erudito habet. Plurimi ſed minorum gentium Dii ægre ferunt ita de ponte dejectum Hepar, nec aliud urgent, quam authoritates veterum, viſceris hujus molem, noſtræq; Medicinæ totalem vel ruinam vel perturbationem. Dominus D. Welſck veteri amicitia T. E. Monspelii cognitus, amiciſſimam Tibi mittit ſalutem, Profeſſor eſt Anat. ac Chirurg. in Lipſienſi Academia, acriter Ille ſuum defendebat Hepar, nec ductum Thoracicum, cum ſuo Receptaculo, nec Vaſa Lymphatica facilis admiſiſſet, niſi in cane quodam ea ipſi monſtraſſem; Cuncta ſatis conſpicua erant & manifeſta, quin & Lymphatica in ipſo ſterno apparebant; Ex Receptaculo ductum illum deorſum vergentem inter Muſculos ψόας veluti in Icone expreſſerat Olaus Rudbeck quam è Battavia T. E. transmiſit Clariſs. Wormius, chylo turgidum clarè vidimus. Quibus viſis diligentius ſibi in hæc incumbendum ajebat, nec præter exiguam Receptaculi capacitatem quicquam reponebat, quæ par non eſſet toti Chylo recipiendo, quem ego tamen non una vice ſed ſucceſſivè ad Receptaculum tendere

rege-

regerebam. Norinbergæ Excellentissimum Volcamerum Tuo nomine itidem salutavi, cui me cum Comite meo recommendaverat Cl. Rolefinck, instructissimam Noricam Bibliothecam nobis monstravit, nec ullum officii genus quo nobis gratificari potuit, ab ipso intermissum est; Exemplar Vasorum Lymphaticorum in homine repertorum, quia nitido destituebar, in vulgari charta cum disputationis titulo impressum Ipsi obtuli, cui tanta Præceptoris industria mirum in modum placuit. Ipsi est Hofmanni Galenus, quem 300. Thal. Imperialibus sibi comparavit, nisi calcar ipsi à Magnis addatur Viris, vix credo librum hunc publicam lucem unquam visurum. Celeberrimos & Excellentissimos Viros, Dominum D. Johannem Henisium, ut & Dominum D. Lucam Sckróck Præceptoris nomine multum salutavi, quibus apprimè grata fuit à tanto Viro facta salutatio. Humanissimè ab utroq; sum exceptus. In morte Cl. Slegelii à terrore deducenda erraviſſe E. T. Hamburgenses Medici me monuerunt, inprimis Sub-Physicus D. Johannes Placcius, (cui ut & D. Bernhardo Languel, D. Andreæ Cassio, D. Christiano Bunck Vasa Lymphatica sed in subjecto nimis pingui, in ædibus D. Cassii monstrabam

bam apud quem binis vicibus 4. canes diſſecui, prima vice cuncta ſatis clarè & perſpicuè obſervare licuit) qui febre maligna Slegelium obiiſſe ſanctè affirmavit, rumorem verò de conſternatione ab invidis-coſictum, nec ullum vel minimi motus indicium in cadavere inter diſſecandum à quoquam obſervatum. Idem Placcius Cl. M. Lyſero ſe eadem retuliſſe ajębat, ſimulq; Ipſum rogaſſe hæc per literas E. T. ſignificaret. Quicquid horum ſit, inter Cives Hamburgenſes conſtans adhuc fama eſt ex terrore Ipſum occubuiſſe, ſed omnes Medici ſuſpectam reddunt, qui unanimi conſenſu ex maligna febre mortem ipſius derivant. Tria Crania humana in Itinere obſervavi in quibus ſutura ſagittalis ad nares usq; porrigeretur, unum Norinbergæ in Bibliotheca Norica, duo vero apud Nobiliſſimum Heniſium, apud quem & vidi Tibiam Gigantis miræ magnitudinis, ut & vitulum Bicipitem. Idem Vir Celeberrimus Te plurimum ſalutat, quod & D. Lucas Sckróckius me internuntio curari voluit Sed manum de Tabula quia prolixitate nimia in Præceptorem gravioribus occupatum me peccaſſe ſentio. Divinam interea Clementiam, proſperamq;

ramq; ac firmam ſalutem T. E. cum tota Familia Clariſſima animitus precor. Hiſce vale, amicis meo nomine amiciſſimam nuncia ſalutem, mihiq; porrò fave. Dabam Auguſtæ Vindelicorum 14. Sept. Styl. Vet. 1654.

E. T. Diſcip. obſerv.

Henricus à Mòinichen.

EPISTOLA LI.

De Lymphæ aciditate ex Kolhanſio.

THOMÆ BARTHOLINO Roëſchild.

ACcepi heri literas ab amiciſſimo meo Johanne Chriſtiano Agricola, in quibus quædam continentur, quæ ſcire Tua, Mecænas Maxime, intereſſe mihi videbantur, placuit paucis hiſce graviſſima negotia Tua interrumpere. Scripſit autem, adveniſſe non ita pridem Regiomontum Kolhanſium quendam (prænomen non exprimit) qui Heidelbergæ pro licentia, ſummos in arte medica adipiſcendi honores, diſputavit; materia iſtius conflictus Lien erat ejusq; uſus. Vidit hanc diſputationem Agricola, imo & legit, quam & mihi transmiſiſſet, ſi modo ejus compos fieri potuiſſet, verum Authore mox diſcedente evanuit

nuit omnis transmittendi ſpes. Interim tamen refert, addidiſſe Autorem circa finem, quæ ipſe de Vaſis Lymphaticis obſervaverat, quorum Inventorem, quamvis nunquam Tua ſcripta ſe vidiſſe aſſerat, Te tamen, Celeberrime Vir, agnoſcit. Unde theſi 52. de Vaſis Lymph. differens, *Celeberrimi ubivis D. Bartholini*, (verba ſunt autoris) *cujus autoritas apud omnes eruditionis indagationis Viros ſufficientiſſima*, meminit; Et th. 36. Te *Hodiernorum Anatomicorum perſpicaciſſimum* vocat. Vides Vir ſumme novum Primogenituræ Tuorum Lymphat. aſſertorem, cujus ſententiam ex adjacente pagella, mihi à laudato Agricola transmiſſa, hauries. Ubi imprimis jam noto, quod Autor diſputationis Th. 59. Lymphæ huic gratam aciditatem attribuat; Cui adſtipulatur Agricola. propria experientia edoctus, is enim d. 31. Octobr. canem ideo eviſceravit, & liquoris hujus ſaporem ad aciditatem vergentem, non tamen tam acidum qualis Lieni inhæret, Lingvæ propriæ beneficio obſervavit. In eodem quoq; Cane ſupra Veſiculam fellis quatuor Vaſa Lymph. magna ac lata ſe vidiſſe ſcribit. Item d. 4. Nov. alium diſſecuit canem, in quo ſub Hepate glandulam quandam invenit, quæ diſſecta aquam ſtillabat, nulla

tamen

tamen Vasa ei inserta observare potuit. Plura non addo. Vale Mecænas maxime & fave. Dabam Hafniæ d. 15. Novemb. 1654.

Excellentissimi Nominis Tui
Cultor. Indefess.
Georgius Segerus, Thorun.

Extractum de Vasis Lymphat. ex dissertat. inaugural. pro Licent. Kohlhans. de Liene, ubi in fine annectuntur sequentia de Vasis Lymphaticis.

Th. 55. Manifestissimè (inquit) ex intestinis ad pancreas Aselli tendunt (Vasa Lymph.) & innumerabilis eorum copia petit parenchyma Epatis, alia in abdomine versus partes inferiores supra & infra venæ cavæ truncum descendentem repentia, satis crassa quædam ac ampla hinc inde absumuntur.

Th. 56. (in fine) Imo semper etiam ferè dissectis vagina processuq; â peritonæo testium, ad testes usq; clarissimè conspeximus tendentia vasa.

Th. 59. (Hic loquitur de Receptaculo chyli) id quod una cum suis vasis vacuo ventriculo & nullo præsente Chylo, humorem quendam continet (scilicet receptaculum) qui est quasi serosus ex livore flavescens, gratissi-

mæ,

mæ, ut ſenſimus, aciditatis, ac ex disruptis vaſis, pinguedinis inſtar colliquatæ ſanguini innatans, & in vitro ſervatus ſebi tenuioris colorem ac conſiſtentiam aſſumit, corallosq; albicantes absq; tinctura quadam friabilesq; reddit; ideò menſtruo, quid dicam de liquore Alkaheſt? non abſimilis, in concoctione autem & præſente Chylo, eum in ſe continent.

Th. 60. Motum horum vaſorum in abdomine contentorum, inprimis quæ ſunt in Epate, ſubjectorum penuria inquirere non permiſit, aſt de ductu, quo de nobis hic ſermo præcipuè eſt, ex thoracè, nullum dubium eſt, cum verſus partes ſuperiores chylum aut eo deficiente, hunc humorem vehere. Nam 1. ligato hoc vaſe verſus receptaculum intumeſcit, venas autem verſus inanitur. 2. Vas hoc non ligatum, in mortuo & adhuc benè calido animanti, ſi prope receptaculum aperitur, tunc nihil à ſuperiori parte (conſpicuæ enim ſunt valvulæ) refluit, ſed plenum conſpicitur, & ſtatim, ſi in ſuperiori loco fit inciſio, tunc manifeſtè aſcendendo effluit, quæ quidem ad demonſtrandum, quam aliquid de iis ſcribendum ſunt aptiora.

Th. 61. Ex ſitu itaq; & hujus ductus & receptaculi nulla apparet differentia inter hæc & chy-

& chylifera, & cum, quamvis omni adhibita diligentia, nunquam tamen post horum inventionem nobis licuit chylifera videre, interim tamen nullus dubito, una eademq; esse, quod clarius evadet, si naturam hujus consideramus.

Th. 63. Usus ideò vasorum est, & istum humorem acidum & præsente chylo, chylum vehere.

Th. 64. Ad venas & per has, ad sui perfectionem in cor.

Th. 65. Humor autem per se, ut suprà diximus, nobis videtur esse instar menstrui, ast cum permixtione particularum minimarum ex cibo & potu in ventriculo, ubi chylus dicitur, instar extracti, & quemadmodum ejusmodi menstrua, præ primis ut ferunt de liquore Alkahest, iterum per destillationem abstrahuntur remanente essentia quadam contra morbos validissima, nihilominus cum eâdem abstracti menstrui in quantitate & qualitate efficaciâ, ita puto, eundem humorem liquori Alkahest analogum quodammodo propter dispersam suam in assumptione particularum minimarum virtutem obtusiorem fixumq; quasi factum, ex amissione autem postmodum earum in nutrimentum partium, &

ob

ob commixtionem earum cum ſanguine, ac propter crebras per cor & lienem circulationes priſtinæ reſtitui efficaciæ.

Th. 66. Ubi etiam prius videtur propter relictam quandam acrimoniam ſine permixtione chyli fermentando, & ob ſenſitatem diluendo, in venis promovere faciliorem ſanguinis regreſſum.

Th. 67. Hinc ratio, quamobrem homines ſ. n. adſuetis temporibus & non ſemper propter continuum affluentem hunc humorem appetant, quamvis etiam hac in re conſuetudini aliquid ſit tribuendum.

Th. 68. Quare autem chylus cum ſuo menſtruo permixtus, uti ſuperius innuimus, non recta ad perfectionem ſui in ſanguinem, ſed ita diſperſum quaſi cor verſus tendat, ratio eſt, chymicis nota, qui, cum accuratam volunt rerum permixtionem, earundemque perfectam in deſtillatione unionem, eodem hoc peragunt modo: Hæc ſunt principaliora verba quæ facit de Vaſis Lymphaticis & eorum uſu, Kohlhans in Diſſertat. ſtatimque finit Diſſert.

EPISTO-

EPISTOLA LII.

De Unicornu viribus.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

MItto ad te exemplar Inſtitutionum Medicarum mearum, ut haberes honoris animiq; ſemper tui πεμπήϱιον. Nam ut legas, ne quidem ſuadeo, gravioribus & magis ſeriis occupatus. A quibus, quod te abſtrahunt alii, quorum ætati id minimè conveniebat, doleo. Sed plerumq; ſoli ſurgenti nubes obſcuræ obſtaculum ponunt, quibus diſcuſſis fulgor ejus apparet ſplendidior. Sic tibi auguror. Inſta modò & in cœpto progredere. Id verò à te peto, ut me quoq; compotem eorum facias, quæ in publicum emittis, quandoquidem vix duo exemplaria ad Typographos noſtros mittuntur. Viciſſim ſi qua in re ſervire tibi queam impera. Sed & hoc te rogo, ut fruſtum Unicornu, quod audio copiosè à nautis ad vos transferri, transmittas. Pretium cum magna gratia rependam. Verum ſcire deſidero, cujus generis ſit, unde apportetur, quas in eo vires deprehenderitis, & qualiter illud uſurpetis. Incluſas ut Clariſs. Brochmanno tradas etiam atq; etiam precor. Vide quam te multis onerem, ſed ad plura me

obligo, modo opera mea uti velis. Salve hisce, Vale & Fave. Lugduni Batavorum 23. Novembr. ɔIↃ IↃɛ LIV.

Tibi
Addictiſſim.
A. Kyperus.

EPISTOLA LIII.

De Unicornu uſu & utendi modo.

ALBERTO KYPERO Leidam.

INſtitutiones Tuæ Medicæ, quibus & publicum & me beaſti, omne punctum ferunt. Neq; enim trita via incedis, nec Tyrones magnis veterum ſomniorum ambagibus circumducis, ſed recta per recentiorum obſervationum compendia optatum terminum monſtras. Dici non poteſt, quantum Tuæ induſtriæ debeant obſervationes noſtræ, à Te laudatæ & ad uſum Medicum applicatæ, preciumq; laborum ſat magnũ videor mihi reportaſſe, quod Tibi placuerit ad illorum normam Inſtitutiones Medicas exigere. Viliora ſunt reliqua noſtra, quam ut ullo illorum deſiderio tenearis. Unicornu fruſtum quod expetis, libenter mitto, & plura offero, ſi juſſeris, nec repetam pro eo quidquam pretii.

Acce-

Accepi quam plura fruſta ab Ampliſſimo Affine Henrico Mullero, qvum naves illius ex Grónlandia non ita pridem rediiſſent. Inde enim in Europam advehitur, & auſim dicere, omnia quæ paſſim oſtentantur magnoq; precio æſtimantur, ex Grónlandia adveniſſe. Adeo frequens apud Grónlandos eſt hoc Unicornu, ut loco ferri, quo carent, & ligni, in jaculis ſuis ad balenas capiendas utantur. Ita balenæ ad proprii generis exitium arma miniſtrant, balenæ enim eſt dens, qui unicus ex maxilla, quam vidi, prominet, quemq; cornu eſſe crediderunt hactenus omnes. In Grónlandia ad uſus domeſticos tantum adhibetur, & ad varia utenſilia. Nos verò in febribus ſalutari eventu pulverem ad mediæ drachmæ pondus in quocunq; vehiculo liquido exhibemus, magna enim vi ſudores prolicit febremq; jugulat, quod graſſante febre maligna & in tertiana quoq; experti ſumus. In aliis quoq; affectibus, quos per ſudores ſolvere expedit, pari felicitate cornu hujus, ſeu verius dentis raſpati ſubtiliſſimeq; triti pulviſculus offertur. Si plures virtutes mihi innotuerint, ea promptitudine Tibi perſcribam, quam & virtus tua, & amicitia noſtra poſtulat. Plura in præſenti non permittunt oneroſi faſces Academici, quos

tamen brevi aliis traditurus ſum. Interea Vale, & me amare perge. Hafniæ 14. Junii 1655.

T. T.
Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LIV.

De ſemita ad mammas.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

JOANNES PECQVETUS Diepæus D. M.

DIu eſt, Vir Clariſſime, quod libellus omni ad viam inſtructus commeatu ſecundos ad te, cui dicatus eſt, ventos expectat. Injecere moras fratris tui ad Patinum noſtrũ literæ, quæ ut reditus in Galliam propoſitum continent, ita tranſitus Lutetiâ ſpem faciebant ſuaviſſimam. Jufferam volumini opperiretur tanti fidem patroni, & tutiſſimam amicarum ſarcinarum ſocietatem, ipſeq; impenſius collætabar meum jam craſtinum in Occitaniam diſceſſum comperendinari: ſed hactenus fruſtra, quod cum ſummo dolore dico, ſperatus eſt: nullæ literæ proximum ſignificant. Utinam tam optata licuiſſet frui præſentia! in fratre te amplecti, te alloqui, & quibus poſſem ſinceræ amici-

amicitiæ officiis prosequi revertentem. Sors invidet; imò (ut Christianum agam) Divinæ providentiæ non sinit adoranda consuetudo, quæ pleno nunquam vel planè defæcato Cyatho sitim mortalium explet. Quo circa nihil amplius cunctandum duxi; sed, quam ocyssimè fieri posset, te mei amoris facere certiorem. Cura precor ut valeas & utilem mundo sanitatem serva; tam illustri enim peritiæ miraculo Anatomem nobilitasti, ut nihil jam existimem, quod, etsi absconditum, in lucem erui nequeat, si novaculam strinxeris, aut sagacissimos oculos affixeris scrutinio. Perge ergo qua cœpisti indagine, ac laudabili mecum studio ad detegendam prorsus ad mammas semitam, cui quidem incumbo penitus, allabora. Lutetiæ Parisiorum Eidibus Decembris Anno R. S. M DC LIV.

EPISTOLA LV.

De Lymphæ origine.

GEORGIO SEGERO.

AMo Te, mi Segere, & bono voto prosequor, quod in lymphæ nostræ originem inquiras scrupulosius, variis opinionum sen-

tentiis inter præclara ingenia ambiguam adhuc & controverſam. Dignum Tua induſtria argumentum, quo nominis famam provocabis. Certato ſtudio de Nili ortu ſollicitos olim accepimus, qui vel naturæ vacabant, vel ſuæ gloriæ. Maxima magni Alexandri, Seſoſtris, Ptolomæi Philadelphi, Cambyſis, Neronis, aliorumq; Principum Virorum cura in his aquis eluxit. Dicæarchus Rex Hammoniorum juvenes duos Nazanones ad ejusdem originis inveſtigationem fertur emiſiſſe. Ut alios taceam magnos parvosq; qui Niliaci ortus cupidine nec operæ pepercerunt, nec itineribus. Majus de Lympha noſtra volvitur negocium, quam corporibus noſtris affudit provida Natura, ne, quod deeſſet, à macrocosmo deſideraremus. Noſtræ fortunæ indulſit Natura, ut Lymphatica Vaſa detegerentur: vos vero, ſi interiorem Lymphæ corditionem aſſequimini, in laudis participationem eritis admittendi, qui ſtrenuam huc operam confertis. Utinam nobis pateret Lymphæ Natura, quam facilè Lymphatica videntur, namq; ut loquitur Lucretius,

--- *vincit adhuc Natura latendi.*

Qui tamen optimè conjecerit, optimus vates eſto. Satis hactenus manus noſtras animalium

ſangvi-

ſangvine cruentavimus; abluamus Lympha, ut nitida emergat Anatome & perfecta. Tu verò, mi Segere, perge in ſuſcepto ſtudiorum penſo, & Naturam diligentia tua & vigiliis ſollicita, ut tandem ad ejusdem penetralia admittaris, Patriæ Tuæ profis, & orbem eruditum illuſtres. Vale. Raptim Hafniæ inter publicas occupationes. Cal. Febr. cIↃ IↃC LV.

T.

Thomas Bartholinus.

Impreſs. Hafn. 1655.

EPISTOLA LVI.

Obſervationes Anatomicæ, inprimis circa Lacteas & Lymphaticas.

Thomæ Bartholino Hafniam.

POſtremas meas 7. Januar. Patavii datas M. T. rectè patuiſſe ſpero, in quibus ſi quid novi publica Antonii Molinetti Anatome 9. Januar. incœpta, 28. ejusdem abſoluta, parturiret, indicaturum me promiſi. Totus à Riolano pendet & Harveo, quorum utrumq; magni facit. Circulationem Harveanam concedit, publiceq; demonſtravit in arteria & vena cruralibus vivi Canis. Cum de Hepate,

in Theatro ageret, duo notavit, unum contra Veteres, in Hepate non esse venæ cavæ exortum, Hepar namq; è corpore exemit, non amputatâ Cavâ, sed ramulis tantum ex Cava in Hepar prodeuntibus: Alterum contra Recentiorum nonnullos, non ita funerandum Hepar, cum chylum recipiat per duos solitarios ramos Lacteos recta in Hepar tendentes, quos in ultima lectione ostensurum se pollicitus est, publiceq; in Cane ostendit, mihiq; Ipsi assidenti dixit me ea Bartholino scripturum esse. Ob candorem lacteum lactea certè videbantur, sed vereor ne ramuli sint nervorum à Ventriculo in Hepar prodeuntium; non enim dissecuit ut effluens chylus omnem nobis adimeret scrupulum, sed subitò, ut duos hosce ramos sive lacteos sive nervos ostenderat, ad alia digressus est. Penuria canum suspensum me adhuc tenuit, quo minus certi aliquid de eo concludere potuerim. Hodie tamen cum Cl. Ostenfeld canem dissecui, in quo nec summa quidem diligentia ullam venam lacteam ad Hepar euntem observare potuimus, sed nervum candidum, quem certè credo pro Vena Lactea à Molinetto in publica anatome monstratum. Adhuc differam meum assensum, & nisi clarius in posterum

ſterum videro Lacteos iſtos ramos ad Hepar tendentes, pro nervis habebo. Tempore Anatomes tria corpora humana habuit, duo virilia, unum fæminæ ſed gravidæ. Paucula hæc annotavi. Tunicam muſculorum pro peculiari vel communi integumento non habendam voluit, cum non muſculi eâ obvolvantur. Ortum muſc. obl. deſcend. à transverſis vertebrarum proceſſibus non eſſe deducendum. Anaſtomoſin Epigaſtricæ cum mammariæ ſatis conſpicuam, quæ etiam in Marchetti Anatome optimè apparuit. Fibras primariam muſculi partem eſſe non tendinem, nec nervum. Dislocationem oſſium pubis admiſit, interdum ad diſtantiam 3. digitorum, opinionem hanc autoritate Riolani & Harvei, propriaq; experientia confirmavit. Contrarium tuetur Marchettus uterq;, nec ſine diſcrimine vitæ unquam receſſiſſe notavit. Vena pylorica dextra à Porta prodibat. Ductus Pancreatis in duodenum inſerebatur diſtantia 2. digitorum, ab inſertione veſiculæ felleæ. Hepar non eſſe principium Venarum, idq; partim ex Cava in corpore relicta, partim ex Harveo de gener. anim. probavit. Vena Umbilicalis cum Porta conjungebatur non per levem quandam fiſſuram Hepatis, ſed perfora-

bat ipſum Jecur & quaſi ſub ponte eò transibat. In confinio Portæ in Hepate materia quædam albicans, lenta, gypſea aderat, quam ex chylo collectam credebat. Anaſtomoſin Cavæ cum Porta admittit. Rotundus quidam tumor undiquaq; liber Lieni à parte inferiore per connexionem membranæ adhærebat, juglandem magnitudine, ipſum vero Lienem, colore & ſubſtantia æquans; pro Steatomate habuit. In Renibus & Capſulis atrabilariis nervulos demonſtravit. In tunica adipoſa duo vaſa erant ſanguinea à ſpermaticis orta. De uſu Renum ſuccenturiatorum diſſerens, ingenioſam eorum conjecturam dixit, qui humorem melancholicum ſive acidum in iis collocant, ut, veluti acidum lacti additum ſeroſum à caſeoſo ſeparat, ita humor in his contentus ſua aciditate ſeroſum in ſanguine contentum ſeparet, ad Renes demandandum, ſi vias oſtendere poſſent. De viis per quas ad Renes defertur Urina, nimium quantum dubitat, non enim per aortam deferri credit. Quinq; tunicas teſticulorum oſtendit. Semen generabitur in extremitate ejaculantium prope veſiculas ſeminales; ſemen ex iis exiiſſe vidi. In fungoſo penis corpore ſatis magnam arteriam monſtravit. Penis dilatatores potius con-

ſtricto-

ſtrictores dicendos voluit, ut & Elevatores potius depreſſores. Serratus anticus major, non, ut Riolano placet, Scapulæ quæ mobilis eſt, ſed coſtis originem debet. Aperto thorace omnibus monſtravit arctam & firmam undiquaq; pulmonum cum pleura connexionem, quam perpetuam vult. Thorax fœminæ repletus erat ſero ſatis copioſo, quod & ipſam pleuram corruperat, intumuerat parum pleura in affecto latere, ſed in quibusdam locis à materiæ acrimonia eroſa albicabat, cætera carnei coloris. In diſſecta gravida Embryonem publicè extraxit, duabus involutum tunicis ita arctè cohærentibus, ut non niſi cultelli acie ſeparari potuerint. Inter primam tunicam & fœtum humor quidam continebatur, inter tunicam primam & ſecundam nullus. Placenta ſine dilaceratione venularum & arteriolarum ſeparari non poterat, quæ ipſi cum Utero communes erant. Parti poſticæ Inteſtinum Rectum non veſicam ſpectanti adhærebat Placenta, nec præter ſolitum tumidior apparebat Uterus, etſi mole major. In Embryone præter umbilicalia vaſa, glandulas Renum, Renes ſuccenturiatos, Hepatis molem, cum reliquis in abdomine contentis, nihil oſtendit. Ex diſſectis tubis ſemen effluxiſſe vidi,

vidi. Ligamentum rotundum ultra os pubis deſcendere falſum ait. Marchettus tamen heri oſtendit dividi ligamentum in duos ramulos, ubi ad os pubis pervenerit, quorum unum ſeparatum vidi infra os femoris in ipſo femore, ſed brevior erat iſte ramulus nec tres digitos transverſos excedebat, quin in membranam deſineret. Cum de capite ageret Molinettus, Cranium produxit, in quo nullum ſagittalis ſuturæ veſtigium aderat, aliud in quo ad nares protendebatur. Musculus Buccinator, dum inflantur buccæ, non agit ſed patitur, hinc actionem ipſius vult conſtrictionem malarum ad dentes. Lac in mammis ex chylo non ex ſangvine generabitur, quia poſt aſſumptum cibum flaccidæ mammæ tam citò intumeſcunt. Oſſa auditus bene præparat, in iis muſculos Tympani internum ac externum ut & nervos auris diligenter præparat, & hæc præparatio omnium ferè optima fuit. Cum Uterum præpararet, & vaſa ſangvinea circa eum accuratè explicaret, me interrogavit an tali quoq; modo Bartholinus præparet, reſponſum dedi eadem diligentia à Præceptore præparatum aliquoties vidiſſe, cui Ille, ſe perſuaſum habere inter reliquos ſpectatores plurimos eſſe qui tali modo præparatum nunquam vide-

viderint. Pari modo pericranium à perioſteo dividens, an hæc antea viderim, quæſivit, neque ſeparationem hanc antea mihi viſam coram ipſo negandam ratus, cognitam mihi affirmavi. Cum vivum canem in Theatro diſſecaret ductum thoracium cum Receptaculo chylo referto omnium oculis clarè expoſui; etſi enim ſuperiori anno à Cl. Foſſio monſtratus eſſet, ſitus tamen ipſius adhuc parum notus ipſi erat, vixq; credo ab iſto tempore interiora ullius Canis Ipſum eſſe rimatum. Prope Hepar Lymphaticorum rudimenta eodem tempore oſtendi, in aliis partibus ob nimiam pingvedinem obſervari non poterant, hinc fere de ipſorum exiſtentia dubitare cœpit, & cum ipſo alii. Ea tamen in hoſpitio meo, ex Germanis, variis Medicinæ Candidatis aliquoties monſtravi, nec de iis amplius dubitant, videntq; Alios ſola invidia ea negare velle, quoq; magis ab Invidis opprimi advertunt eo majori cum voluptate in ea inquirunt. Promiſi tamen Molinetto ſi canem haberem macilentum ita clarè ei monſtraturum, ut quivis ea videre poſſet. Civis noſter Cl. Oſtenfeld E. T. amiciſſimè ſalutat, de fama Præceptoris mei multum ſollicitus eſt, quam contra æmulos, ſeu, ut verius dicam, Invi-

dos

dos heic non nominandos, ſemper defendit, nec mearum ego partium ero immemor. Dixi Marchettum Juniorem mihi retuliſſe ſe vaſa Lymphatica ex corpore humano extraxiſſe tabulæq; impoſuiſſe; Jam ſanctè affirmavit ſe planè dubium eſſe nec ulterius ſcire quid ea de re ſtatuendum eſſet, juſſit tamen ut Præceptorem meum magnum ſuum Amicum ſuo nomine quam officioſiſſimè reſalutarem. Anatomen Marchetianam commoda oblata occaſione E. T. transmittam. Lymphatica vaſa acriter propugnat Marchettus filius, promiſitq; ſe ea in tabula explicata publice monſtraturum, necdum ea vidi, ubi de corde aget Parens ipſius jam in ſecando occupatus, in Theatro Anatomico omnium oculis clarè exponentur. Dum Hepar eximeretur & Lien, de ipſorum uſu, ductu thoracico, Receptaculo Pecqueti, vaſis Lymphaticis, neſcio quæ non diſſeruit. Hepar debere ſangvificare, chylum craſſiorem per venas Meſaraicas ad Hepar venire, in ſexaginta canibus hac hyeme à ſe diſſectis in Receptaculo & ductu Thoracico nunquam repertum fuiſſe chylum, Lacteas Meſenterii eſſe Lymphaticas, inflato Receptaculo Vaſa Lymphatica per univerſum corpus inflari, unde neq; Vaſa Lymphatica Bartholini à

Recepta-

Receptaculo differrent,ſed ex Receptaculo orirentur,ſi per thoracem chylus ad cor veniret, deberet eſſe duplex ductus & duplex Receptaculum à Bartholino conſtitutum, Pecquetum non eſſe Inventorem primum Receptaculi cum ſuo ductu thoracico, cum Bartholomæus Euſtachius lib. de Vena ſine pari, antigr. 13. p. 301. edit. Venet. 1564. manifeſtè deſcripſerit. Ipſa Euſtachii verba una transmitto,ex quibus certe clarius quæ ex ipſo Pecqueto patent. Regeſſi tamen non deberi confundi quæ diſtincta voluit Natura, & licet obſervata ſit Lympha in Receptaculo & ductu thor. exinde non poſſe inferri, E. duplex erit ductus & duplex Receptaculum, ut per unum chylus per alterum Lympha traducatur, cum idem Receptaculum idemq; ductus utriq; uſui inſerviat, in diſtributione chyli,repleri chylo,extra illud temphus lympha, ſæpiusq; illud & à me & ab aliis & hic Patavii & Hafniæ annotatum eſſe. Sequenti die bis tantum ſe chylum ſed tamen lympha permixtum in Receptaculo obſervaſſe faſſus eſt, credo ne de ipſius in tot canibus facta experientia dubitarem. Canem hodie cum Cl. Oſtenfeld diſſecui, in quo ſingula diſtincta ſatis apparebant & lactea & lymphatica, ipſumq; Receptaculum albiſſimo lacte plenum.

plenum. Præſentes aderant ex Italis & Germanis aliquot, eosq; pœna ſenſus dignos cenſebant, qui hæc vel negare vel confundere volunt. Varii tumores erant duri & magni in œſophago, ex quibus diſſectis innumeri vermes prodierunt, in parte interiore œſophagi exigua erant foramina ſingula ſuis tumoribus adſtantia, credo vermes per ea in ventriculum aliquando deſcendiſſe iterumq; eadem via rediiſſe. A Clar. Rhodio obſervationes iſtas necdum habeo, credo me brevi habiturum, cum hac ſeptimana abſolvatur ipſius Scribonius Largius. Molinetti vicinus eſt, uterq; Riolano nimium favet. Audaciæ veniam peto ſi prolixiori epiſtola in M. T. gravioribus occupatam deliquero. Deum interea ſupplex veneror, Te cum tota Familia clariſſima ſalvum diu conſervet ac incolumem. Vale Patavii die 18. Febr. 1655,

M. T. Diſcip. obſeq.

Henricus M. à Mőinichen.

EPISTOLA LVII.

Dubia quædam de Lacteis Thoracicis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

DUplex ſcriptionis cauſa eſt, una quidem ut de Obitu Dn. Wormii condoleam, altera

altera ut amicitiam ante vicenos annos cum Tuis Hafniæ contractam, literarum commercio continuem. Elucebat jam olim, imo germinabat jam prolixe Tui Parentis in Te Virtus, ut non ſemel eam ſtudiorum veſtrorum Moderatori, ad quem ſæpius & familiariter in ædibus tuis tum inviſere ſolebam, prædicarim. Optimus Wormius & Arniſæus, Heröes Artis naturæ inſignes, mei φίλοι πατρῷοι Opt. Max. confirmabant id ſerio, aliiq; Profeſſores Doctiſſimi, & Tu nunc ipſe doctiſſimis Tuis ſcriptis. Deus Te orbi ſervet incolumem in annos Neſtoreos, ut feliciter docto tuo calamo, atq; acuta novacula augiæ ſtabulum Anatomicum purgare pergas. Ne vero omnino nihil ſcriberem, dubia quædam propono enodanda circa venas lacteas thoracicas & lymphaticas. Dari credo; imo ex parte vidi. Sed quod illas attinet, dubito valdè, an in ipſum uterum deſinant, & quidem, ut embryonem alant, cum vix credere poſſim, embryonem in utero per os trahere alimentum. Lacteam materiam ad Uterum quandoq; ferri, credo Hippocrati, Laurentio, Zacuto & Tibi. Sed forſan ille motus potius dici meretur præter naturalis, uti vagitus uterinus. Excrementa quoq; recens natorum annon diffe-

runt ab iis, qui vel ſemel lac ſumſerunt? Et ſi ſugeret Embryo lac in utero materno, ſugeret ſimul circumfuſos humores alios. Deinde non video, quomodo ſtatui poſſit, per has venas lacteas omnem chylum in Cor abire, cum revera & ipſe, Vir Excellentiſſime & Oculatiſſime, in hepar abire quædam lactea vaſa ſcribas & probes. Imo non videtur eſſe debita proportio inter thoracicas & lacteas Aſellii, illas inquam plus juſto minores videri & inſufficientes atq; incapaces. Quo ad Lymphatica vaſa dicere quis poſſet, aquam illam potius deſcendere, quam ad Cor aſcendere, cum & ipſe colligas partem illius in renes deſtillare. Nec aſſequor aſſignatam neceſſitatem aquæ. Dilutioni enim ſufficiet forſan potulenta materia, temperiemq; aër dabit. Coctionem vero impediet potius frigidiuſcula aqua, cum remiſſum vix intendat. Quid autem Arteriis accidet, ſi ita fluxu non intermiſſo & concatenato aquâ hac impleantur, præſertim cum exhalatio ulla vix hic locum habere poſſit, ſi ab exterioribus ad interiora, à circumferentia ad Centrum aquæ illæ moventur? In ſtatu vero corporis p.n. quoad Hydropem, Cachexiam, Atrophiam, Febres annon mutanda M. Methodus? Hepar ſcil.

non

non respiciendum, sed vasorum saltem lymphaticorum angustia, soluta unitas & alia vitia corrigenda. Discendi cupidus aveo eruditi, rogitans velis mihi hanc gratiam facere, ac quo ad hanc rem me penitius informare. Vale Vir Incomparabilis, & fave. Dresdæ Kal. Mart. 1655.

T. addictiss.

Jo. Daniel Horstius Archiat. Darmstad.

Prolixior Responsio Th. Bartholini impressa Hafniæ & Francofurti, An. 1655. ibidem legatur, una cum Clar. Jo. Dan. Horstii amica replica.

EPISTOLA LVIII.

De gibbositate Virginis Nobilissimæ.

Henrico Regio Ultrajectum.

Quanquam in Re Anatomica sint quam plura, de quibus tecum per literas disserere exoptarem, in præsenti tamen casum Chirurgicum proponam, deq; eo limatum judicium tuum expectabo. Jussus sum hisce diebus invisere Illustrem & Nobilissimam Virginem, filiam Magni Daniæ Magistri, summi

Literatorum Mecænatis Dn. Joachimi Gerstorphii, quæ undecim annos nata molesto gibbere divexatur, jamq; à quinq; annis & quod excurrit dorsi vertebras habet ad exteriora prominentes, & circa medium dorsi octavamq; circiter vertebram acutum angulum & eminentem conum efformantes. Alias nihil mali ab interno fluxu passa, suspicio tamen est quinq; ab hinc annis ex levi in terram casu ortam hanc vertebrarum dorsi luxationem. Nec de respirationis adhuc conqueritur difficultate. Medius tamen venter ob spinæ contorsionem contractior est, & præter ætatem artus teneri. Ego quanquã in ætate spes sit, & in ossiũ teneritudine & cartilaginum mollitie; tamen quia longius longiore mora processit malũ, vix ausus sum integram sanitatem polliceri, præsertim quum ob vertebræ eminentiam instrumẽta ferrea commodè vix applicari possint ob metũ corrosionis & subsequvuturæ gangrenæ; tamen ut in hoc statu diutius conservetur, neve ulterius serpat malum & augeatur gibbositas, suasi applicationem instrumentorum quæ Chirurgus vester Ultrajectinus in luxationibus restituendis felix, solet conficere. Quod ut meliori cum successu procederet, nomine Illustris Herois laudati, Tibi Nobilissimæ Virginis

ginis casum referre decrevi, qui & in Anatomicis chirurgicisq; es versatissimus, & mihi amicus, & orbi literato eruditis scriptis es notissimus, & singulari humanitate mihi alias notus & perspectus. Tuum igitur de hac re consilium expecto, an spes apud Chirurgum vestrum restitutionis aliqua superst, an sine damno instrumenta propter eminentes vertebras applicari possint. Nullus dubito quin & Chirurgo sis adfuturus tuo consilio, ut, si curationem vel in hoc statu conservationem promiserit, instrumenta ita applicentur, ut habita ratione tenerioris virginis corpusculi & eminentis gibberis ita conficiatur instrumentum ne arrodat vertebram protuberantem. Per amicitiam te rogo, per candorem tuum, per solitam humanitatem, ut in gratiam Magni hujus Mecænatis verbulo tuam quamprimum de hoc casu mihi aperias sententiam, chirurgumq; hoc nomine compellas, certus eris beneficii hujus semper memorem futurum magnum mecænatem. Interea si de commoda habitatione, hac Virgine digna, prospicere posses, & cætera huc spectantia, nihil gratius aut Illustri Heroi aut mihi accidet. Nam circa mensem Junium ad vos filiam mittere decrevit Illustris Pater, si in chirurgo ve-

prolapſæ, verſus ſuperiora, ita ſenſibiliter ſe inclinare & erigere conſpiciuntur; ut corporis longitudo in virgine ſtante ad duorum transverſorum digitorum latitudinem producta nunc obſervetur. Lenta tamen erit hæc, & forſan aliquot annorum, curatio: In qua ubicunq; mea opera Nobiliſſimæ Virgini utilis videbitur, ea ipſi ſemper erit paratiſſima. Nunquam patiar, ut durius habeatur; ſed ſemper quam leniſſimè, quantum fieri poterit, tractetur. Cæterum ut Illuſtris Veſtri Mæcenatis favori, quem ego omni diligentia & circumſpectione, benigniſſimoq; & officioſiſſimo in Nobiliſſimam Virginem affectu, ſemper demereri laborabo, me etiam atq; etiam commendes, obnixè rogo. Vale Vir Excellentiſſime, & me redamare perge ſemper tuum. Dabam Ultrajecti 30. Auguſti 1655.

T.
H. Regius.

EPISTOLA LX.

Circulationis demonſtratio in cadavere.

Thomæ Bartholino Hafniam.

QUas E. T. 7. Januarii & 18. Febr. per Parentem transmiſi, rectè curatas ſpero,

quæ in Antonii Molinetti & Petr. Marchetti anatomia obſervaveram paucis monui. Dominicus Marchettus (etſi Profeſſor non eſt) duas lectiones in xenodochio habuit 13. Martii & 14. unam de Circulatione ſangvinis, de Vaſis Lymphaticis alteram. Ejusdem opinionis cujus antea ipſum fuiſſe monui, adhuc eſt, ductum nimirum Thoracicum Pecqueti nil eſſe niſi Lymphatica Bartholini, idem de Lacteis Meſenterii ſtatuit, per Lymphatica prope Hepar, ex Hepate lympham non in Hepar chylum traduci autumat: In artubus adeſſe concedit. Sangvificationis officina erit Hepar, chylumq; per venas meſaraicas recipiet. Ductum Thoracicum in Tabula explicatum eodem tempore monſtravit, ſub nomine Vaſis Lymphatici, quia chylum in eo nunquam reperit. Etiam in humano cadavere eundem monſtravit una cum glandulis ab E. T. deſcriptis: In cane vivo eadem vice diſſecto Chylus non adfuit in Receptaculo, jamq; multi qui adfuerunt de iſto traductionis Chyli uſu conclamatum crediderunt, (monſtratum tamen eſt à Molinetto in Anatome publica chylo puro refertum) circa inſertionem in axillarem à transparente chylo candicabat. Hæc advertens, idem in catulo ſe vidiſſe confeſſus eſt.

Circu-

Circulationem in brachio mortuæ fæminæ monſtravit aqua calida per ſiphonem in arteriam ſub axilla immiſſa, & per venam Mediannam Lancetta apertam refluente. Jam demum Scribonius Largus Jo. Rhodii abſolutus eſt; In exſcribendis ſuis obſervationibus Medicis quas brevi typis mandaturus eſt, totus occupatur, quas Præceptori meo Anatomicas promiſit, necdum habeo, ab uno enim in aliud tempus differt, omnem in Pictorem culpam referens, cujus operam in figura quadam depingenda efflagitat. Sylvatici Conſilia Medica ſub prælo ſudant. Fabius Chigius Pontifex Romæ electus eſt, Alexander 7. Chiſius dicitur. Carolus Contarenus Venetorum Dux creatus eſt. Incluſas à Lyſero Verona habeo. Plura vetat tempus omni ex parte præterlapſum. Hisce cum tota familia Clariſſima, omnibusq; Amicis Deo plurimum commendatus feliciſſimè vale mihiq; porro fave. Dabam Patavii 22. April. 1655.

E. T. Diſcip. obſerv.

Henricus à Mòinichen.

EPISTOLA LXI.

De MS. Ovidii & Claudiani.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

NICOLAUS HEINSIUS, S.

FRetus ea benevolentia, qua omnino ſingulari me ſemper es complexus, haſce ad te exarandas duxi. Annus jam ferme exactus eſt cum noſter Rhodius per literas monuit, habere ſe paratum Liceti de Cometis librum Sereniſſimæ Suecorum Reginæ ab auctore deſtinatum, quem populari cuidam ſuo mox in Daniam profecturo traditurus eſſet ad me perferendum. Poſtea eundem librum ad me miſſum ſignificavit: quem tamen ego hactenus non vidi. Si latorem noſti, fac quæſo fugitivus codex aut ad me veniat, aut apud te ſervetur, dum ipſe adſim. Exiſtimo enim fore, ut Regis expeditio, quam æſtate proxima in Germaniam moliturus dicitur copiam mihi faciat ad paternos lares excurrendi. Obiit enim ſenex noſter: ut neceſſitas mihi incumbat curandæ rei familiaris. Bibliothecam ejus auctione publica diſtrahendam fore opinor poſt menſes quatuor aut quinq;. Illuſtriſſimum Sefeldium à Lundio codices manuſcriptos multos emiſſe audio, inter quos Ovidii & Claudiani non-

nulla

nulla extent. quid ſit rei, ſi potes, des operam peto ut cognoſcam. Fiducia enim utendorum exemplarium erectus illorum iter per Daniam molirer, Lubecam alioquin recta navigaturus, aut Gottenburgo in Hollandiam. Plurimum hoc officio me demereberis. Regiæ clientelæ jampridem me ſubduxi, cum Respublica noſtra Reſidentis in hac aula ſui provinciam mihi detulerit. Viros Eximios fratres tuos, Bangium, Langium & Beringium, cæteros mei ſtudioſos officioſiſſime ſaluto. Vale, Vir Celeberrime, mihique, quod facis, favere perge. Dabam Holmiæ. prid Non. Majas. cIↃ IↃc LV.

EPISTOLA LXII.

Harvei dubia de Thoracicis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QUoties tui nominis memoriam repeto, toties ſævit tacite conſcientia, quod ipſum pro nomine non viſus ſum vindicare. Londini id etiam Harveio indicavi, qui te æſtimat, maxime de re literaria meritum, ſeq; ut qui pedem in cymba charontis alterum figit, tibi omnia in anatomia perficienda concredere, quia 78. annum ætatis attigit. Contulit

tulit amice de lacteis thoracicis, & negavit continere chylum quia non in omnibus animalibus ſit, ut avibus & piſcibus, ſed potius eſſe ſerum per vaſa lymphatica ex aliis partibus advectum. Reſpondi, quotquot fuere qui diligentiori cura, & perita inquiſivere in hæc vaſa, invenere ipſa, nec poſſunt dici viæ per quas tranſeat chylus ad hepar exceptis lacteis; aut uſus, cur ſerum id per lacteas ad cor mearet: & quod in inſectis non viderentur, ideo non negandum non dari, poſſunt eſſe analogæ? & quot partes non dantur in uno genere animantium, quæ ſunt in alio? ut autem neceſſaria deficiant nunquam credam, quamquam oculos ſubterfugiant, & manus. Entius multa mihi etiam retulit, & in primis eſſe alias vias per quas nutritio fieret quam arteriæ, cui ego objeci, manus eſſe oculatas, tamdiu à recepta opinione ſtandum, donec meliora docuerit inſequens ætas: & non omni ſanguine nutriri partes quasvis, ſed ea parte ſanguinis, quæ pinguis maxime eſt, & ex nupero chylo confecta. Subtricuit ad hoc & neſcio quibus ambagibus pervenit ut objiceret, lumen non eſſe eſſentiale quid ſanguinis, ſed eſſe vibrationem aëris, de quo ego multa interſerui, & cauſam ſolem admiſit, ſed per

quam

quam rationem nequivit dicere. Hobbes novum elementare philoſophicum edidit, & Epicurea principia maxime ſecutus, omnia referens ad corpus & motum, quæ vim aliquam videntur habere. Alias paucis exceptis, medici non videntur digni alloquio, quia pauci latina percipiunt, nec de ſuis rebus interrogati reſpondent. nilq; quod rebus meis poſſet eſſe utile, invenio, ideo Oxoniam propero ut illic aliquot ſeptimanas ſubſiſtam, ſtatim ad Italos tranſiturus, & quemnam locum maxime meæ praxi convenientem putaveris eſſe, precor perſcribas; Segerus ſuas ſedes etiam mutabit. Sed quorſum cõceſſurus eſt, hæret in bivio forſan ad Batavos, pœnitet ipſum qvod neſciverit te anatomicis ulterius incubiturum eſſe ſtudiis, alias manſiſſet. Si placuerit ſcribere Harveo, me diligentiſſimum & fideliſſimũ exhibitorem experieris; conciſe loquitur latine, & miror quod in ſcriptis ſuis id neſciamus. Vale Salveq; & ſaluta Excellentem Fuiren. Londini 17. Junii 1655.

Magnif. T. H. S.

Martin Bogdan.

EPISTO-

EPISTOLA LXIII.

Pro Venis Lacteis ad Harveum responsio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

SEro, sed summa cum animi voluptate Tuas plusquã amœnas accepi responsorias, quib9 mihi nil magis gratum acceptumve scito. Plenæ non tantum sunt amoris infucati, sed & solida dubiorum resolutione refertæ & turgidæ, atq; eapropter digniſſimæ, quæ responsionibus tuis limatis & politiſſimis ad Riol. addantur. Harveio respondi pro nuper, me etiam atq; etiam mirari, quod lacteum humorem in venis mesaraicis contentum, casui adscribat, qui tamen in omnibus perfectis animalibus, & semper, positis nempe requisitis necessariis, adsit. Ab adipe vero diversum esse scripsi, quod in mortuo cadavere dispareat potius, quam congeletur. Nec obstare quod Veteres lacti pus congener dixerint, atq; instar puris chylus hic generari videatur: Cũ Empedocli & veteribus sermo fuerit de mammarum lacte, & in super Cous latè loquendo lib. de al. coctionem corruptionem dicere videatur. Lac vero mammarum & lacteum humorem mesenterii differre, me judice, sedibus, officina, usu, fine; atq; externum colorem vix sufficientem esse. Dari autem

tem venas lacteas, probavi oculari demonſtratione. Contentum vero liquorem chylum verum & germanum eſſe, quod præter hunc nullus humor ex inteſtinis educatur. Nec obſtare diverſitatem vaſorum allegatam; omnes enim colligi ad plexum illum in Meſenterii centro, atq; ſurculos plures paria præſtare cum trunco aliquo; nec opus eſſe, ut omni tempore appareant, cum jugi ſpirituum effluxui non chylus ſed ſangvis ferat ſuppetias. Chylum præterea alium eſſe ventriculi & inteſtinorum: alium in lacteis contentum; hunc ſemper albeſcere: illum vero non raro luteum, viridem, nigricantem & fœtidum inſuper eſſe poſſe. Deniq; chylum extrema venarum meſaraicarum veterum oſcula, ſubclaviarum modo, ſubire & ſangvine miſceri, non poſſe credi, quia autopſia & ligatura repugnant. Hæc & ſimilia ad Nobiliſs. Harveium dedi, cujus reſponſiones Excell. Tuæ ſi accepero, remittam. Tu vero omnia penitius in tuis excutis, ut quod nunc addam, non habeam. Ruminabo tamen cuncta furtivis horis diligenter, & proximè ad ſingula reſpondebo, ſi quid dignum reperero. Hæc hac vice ad Tuam Excell. reſponſi loco exarare volui, cum voto ut vivat, valeat & floreat in Neſto-

reos

reos annos. Interea magnam mihi faceret gratiam, si nundinis instantibus Francofurtensibus per Dn. Hauboldum communicaret disputationes & alia exercitia Academica Vestræ Scholæ Regiæ. Pretium lubens persolvam. Desidero etiam è scriptis Tuis Aneurismatis historiam, de Unicornu Observationes, Animalium Lucem, Collegium Anatomicum. Pretium cum Gratiarum actione perlubens solvam. Vale Vir Excellentissime & favere perge. Darmstad 16. Julii 1655.

T. addictiss.

Jo. Daniel Horstius.

EPISTOLA LXIV.

De Lacteis ad uterum.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

JOANNES CLAUDIUS De la Couruce S.

IN ea incidimus tempora Vir excellentissime quibus Democriti genius hominum vecordiæ supinæq; ignorantiæ jamdudum pertæsus erupit tandem è puteo: frustra laboravit peripateticorum cœtus ut hujus atomos exploderet, has nostra vindicat ætas agnoscetq; puto quam

quam temerè irriſerit antiquitas ſapientiſſimi viri ſententiam qua voluit in utero fœtum per os alimentum ſumere. Ita eſt mi Bartholine erravimus in via communi dum mens præoccupata ita adhæſit authoritati & ſenſui ut nullum reliquerit locum rationi. Putarunt pleriq; omnes maternum ſangvinem à fœtu per vaſa umbilicalia attrahi; cum verè per hos ductus ſuum proprium expellat ſangvinem perfectusq; in utero fœtus alatur in utero ut extra uterum per os, quam veritatem non ſatis mirari poſſum tamdiu latuiſſe cum naturæ rimanti miſteria primum ſe offerat illud detegendum convincatq; autopſia & ratio, nuper ad me delatum eſt opuſculum Lugduni Batavorum excuſum cujus titulus eſt meſſis aurea triennalis, ibi continentur experimenta anatomica nova Pecqueti, Thomæ Bartholini hiſtoria de Lacteis venis, & Olai Rudbeck obſervationes variæ anatomicæ, hoc opus legi ſumma cum admiratione, ſed potiſſimum arriſit hiſtoriæ tuæ caput decimum quod ſic habet: Diſtributionem ramorum Lacteorum ex glandulis hiſce novis Lacteis in abdomine ſupra pertexuimus, an autem ad uterum quoq; deriventur, in prægnantibus fieri debet experimentum, dubitare non auſim quia Hippocrates

L. de nat. pueri Lac in uterum confluere monuit nempe ſuccum alimentorum candidum.

En Vir Excellentiſſime quibus moveor tibi ſcribere & opuſculum mittere ratus tè quoq; Democrito aſſentiri, nec illud ingratum tibi fore quo principem magnum tueor tueri: nihil moror vulgi tumultus & cachinnum rudentium quibus non ſcribo ſed his tantum qui meliori fato ſubeuntes naturæ penetralia de meis æqvum ferent Judicium. Tuum vir doctiſſime ſummoperè expeto & expecto ſollicitè, id gratitudinis & benevolentiæ ne deneges ignoto quidem tibi ſed tuæ ſapientiæ tuorumq; meritorum non inſcio. Vale Verſaviæ 20. Julii anno virginei partus 1655.

EPISTOLA LXV.

De nutritione fœtus per os.

Jo. CLAUDIO de la Courveé Varſaviam.

PRo erudito libro plurimum Tibi debeo, quem avidè perlegi totum, propter argumenti præſtantiam, quod tam ingeniosè tractas, ut parum abeſt quin in Democriti ſententiam nos pertrahas. Quantum percepi, fœtum perfectū ſolo colliquamcto nutriri per os probas, imperfectum, ſimplici cōcretione alimenti

in

in quo natat, nec unquam sangvine materno ali per vasa umbilicalia, quæ solum exportare ex fœtu ad placentam sangvinem suspicaris, & ita *Hippocratis* partes deseris, & *Harvei*, & utriusq; inventa ex ingenio auges & diffundis. Quanquam verò multum lucis Nutritioni fœtus afferant quæ magna specie veri commentaris, apud me tamen adhuc duo dubia supersunt, quæ accuratius pensata difficultatis plena sunt. Imperfectus fœtus quo modo sola appositione increscat instar lapidis, aut corporis inanimis, difficile concipimus, siquidem anima vegetativa & sensitiva polleat. Vasorum umbilicalium diversitas magnum scrupulum injicit. An vena quoq; ex fœtus corde sangvinem efferat? Id venarum nativo officio repugnat, & pressa vena umbilicalis in funiculo humorem facilè ad fœtum sinit permeare, difficulter ad placentam, quod experimentum non semel feci. Sed dubiola sunt, quæ experientia certior solvet, quam à Te hisce curis ad publicum bonum intento expectamus. Si ex voto successerit, præclaris conatibus tuis meritisq; applaudam, & in eam sententiam deveniam, non fœtum tantum, sed editum hominem eodem modo, chylo solo, nutriri. Nam sangvis quidem alluit omnes

partes, & nutrire ſolus creditur, ſed in ipſo ſangvine particulæ quædam ſunt, quæ chylus eſt, quibus particulis nutrimur. Non negandum ſangvinem nutrire; ſed quia diverſas ſangvis habet particulas, ea parte tantum alendi potentiam habet, quam chylus conſtituit, quem ſangvini miſceri nuperæ noſtræ Lacteæ Thoracicæ oculatam fidem faciunt. Certè mirum mihi ſemper viſum fuit, quare ſine cibo & potu diu vivere non poſſimus, qvum tamen ſangvis abundet in corpore, nec ita abſumatur, ut ejus defectu deficeremus, ſi nutriret ipſe. Unde forſan à munere nutritionis deſiſtit, ſi chylus detrahatur, qui utramq; hic paginam facit. Sed hæ conjecturæ ſunt, quas doctis aliis, Tibi inprimis, ſubmitto. Quæramus interea vias chyli ad uterum, quas dari certus ſum, quanquam demonſtrari ad oculum necdum poſſint. Nihil intentatum reliqui, ſed hactenus ſucceſſus non reſpondit, niſi acquieſcere velimus *Harvei* placitis. Sed eadem manebit difficultas. Quærimus enim unde carunculæ albumen trahant, quia lacteæ conſpicuæ in illis non apparent. Quod ſi ex ſangvine ſuccum illum concoquant, rectius chylum ibidem ſeparari dixerimus, quem ſangvini mixtum jam jam diximus. Tu, Vir

cele-

celeberrime, ſingula expende, porrò de Republica Medica benè mereri perge, & me tui amantiſſimum ama. Vale. Hafniæ 3. Octobr. 1655.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LXVI.

An Diabolus in ſubſtantia malus.

AMBROSIO RHODIO Chriſtianiam.

SUmma cum voluptate legi nuperas tuas literas plenas vett. amoris & officii. De perennante illibato affectu, merito mihi gratulor, & renovatam qs. amicitiam ambabus ulnis cum gratiarum actione amplector, & conſtanter tuebor. Male tamen ominor, ignoſce joco, quia à Dæmone literarum commercia auſpicaris. Apud Oneirocriticos nigrum corvum in ſomniis vidiſſe, mala portendit. Quid de tenebrarum Duce ſtatuendum, ipſe divinabis? Cæterum eo fine Philoſophamur de malis, ut ea fugiamus. Controverſia quam moves de Malorum Angelorum ſubſtantia, bona ne ſit vel mala, tanti non videtur, ut multum illi inſudemus. Vix no-

minari malus ille ſpiritus meretur, multo minus impetrabit, ut tempus illi prolixum concedam, qvum plurima ſuperſint & in Divinis & Arte Medendi, quæ pro ſalute mortalium curioſius & utilius deberent inquiri. Ut tamen brevibus Tibi amiciſſimo mentem meam aperiam, ſciendum eſt ex Theologis ſeu ſacris monumentis in hac materia diſputãdum eſſe, quorum ductu malus ille ſpiritus nobis innotuit. Oraculum eſt in Geneſi: Omnia quæ fecit Deus, erant valde bona. Si omnia bona quoad ſubſtantiam, quomodo ſalvo ſubjecto eademq; manente ſubſtantia tota immutabitur & in contrariam vertetur. Deus quievit ab opere, nec amplius ſive bonos ſive malos procreat. Ipſi autem Dæmones ſuam ſubſtantiam transmutare non potuerunt, quod Divinæ decederet potentiæ, quia nec pediculum poſſunt creare. Nec Deus malorum, qua mali, autor eſt aut fuit. Igitur ſiquidem Dæmones creati ſunt, à Deo erunt creati, non mali, ſed boni. Dei autem creaturam nemo poteſt in ſolidum transmutare, ſubſtantiamve evertere, ſed quicquid ſive à nobis ſive ſpiritibus mutatur, extra ſubſtantiam eſt, in iisq; conſiſtit, quæ à noſtra voluntate & poteſtate dependent. Quid autem in malis ſpiritibus ſit muta-

mutatum disertis verbis tradit Divinus codex. Joh. 8. v. 44 dicitur Diabolus non perstitisse in veritate. Veritas autem à substantia bona vel mala non dependet, alioquin totiens nostræ substantiæ immutarentur quotiens mentiendi occurrit occasio. Et notandum est, in eodem textu Judæos mendaces vocari filios Diaboli, non quod creati sint ab illo, aut quoad substantiam immutati, sed quia in mendacio Diabolum sequuntur. Igitur mendacium cui assuevit Diabolus non magis substantiæ illius bonæ adversatur, quam Judæorum, quos bonos fuisse naturaliter, ut Philosophi loqvuntur, nemo iverit inficias. Nec in Epistola Judæ v. 6. ulla substantialis mutationis fit mentio. Dicuntur ibi non custodivisse propriam ἀρχὴν originem sive Principatum, ut vulgatus Interpres, Lutherus & nostra versio habent. Principatus vero non substantiam respicit, sed dignitatem, sed officii splendorem, unde deseruerunt proprium domicilium h. e. quum ante in Dei conspectu ministrarent, jam in abyssum detrusi sunt. Quemadmodum vero Princeps Philippi Hisp. Regis Minister Comes Olivarius perpetuo carceri adjudicatus, in substantia bonus esse non desiit, quanquam dignitate sua exciderit in perpetuum, ita

nec malus ille quem nominare totiens nolo. Lacteum illud eloquentiæ os Lactantius nihil diversum sentit, creatum enim esse utrumq; & Bonum & Malum à Deo in principio; sed in altero indolem Divinæ stirpis non permansisse. *Itaq; suapte invidia tanquam veneno infectus est, & ex bono ad malum transcendit, suoq; arbitrio, quod illi à Deo liberum datum fuit, contrarium sibi nomen adscivit.* cap. IX. de Orig. Err. A negata vero aptitudine ad recipiendam gratiam Divinam, quomodo totalem substantiæ mutationem inferre possis non video. Oppono brutorum genus, quæ sine suæ substantiæ mutatione à cœlestibus excluduntur. Addo homines, qui peccato in Spiritum Sanctum commisso, nullam beatitudinis habent spem. An hinc alios hos esse homines, quam fideles suspicabimur? Nec effugere poteris difficultates de peccato Originis Flaciano, quia ex Philosophorum decretis, magis & minus non variant speciem. Cum Origene tibi res erit, qui l. 1. de prim. c. 6. Dæmones posse redire ad statum beatitudinis probat, adeoq; ex Tua hypothesi totaliter non esse quoad substantiam corruptos. Suæ sententiæ fundamenta desumit 1. ab infinita Dei misericordia, qua salvari possunt, 2. à justicia Dei,

quæ

quæ violaretur, ſi hominum miſereretur, non Angelorum, 3. quod Diabolus quandoq; edat bonum aliquod opus, in ſignum ſeqvuturæ converſionis, ſic edit Marc. 1. 24 confeſſionem de Chriſto. Quid quod nonnunquam Dæmonis opere multi curentur à morbis. Sed hanc litem meam non faciam. Nimis multa de hoc egi, qui ne lineolam meretur. Malo eredere malum eum totum, quam de illo diſputare. Non malus eſt, ſed peſſimus. Nihil dicam de animarum noſtrarum inſidiis, quæ ad Theologos ſpectant. Etiam corpora mortalium variis morborum generibus infeſtari à Dæmone, notius apud nos eſt, quam ut probatione mea indigeat. Huc rectius ingenii noſtri cenſus conferimus qui artem ſervandi homines profitemur. Tuum inprimis hic judicium exquiro, Vir Clariſſime, an credas naturalibus remediis hujusmodi morbos profligari poſſe, & quibus? Multa dici poſſent, & multa de hoc argumento in mentem veniunt, quæ ad tuum reſponſum differam. Nam paucis Tibi prius reſpondere volui, non ut Magiſter Diſcipulo, ſed amicus amico, & ad quævis officia ſemper paratiſſimus. Vale, mi Rhodi, & diu feliciter vive. Scripſi raptim Hafniæ 25. Aug. 1655.

T. Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LXVII.

Controverſiæ Gallorum de Lacteis Thoracicis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

JAm dudum eſt ex quo de Te nihil accepi literarum, nec audivi, præter hoc unum, Te nempe propter peſtilentiam, Hafniam reliquiſſe, quæ vobis totiq; orbi literato rapuit Virum Optimum *D. Olaum Wormium*, ante annum. Quid egeris ab illo tempore, planè ſum neſcius, nec tamen dubito Te aliquid egiſſe: Scribe ergo ut ſciam, imò ſi fieri poſſit, etiam mitte quod ſcripſiſti. De *Venis Lacteis Thoracicis*, & *Hepatis funeratione*, inter *Pecquetum* & *Riolanum* adhuc viget controverſia: Riolanus noſter vivit & valet: ecce ad Te mitto per D. *Garmer*, Doctorem Med. Hamburgenſem ejus librum quem noviſſimè ſcripſit adverſus *Pecquetum* & duos Pecquetianos Doctores Pariſ. *Mentellum* & *Merſennum*: neglectis atq; ſpretis, tot convitiis & contumelioſis verbis, à quodam deſertore, qui ſe Alethophilum nuncupavit, inſolenter & temere pronunciatis. Is eſt Samuel Sorberius, olim Calviniſta, tum Medicus, poſtea Gymnaſiarcha, tandem Eleemoſynarius Epiſcopi Agathenſis. Libellum alterum adjunxi,

Rotho-

Rothomagi editum,& *Mantello* dicatum: quem tanquam ineptum ſprevit Riolanus; qui tamen Pecqueti bilem commovit,& in quem ſcripturus dicitur: ejus authorem tacitum faciunt *Mantellum Riolanus & Pecquetus*: uterq; Mantello iratus: *Riolanus* nempe propter tot convitia: *Pecquetus* verò quod videat in illo ſibi iniquè detrahi gloriam ſui inventi, ut in *Mantellum* transferatur. De eadem controverſia etiam adhuc aliquid agitat *Car. le Noble* Medicus Rothomagenſis. Hic eſt ſtatus controverſiæ, in qua diſcutienda tot Viri hodie non perfunctorie occupantur. Ego verò extra caſtra poſitus aliud ago, de belli iſtius eventu ſecurus. Horis meis ſubceſivis *Prælectiones Medicas* compono, quas poſſim hyeme proxima recitare meis Auditoribus, in aula *Cameracenſi* Regia, loco D. *Riolani*, qui volente Rege, Provinciam illam ſuam mihi commiſit. *Gaſſendus* noſter, qui ſummi Herois veſtratis Tychonis Brahe vitam deſcripſit, peſſimè hic haber, ab inflammatione pulmonis; ex eaq; in majore periculo verſatur, quod abhorreat à ſangvinis miſſione, quæ in tanti morbi curatione principem locum tenere debet. Hîc inchoatur nova editio *Enchiridii Anat. & Pathol. D. Riolani*, quarta parte adaucti, & multis locis

locis locupletati, in 8. De fratre tuo *Erasmo Bartholino* per Italiam peregrinante, nihil à 4. menſibus aliud audivi quam quod Florentiam perveniſſet. Utinam vivat & valeat, Tu quoq;, mi Cariſime *Bartholine*, Vale, & me ama. Pariſiis 12. Sept. 1655.

Tuus in æternum
Guido Patinus, Bellovacus, Doct.
Med. Pariſ. & Prof. Reg.

EPISTOLA LXVIII.

De Lymphæ Uſu,

THOMÆ BARTHOLINO. Hafniam.

DEfenſionem tuam contra Riolanum accepi, & legi: Gratulor Tibi & veritati; Tibi quidem qui par congreſſus Achilli es: Illi vero quæ dignum te ſui Patronum invenit; Et Gratias vero debeo quoq; Riolano eo ſcilicet modo vult Philoſophus lib. 2. Metaph. c. 1. Οὐ μόνον γὰρ χάριν ἔχειν δίκαιον τούτοις ὧν ἂν τις κοινωνήσαι ταῖς δόξαις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐπιπολαιότερον ἀποφηναμένοις. Καὶ γὰρ ὅτι συμβάλλονται τι τοῦ γὰρ ἕξιν ποιῆσαι ἡμῶν. Nam, ut addit, idem illic Philoſophus, ſi Phrynis

nis non fuiſſet, antiquam Muſicam in mollio-rem modum non mutaſſet Timotheus. Et ſic item nec Bartholinus adeo egregie de Vaſis Lymphaticis & Lacteis per multas lucubrationes commentatus eſſet, niſi ineptiviſſet prius Riolanus. O quam miſeret me tanti Anatomici! quam proſtituit temerè famam ſuam Emeritus Profector! Optarem illi, nunquam dixiſſet vaſa in Meſenterio lactea Meſenterici rami; Thoracica venæ portæ propagines eſſe. Quam indigna iſtæc Experientiſſimo Viro ſententia eſt; Quam præterea in plurimis delirat Senex! De cæteris vero quæ procaciter adverſus tuam famam egit, & in ſcripto effutivit, egregiè profectò male ſanam linguam & manum ejus plectis. Gravis hæc illi pœna Defenſio, eaq; major, quam pertulit Lycambes: Absq; jambo tamen tu reſpondiſti; Et ſic

Troes Rutulis reſponſa remittunt.

Gliſſonii Anatomiam hepatis vidi, obiter tamen nec totum perlegi: De vaſis lymphaticis addit, nec tamen dignam tuis meritis mentionem circa hæc adjeciſſe vidi: Lympham ex nervis quod derivat, idem non ex fonte videtur facere; Eſt enim limpidior & tenuior ille liquor, quam ut ſimilis ſit de nervis exeunti; Quod uſum quoq; huic lymphæ

deſignat

desiignat novum, in eo ferè servare institutum videtur, quod in re dubia solent homines Variè enim conjectant, sentiunt & dissentiunt de Natura, cum paulo saltem se à sensibus nostris subtrahit, etsi ne tunc quidem cum oculis eadem manifestior sese subjicit, res omni disceptatione careat. Scilicet idem, ut videtur, hominibus in homine evenit, quod usu solet Rusticis aliisq; Imperitissimis qui artificiosum aliquod, multisq; partibus absolutum opus, ignari omnium contuentes, variè de partium usu sententiis inter se certant; hujus particulæ hunc esse usum ille, alius alium dicit; ita omnes magis dubii, admirantur rectius quam perscrutantur artificium; Sed quo tamen sagacius cujusq; ingenium est, & cum aliquâ experientia propius conjungitur, eo certior habetur conjectura. An non vero eodem jure Anatomici quoq; alicujus de partium usu judicium præferam ἐν μικρῷ κόσμῳ? Qui ergo à te possim hic Clariss. Bartholine non stare, cum chylo diluendo destinari hanc lympham recte scripsisti, qui chylum & lympham per vices ex receptaculo in ductu thoracico commeare tecum vidi? De Nutritione per nervos quæ suspicatur idem Glissonius, ea ingenium ostendunt, non vero Naturam apertam & veritatem.

Post

Post circulationem inventam solis arteriis munus deferendi partibus alimenti defero, quod (alimentum) vicissim à corde & chyliferis ductibus illa mutuo accipiunt; Quicquid autem arteriis excidit, id in carnem, adipem, cutem, nervos aliasq; partes quæ nutriuntur, sic sic dispergi puto & per laciniam aliquam liquor, quæ una saltem parte illum bibit & tota irrigatur; vel ut per terræ poros & meatus latè ab una exili vena tanquā fonte exit aqua terramq; irrigat. Cum vero non semper partes totum quod advexerunt arteriæ alimentum insumant, neq; etiam per naturalem ἀπόῤῥοιαν totum possit semper effluere, remeare à partibus alimentum per vasa lymphatica ad venas & cor conjicio; Ab hoc fonte lympham, rorem illum corporis nostri benignum & balsamum naturale arcesso; Sed objiciat quis: cur de jecinore tanta copia præ cæteris partibus remeat illud alimentum? Fortasse ut in pancreate depuretur, rejectis in ductum Virsungianum fecibus, & quod chylo diluendo in mesenterio tanta copia requiratur lympha. Sed jam audisti judicium, quale solent in re simili homines de quibus dixi, subigendis glebis exercitati; plura non audeo coram tanto Censore & Magistro dicere, Courvei Medici Poloni,

Poloni, de quo ſcribis, opinio non παράδοξα ſolum illa mihi ſed & mira videtur; quis credat vaſa umbilicalia nihil ad fœtum deferre; non vidi Autorem illum neq; rationes ejus quibus nititur expendi, Gratias autem tibi habeo qui anſam præbes perquirendi; in umbra enim hic vivo, ad quam nulla lux penetrat, niſi quam tu oſtendis. Perſiſte quæſo in propoſito & ſi quando lux nova allucet huc reflecte radium aliqvem. Dn. Langelotius de nova quadam ſcituq; digna obſervatione ſub monuit, certitudinem vero Lipſia expectabat, binis tuis literis propediem reſponſurus. Gratias illi pro præſtito officio tibi delego referendas, & quod tibi debeo ad Deum votis tranſcribo; ille te cum omnibus tuis feliciter ineunte hoc anno annare & perennare jubeat. Vale Vir Clariſs. ut diu magno Medicinæ commodo ſuperſis & me ames: iterum Vale. Scribebam Huſii Tertio Kalend. Jañuar. Anno 1656.

T. Excell.

obſervantiſs.

Jacobus Holſtius.

EPISTO-

EPISTOLA LXIX.

De Riolano, & Lymphæ natura.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

MARTINUS BOGDANUS.

PRopoſitum nunquam fuit Pariſiis præſenti hyeme vivere, quam Iberiæ deſtinaveram: Cum tamen iſtud iter poſt te quivis in Anglia etiam diſſuaderet, & mente quidquid ſuſcepi contra num & mihi impedimento eſſet, ſenſi Galliam denuo adere utile eſſe, & voluptas etiam acceſſit. Nec pœnitet me ſuſcepti, à quovis doctiſſimo quam vis comitatem experior. Rotomagi Guiffartus erga me quemvis ſupra votum candorem expreſſit. Gloriatur quod ſibi non viſo ſuppetias contra Riolanum tuleris, & eosdem fere nervos intenderis. Le Noble *μυοτομια* in corpore humano me adhibuit, & ex mea encheireſi in hoc labore, & Vaſorum Lymphaticorum demonſtratione te miratus eſt Magiſtrum, meq; percontari deſiit iſte *μεγαλαυχής* an ipſe diſſectioni navares operam. Patinum heic Lutetiæ ſalutavi qui antequam cognoſceret me ex Anglia venire, mirabatur cur mihi à te deeſſent litteræ, aut Apologia tua contra Riolanum. Ad hunc me extemplo duxit Junior Pa-

tinus, primumq; iſte capularis comis erga me fuit, ſed cum noviſſet me ex tuis diſcipulis eſſe, & maxime lymphatum ob apologias oblatas, lineas indigitavit quas contra me ſcripſit in reſponſione oblata ad Pecquetianos. Cur autem me autorem negaret mei libelli, & Rudbeckum judicaret Profeſſorem reſpondit: Id habeo ex Bartholini moribus, & tui antagoniſtæ reſponſo. Miror quod Bartholinus nondum transmiſerit contra me ſuam apologiam, quam præterito anno vulgavit Francofurti, & adhuc fere hebdomatim Dani ad nos veniunt. Addidit infinita convitia contra tua lymphatica, quaſi figmenta nulliusq; uſus; Quantum licuit ob venerandam ſenectutem & alios labores ad hanc injuriam reſpondi. Enchiridion Anatomicum auctius evulgat. Mantelius quod tibi ob aliqua negotia non reſcripſerit veniam precatur, & ut ſemel ſuſceptam amicitiam continues; dixit ſe in optimo loco tuas literas ſervare. Monſtravit quem librum tuus Frater græce & latine cujusdam ex antiquis opticis editum Patavio transmiſerit. Maximo favore me iſte vir proſequitur, & quemvis amicitiæ characterem offert. Quantam etiam injuriam Riolanus iſti inferat in controverſia de Typographia, teſtantur teſtimonia publica ex

Ger-

Germania transmissa, quæ simul mihi monstravit. Pecquetum heri conveni, cumq; ipso de variis colluti sumus, inprimis de Bourdelotii literis Holmia ad ipsum scriptis, in quibus affirmat: Se primum divulgasse Pecquetti inventum in Suetia nec quidquam novi præterea percepisse. Opusculum idem Pecquetus fere confectum etiam ostendit de sero scil. sangvinis seminis aquæ Pericardii, lymphæ chyli urinæ sudoris, & humoris quo fœtus in utero nutritur ex Harvei opinione: quod ipse negat, quod à calore externo non densetur (velut sangvis qui materia nutritionis est) ergo minus id fiet in fœtu, cujus minor est. De ista re per integram horam certavimus, & ex suis discursibus sagacem anatomicum ipsum esse deprehendi, & eruditum, quidquid etiam in contrarium afferat Riolanus. Lympham acidam statuit, & plurimum ipsius per canalem Virsungi ad duodenum devehi, eamq; omnem & ubiq; acidam esse, & incentivum sanguinis, ut ipsi majorem colorem tenuitatem adderet. Eadem vero necessitate Vasa Lymphatica à natura instituta ut tenuiorem sanguinis partem recipiant, veluti venæ quæ crassiorem elutriatam sanguinis partem revehunt. Plura de nervis eaq; curiosa addidit, & sapa

(ſaueè) quam tantum nutrire aſſerit, & ubique in partibus ſub glutinoſa materia animadverti, præcipue circa fibras muſculorum. Affirmavit ſe ad te ſcripſiſſe & ſimul ſua opuſcula tibi dedicata transmiſiſſe, nullamq; reſponſionem obtinuiſſe; & an grata fuiſſent, quæ in futurum & majus obſequium teſtandum obtulerit. Magni te facit, ſeq; tibi ubivis commendat & in quavis re. Le Corbe de fœtus nutritione in utero per os edidit libellum, quem tamen nondum vidi, nec alia ſcio, quam quæ Waſſier retulit, ſcilicet præterea quæ in Hippocratem Martianus, & Harveius de generatione Animalium commentatus eſt, fere nil habere, niſi ſupervacua. Ego fere ad finem perduxi opuſculum, in quo probavi Methodicorum ſectam inſtituiſſe Hypocratem, nec aliquid de intemperiebus ſcripſiſſe, ſeriemq; medicinæ ab Adamo repeto, & quæcunq; alia Alpinus omiſit ob ignorantiam Atomorum inſerui. Saluta tuos nobiliſſimos conſanguineos magnos, cum tua familia in æternum, mihique fave. Lutetiæ Pariſiorum 1656. 14. Januarii.

EPISTO-

EPISTOLA LXX.

Lymphatica in variis demonstrata.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

FRetus Tua facilitate Vir Excellentissime, commissam in scribendo negligentiam levioribus aliquot negotiis excusari spero, quibus impeditus, nimium ac prærer voluntatem ei indulsi, donec favente Numine ad finem perducta prima hujus anni anatome me assistente ab Exc. Antonio Molinetto administrata, mei demum juris sum factus. Pauca occurrebant relatione digna, nisi quod Pulmonem in 5. lobos divisum offenderimus, quod & ipse in fœtu humano in ædibus meis privatim dissecto vidi præsente Fratre Tuo Clarissimo. In dextro latere pleuræ ita firmiter annectebatur & Diaphragmati, ut sine dilaceratione divelli nequiverit. Musculus Psoas minor publice monstratus est, ab insertionis differentia communem huic cum Majore usum modestè negavit exc. Molinettus. In fœtu manifestius observavi desinere ipsum in commissura Ossium Pubis & Ilei, ad femur excurrente majori. Honorifica Præclarissimi Bartholini mentio sæpius fiebat, inprimis in demonstratione Capsularum Atrabilariarum, ubi facilis

admitteret uſum iis adſignatum à Patre Tuo p. m. niſi valvulæ venarum Emulgentium quas oſtendit, aliquam ipſi difficultatem parerent. De Hepate agens lacteas ad jecur tendentes in Cane Vivo publicè monſtraturum ſe pollicitus eſt, ſed negotium ex voto non ſucceſſit, nam Canis, quem Conſiliarii Anatomici ipſa qua diſſecabatur hora inventum nobis dederant, paſtus non erat, unde præter tres vel quatuor ſubtiles albicantes venulas in Meſenterio nihil advertere licuit, quin & ipſe thoracicus ductus exilis adeo fuit, ut cum ſumma difficultate in dextro latere infra Cor apparuerit, me fruſtra quærente ulteriorem ejus productionem ad axillarem. Lymphaticorum inventionem T. E. non ſine encomio aſcripſit, quæ eodem tempore monſtravit, ſed ſatis obſcura. Vix prope Hepar conſpiciebantur, nec niſi leve aliquod ipſorum veſtigium in pede cernebatur. Succeſſus parum proſperi cauſam partim in Auditorum feſtinationem refero, qui moræ impatientes dimiſſionem optabant, partim in torturam, qua ſub cultelli acie diu ſatis torquebatur, partim in candelas, nam & ipſe antea locum ſolis radiis patentem huic negotio aptiorem proprio exemplo didici. Circa ſubclavium & Iliacos ramos in hominibus

pri-

privatim vidi Lymphatica Vasa, Fratriq; Tuo Optimo monstravi. Glandulæ Lumbares conspicuæ magnitudinis erant in corpore Hectico, quarum cum Lymphaticis commercium manifestè videbatur. Hectici hujus Mesenterium computruerat, omento penitus absumpto, ingentiq; aquæ ad viridem vergentis quantitate in Abdomine collecta. In privata dissectione hac hyeme duplicem in Pancreate ductum vidi, monstraviq; Cl. Molinetto, duplici insertione interstitio 2. digitorum à se distante in Duodenum tendentem. Si Marchetti Anatome novi aliquid parturiat, statim referam. His vale cunctisq; Amicis officiosissima nuntiata salute, mihi porro favere perge. Raptim 18. Febr. 1656.

E. T. Discip. observ.

Henricus à Mòinichen.

EPISTOLA LXXI.

Morbi ex vitio Lacteorum, & de Lymphaticis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

NUper hic in Anglia novus iterum morbus exortus est, ubi ægri in lumbis ac præci-

puè ubi receptaculum (ſ. glandulæ lacteæ) ſitum eſt ingentes dolores percipiunt : deinde etiam in Meſenterio, (ubi in nonnullis ſentitur) dolor vehemens percipitur, accedit ventriculus vitioſus & ciborum faſtidium: nonnulli ægri mania item laborant, nonnullis loquela deficit: quæ cauſa ſit vera hujus mali, hactenus ignoratur; Medici interim curam inſtituunt alii per venæ ſectionem & clyſteres, alii per vomitoria & purgantia, alii dicunt, malum eſſe in renibus & tanquam calculoſos ſanare ægros contendunt, alii conjiciunt Tumorem eſſe in Epate, alii in utero (in fæminis) alii in Ventriculo, alii dicunt ægros laborare amore inſano, quia Maniaci reperiuntur. Verum enim verò omnes ægros quos ego vidi tali morbo laborare, majores perceperunt dolores, ex venæ ſectione & Clyſteribus, vomitoriis, purgantibus &c. multi etiam ad inferos diſceſſerunt: Solus D. Klodius Hoſpes meus & inſignis Chymicus mecum ſtatim conjecit dolores hos oboriri à vitioſo chylo, corrupto prius in ventriculo poſtmodum in meſenterio acrior factus tandemq; ad glandulas lacteas deferri, ubi fortè inflammatio quædam aut obſtructio locum habet; enimvero adhibitis medicamentis in quibus multum ſalis

reperi-

reperitur, (utpote Spiritus de Cornu Cervino & Cinnab. Antimon.) de facto ægri levamina perceperunt & tertio aut quarto die convaluerunt, ex D. Klodii ægris nedum unicus qui morbo tali laboravit mortuus eſt, alias cadaver mortuum aperuiſſem; Peto itaq; Excell. Tuam, ut haud gravatim ſuum hac de re conſilium mihi communicare velit. Vidi hic Medicos qui in tali caſu Therebinthin. pilul. præſcripſere ſed infelici ſucceſſu: hic reperitur Doctor quidam nomine Jehn, qui nuper nova quædam ſe inveniſſe gloriabatur in Anatomicis, (in brutis autem non hominibus) rogavi ipſum qualenam eſſet inventum; Vaſa inquit, Lymphatica vidi ſupra veſiculam fellis quæ nemo hactenus vidit, cui ego, vidit ne Vir Clariſſimus Tractatum Cl. Bartholini de Vaſis Lymphaticis; vidi inquit, ſed ille non mentionem fecit Lymphaticorum ſupra veſicam fellis; Reſpondi ego Cl. Vir, expreſſis verbis Cl. Bartholinus deſcribit vaſa ſupra veſicam fellis, & ego ſæpius hæc obſervavi, non tantum in quadrupedibus verum etiam in avibus nonnullis; Tum ille inquit, Ego ante ſeptennium vidi vaſa hæc Lymphatica in brutis in hepate ante Bartholinum, ſed ignorabam, qualia eſſent vaſa; Cui ego. At Aſellius ante

te & Cl. Bartholinus viderunt vasa hæc, verum putarunt esse venas chyliferas, imo Highmorus vester, annuli instar circa venas depinxit vasa hæc, verum habuit pro Chyliferis, at unicus Clarissimus Bartholinus primus detexit vasa hæc & verum usum, & sic tacuit noster D. Jehn. Legi nuper caput in Helmontio de Latice seu humore à Medicis neglecto, quod admodum mihi placuit, describit enim Lympham quantum conjicio perbellè. Hic reperiuntur nonnulli Medici ex parte Helmontiani, qui ægrè ferunt quod Excell. Tua Helmontium appellet novatorem in Anatomia Reformata, & rogant amicissime, ut Excell. Tua titulum hunc delere, aut imposterum non ita illum undiq; appellare velit, ipsi autem devinctissimi erunt Excell. Tuæ & obsequentissimi. Dominus Bogdan jam apud Parisienses agit. Segerus autem ubi sit nescio. Pergratum foret hic nonnullis Mediois si Bibliopola huc transmittere velit aliquot exemplaria de Apologia Excell. Tuæ contra Riolanum, quam necdum vidi ego, item Anatomiam noviter editam. Hisce Vale Vir Excellentiss. & affectum Tuum erga me fove in perpetuum. Dabam Londini d. $\frac{19}{29}$ Februar. Anno 1656.

Tuæ Exell. q; officiosissimus

Johannes Christianus Agricola.

EPISTOLA LXXII.

De Paralysi & cæcitate ex vulnere.

Thomæ Bartholino Hafniam.

Miror equidem atq; demiror quid tandem acciderit, quod potiri ſuaviſſimis Tuis literis haud liceat: ante, quod crederem epiſtolas meas intercidiſſe, non ita vehementer angebar animo; ſed, cum minus recte curatas eſſe ultimas exiſtimare nefas putem, quid deinceps nullo recepto reſponſo ſuſpicari debeam non video, ſuper addidi itaq; hanc epiſtolam, ut ea Te commonefacerem priſci Amoris, quo Veterem Amicum & Admiratorem Tuum novo benevolentiæ documento beare non dedigneris, maximum ſolamen anxiæ ejus menti allaturus. Spero igitur me deniq; iteratis toties humilibus precibus hoc obtenturum ut vel unica lineola gliſcentem adhuc favorem in me teſtatum facias. Inaudio Te Anatomicæ profeſſioni Vale dixiſſe, non poſſum adhuc inducere animum, ut fidem narrationi tribuam, niſi idem abs Te fuero edoctus: quod ſi ita ſe res haberet, lugerem Anatomes calamitatem, quod è caſtris ejus tam ſtrenuus Dux & Imperator hoc tempore diſceſſerit, cum inteſtinis diſcordiis undiq; premitur.

Verum

Verum ſpes adhuc eſt quod non quidem ſcalpellis & inſtrumentis manualibus, ſed ſcriptis partes illius exiſtimationemq; ſis tutaturus. Sed lubet, antequam finiam, Tuum exquirere judicium de caſu quodam miro, quem nuperrimè hic obſervavimus. Juvenis quidam dum genio indulgeret, vino madidus ac Zytho, jurgiis cum ſocio exortis vulneratur in dextra mala, adacto gladio circa labium ſuperius leviſſimo certè vulnere. Hic inopinato ſauciatus in terram prolapſus eſt, ſed ſubito iterum ſurrexit ac contentioni finem fecit. Is eadem nocte oculo lævo orbatur, ut nec quicquam in hanc usq; horam eo perſpicere queat, alterius vero lateris ſ. dextri paralyſin, in qua ſenſus & motus perierat, incurrit, quæ adhibitis fomentis in pede curata eſt, ac è manu protinus depelletur, cum jam leviter moveri incipiat; in oculo vero adhuc idem ſtatus, imo naturalis quaſi ſtatus eſſe videtur, quoniam à ſano oculo externa inſpectio eum non diſtingvit; quid hic paralyſin & cœcitatem illam induxit, leviusculum ſanè vulnus tanto non polluit robore, an cum ebrietate cauſæ procatarcticæ rationem ſuſtinuit? quod maxime probabile videtur. De hoc Tuam expeto ſententiam ac cum reſponſione exſpecto.

ſpecto. Habui nuper hic diſputationem de Marasmo ut locum obtinerem in Facultate Medica, quam prima quaq; occaſione transmittam. Interea bene vale ac mihi conſtanter fave. Dabam Lipſiæ Non. Mart. 1656.

Tuæ Perilluſt. Exc. devot.

Michael Lyſerus, D.

EPISTOLA LXXIII.

De Vomica Hepatis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

REvixi iterum viſis ſuaviſſimis Tuis itemq; multo deſideratiſſimis; quæ tantò ampliori me mactarunt gaudio, quanto clarius veterem Tuum in me teſtabantur affectum, quem corrumpere conatos fuiſſe, neſcio quos ſuſurrones, delatione quadam ac ſi inventionem lymphaticorum Tibi inviderem, proh! ex eadem Tua percipio epiſtola. Subito itaq; atq; allatæ ſunt, de crimine hoc, miſſo epiſtolio, purgare me volui, ne forſan protracto diutius reſponſo ſuſpicionem aliquam animo Tuo ingenerarem, ſed potius ſi quæ eum inſediſſet eradicarem maturius, ſancte Tibi atteſtando, nunquam hujusmodi in animo meo ſubortas

fuiſſe

fuiſſe cogitationes, nec unquam mihi plus attribuiſſe, quam quod fortuna ad Muſeum meum canem, in quo primum lymphatica Tibi apparuerunt, deduxerat; qua fronte autem id mihi arrogarem, qui alioqui cuncta, quæ quidem bona in illuſtri Hafnienſi patravi, Tibi unicè debeam accepta, eaq; ſingula Te prædicent Autorem. Nunquam concedet Numen tantæ ingratitudinis me reum agi, ut immortalem hanc, Tibi jure debitam, inventi gloriam præripere aut ulla ex parte imminuere ſatagam. Juvat ergo ex epiſtola intelexiſſe, quod firmius radicatus in animo Tuo erga me Amor obtrectationibus hiscè ſeſe oppoſuerit, nec ſiniſtri aliquid de me ſuſpicari fuerit paſſus, quam exiſtimationem ut deinceps apud Te ſartam conſervem allaborabo. Sed miſſis hisce ad alia dum tranſeo non poſſum non in anteceſſum meritas Tibi perſolvere grates quod enarratione geſtorum Tuorum exhilarare me fueris dignatus. De aucta familia Tua gaudeo deq; hærede Tibi gratulor utq; patriſſet voveo. Quibus hactenus locupletaſti rempublicam Medicam ſcriptis accuratiſſimis, vidi ad unum omnia illorumq; ultimum cenſeo eſſe Spicilegium, quod & in nupera mea de Marasmo diſſertatione lauda-

laudavi. Expecto igitur jam obſervationum Centurias reliquas, quarum numerum augerem ſi quid rari inter mea annotata occurreret. Fortaſſe merebitur apponi hæc de ſuppurato Hepate, quam Venetiis notavi hiſtoria. Fœmina hebræa inflammatione jecinoris laborarat, remanente per multum tempus tumore nec remittente duritie in ſcirrhum degeneraſſe malum putabatur, ſed febris veteri & exercitato Medico ſuſpicionem ſuppurationis ingerebat. Admota ergo ſunt externe medicamenta emollientia & pus generantia ceſſitq; durities, ut poſt dies aliquot pus fluctuans in profundo ſentiretur: decernitur paracentеſis, peractaq; candenti ferramento viam puri copioſius erumpenti aperit, quod per plures dies confertim effluxit, tum Chirurgus explorandi gratia argenteum demittit ſtylum in ulcus profundius eoq; fluxionem inſignem aquæ citrinæ concitat, quæ ad tres & plures libras proruit, qua ceſſante pus iterum prodiit, duravitq; ultra annum, ſed in mediocri quantitate, reliquitq; in regione dextri hypochondrii fiſtulam. Semper mecum miratus ſum, quid in hac fæmina elaboravit ſangvinem, cum hepar fermè totum in pus abierit & ægra nihiloſecius ſuperſtes remanſit. Similem

vomi-

vomicam hepatis ferro aperiri vidi Romæ, sed quod suppuratio non nimium progressa erat citius evasit ægrotus. Præterita hyeme virilis cadaveris sectionem administravimus, ubi tertiam cartilaginem lateris dextri, uti olim in Tuis quoq; dissectionibus nos vidisse semel memini, duplicem conspexi, scilicet erat superius quædam productio duos transversos digitos longa quæ levi cuidam apophysi costæ nectebatur. Ensiformis etiam triplici foramine pertusa conspiciebatur: cranium crassissimũ velut gypso incrustatum: synovia articulorum subrubens: erat à arthriticus Nimium excrescit epistola ideoq; calamum coerceo Teq; plurimum salvere ac æternum valere jubeo voveo. Dabam Lipsiæ 10. Calend. April. 1656.

T. Exc. Clar. devot.

Michael Lyserus D.

EPISTOLA LXXIV.

De Verme ex naribus.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

DIu est, cum amantissimis tuis responsum debeo, & exsolvissem quoq; dudum, nisi

niſi quam deſtinaveram ei exſpectaſſem hactenus à Clariſs. Dn. D. Michaëlis promiſſam ſæpiusculè Obſervationem planè ſingularem de Ancilla Aldenburgenſi neſcio quæ monſtroſa, bufones lacertas etc. pariente, eam verò cum nudius tertius acceperim, non potui, quin ſtatim ad Te transmitterem; Digniſſima profectò, quæ à Lynceis tuis oculis paullò penitius perluſtretur, ut noſtros aperias aliquando oculos caligantes multum in hisce Neturæ rarioribus, inprimis quæ Analogiam Macrocosmi cum Microcosmo ſpectant. Nuper cum in Dithmarſia agerem retulit Medicus ibi Ordinarius vermem ſe manu ſua contrectaſſe, digiti medii longitudine, qui è capite per nares fæminæ cujusdam exire coactus hoc modo. Fæmina Ruſtica iſtius loci incola cum per multum tempus diros ſenſiſſet capitis dolores, tandemq; ii adeò increviſſent, ut inſtar maniacæ hinc inde diſcurreret, venit ad Paſtorem Pagi Neukirchen famoſum tunc inter Ruſticos Med. Practicum, qui non ita pridem vivis exceſſit, magnis clamoribus opem ejus implorans. Is ſtatim conſuetum ſibi in Cephalalgiis Ptarmicum miſerculæ adhibuit, quo caput vehementer concuſſum una infauſtum hoſpitem loco movit, eq; nares exire com-

pulit, quo facto immanis capitis dolor ſtatim conquievit Felix ſanè inventum hujus Parochi, niſi caſu id factum quis dixerit, notandum tamen Medicorum filiis, Sed Te Vir maxime plus juſto moror: Pecco in publica Rei Literariæ commoda quibus unicè invigilas. Vale ævi Tui Decus, & amare perge. Raptim Gottorpii 20. April. 1656.

Clariſſimi Tui Nominis

Devotiſs. Cultor

J. Langelott, D.

EPISTOLA LXXV.

Pro Lymphatico ſpicilegio gratiarum actio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

JOANNES PECQVETUS. S. P. D.

ACcepi Mi BARTHOLINE tuum (porrigente Clariſſimo Bogdano) Spicilegium: inexpectatum ſanè immerito opus, ut nobiliori dignum fano donarium. Pudore me ſuffudit & præter ſpem oblatum munus & offerentis auctoritas & offerendi cauſa. Neque enim eo veſaniæ me provexit ambitus, ut pro re tam levi,

levi, quale est nuperum inventorum meorum auctarium, à viro, quantus es, tam duraturis monimentis nomen meum commendari desiderem. Dicaveram tibi noviſſimos laborum meorum fructus, non quidem eorum æmulus, qui tenuibus prorritant munusculis potentiorum munificentiam; ſed uti ſincero palato ſaporem examinans eodem animo gradum attribueres, quo unius inſudas veritatis ſcrutinio. Fatebor tamen ingenuè non modica me voluptatis delinitum dulcedine, cum tam eximio amoris teſtimonio & earum tibi haberi me, & tam manifeſtis innotuit argumentis ſcripta mea comprobari. Vexabar profectò non exigua ſolicitudine, tuumque judicium anxius opperiebar: nec poſt datas ad te Cramoſyo Typographo noſtro literas & unà tuæ ſagacitati dicatum opuſculum aliud à contemptu ſperari ſiverat ultra annum excurrens Tuæ Themidis ſilentium. Verum beneficio ſingulari ominoſas moras abundantius compenſaſti, & verña plusquam benignitate triſtia hyemis longioris tædia jucundiſſimo partu remuneraſti. Tibi quidem grates ago easque immortales: & quando grata ſunt, quæ meditor, mittam brevi Lymphaticarum tuarum mihi jam exploratos uſus & novum utrique

ad laborem incitamentum. Cæterum Riolani misereor, qui toties, tamque graviter confossus prius vivendi, quam invehendi finem inventurus sit. Hujus innatam statui maledicentiam sedare silentio; præsertim cum mea tuaque inventa suo jam pondere stent, adeoque nostris innumeri glorientur inhærere vestigiis, certatimque gestiant, quæ à nobis edocti sunt, diffundere. Porro supersunt detegenda quamplurima, quæ tuam manum expectare pronunciem; & ob id, qui me lactearum inventorum sequi non erubuisti, patere sodes perpetuum impulsorem; sicut & ego ea jugiter incendor ad ulteriores indagines gloria; quam inaudita hactenus Lymphaticorum Vasorum inventione primus meritus es. Vale obsecro tuumque ardentius impensissime retaliaturum ama. Parisiis Decimo quinto Kalendas Majas Anno R. S. M. DC. LVI.

EPISTOLA LXXVI.

De Riolano valetudinario.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

ECce Tibi carissimus Frater, & mihi suavissimus Amicus, *D. Erasmus Bartholinus*, in Daniam vestram, patriam suam revertitur; abst

abſit ut absq; meis ad Te literis diſcedat, per quas Te certum faciam, me vivere & valere Tibi addictiſſimum: vivo ſaltem ac utcunq; valeo, ſine ulla calculi vel arthritidis ſuſpicione, annos penè natus LV. *Riolanus* noſter vivit quidem, ſed minus valet: quia ſenex, contumaci aſthmati obnoxius, à quo ſæpius illi impendet periculum ſuffocationis: & à quo haud dubie jam, multocies in communem illum locum abiiſſet, niſi per phlebotomiam liberatus fuiſſet, eamq;, ut cum *Durero* loquar, liberalem ac liberam cui ferendæ ſæpius etiam repetitæ, admodum eſt idoneus, cuiq; etiam vitam ſuam debere profitetur ab annis 30. Novum aliquid meditatur de re Anatomica: fortè novam eamq; tertia parte auctiorem *Encheiridii* ſui *Anat.* & *Pathol.* editionem: cui accedent aliqua non pœnitenda de generatione, de Morbis mulierum ac Infantium. Urgetur quoq; à Bibliopola Caſp. Meturas, ut ſerio cogitet, de nova editione ſuæ *Antropographiæ*, quæ eſt in folio: cujus exemplaria pene ſingula ſunt diſtracta: quod opus multis in locis adauctum ac illuſtratum ſæpe habet in manibus, ut brevi recudatur; quod niſi ſe brevi facturum promiſiſſet, jam ante annum Venetiis novis typis mandari curaſſet eruditus quidam

Medicus Italus, Riolani partibus admodum addictus. Nuper accepit ex Germania novam quandam Anatomiam (saltem primam ejus partem) *Guerneri Rolfinckii*, Prof. Jenensis, quam multis laudibus extollit, ejusq; lectione plurimum delectatur: alias duas partes quæ in posterum edendæ supersunt, quam libenter videret! sed hoc ei, ut & alia multa ferenda sunt, omnia tempus habent. Nova editio Operum omnium D. Sennerti, duobus tomis in folio, nuper in lucem prodiit: Coloniæ Allobrogum perficitur Hippocrates Foësi: & ne quid sit in natura quod venenum suum non habeat, Genevenses alii Typographi, novam concinnant editionem Operum, Magni quidem, sed pessimi nebulonis, *Caesaraei Paracelsi*, cujus magna est apud imperitos suffiones authoritas, & insignis potentia in necandis per chymiam hominibus. Viri Cl. *Jo. Ant. van der Linden* Selecta brevi lucem aspicient: ut & *Fernelius* in 4. cum Heurnii Commentariis, si quis ex tuis in hanc urbem veniat, mitte si placet, tuum *Spicilegium*, & alia nova quæ habueris. Interea vero vive, vale, cum Tua & Tuis, & me, quod hactenus feciſti, amare perge. Parisiis die Sabb. 22. Jul. 1656.

Tuus ex animo
Guido Patin, Doct. Med. & Prof. Reg.

EPISTOLA LXXVII.

De Valvula venæ coronariæ, Lymphaticis, & ductibus ſalivalibus.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

MARTINUS BOGDANUS S. P. D.

QVanta ſit tua promptitudo ut de quovis bene merearis, quivis privatim & publice ubivis gentium & novit & prædicat, Eadem teſtatus ſum in litteris Menſe Aprili ad te ſcriptis, una cum Patini & duabus Pecqueti. Hic tibi qvasvis gratias agit pro Spicilegio vaſorum lymphaticorum dicato. Idem tuus frater exprimat, quem hèic Pariſiis aliquoties conveni, ut tuum genium in ipſo venerarer, & affectum prædicarem. Guiffartus in tractatu gallico ſangvificandi munus cordi adſtruit, quaſi occaſionem in valvula in vena coronali à le Noble repertam haberet. Hanc bonus Guiffartus in tractatu gallico dicto quaſi le Noble inventori adſignat, cum B. Euſtachius ipſam notavit, & Arantius in obſervat. anatomicis cap. 33. & ni fallor etiam Aqua pendens. Verum iſtius opuſculum non vidit Guiffartus Normannus, cum id Germanis ſolum ſit dedicatum. Londini lactearum ex meſenterio progreſſum in acetabula uteri Scarbourtus

ibidem Anatomicus monſtravit, & vaſa lymphatica per pulmonum parenchyma inbobus diſperſa notavit, ut Agricola ſcribit. Ego nuper circa hæmorrhoides internas. Cum Wartonio Gliſſonius ductus ſalivales ex paryſthmiis in lingvæ membranam progredientes. In lingvæ etiam apice duo foramina detexerunt per quæ ſaliva fluit in os. Lienem cani vel alii animali facto in latere ſiniſtro vulnere eximunt, & ligatis vaſis abſcindunt; plaga inuncta balſamo ſulfuris Rulandi ſanitati priſtinæ reſtituunt. Quando in Italiam transibo me latet; Moram peſtilentiæ rumor diuturniorem heic locorum ſuadet. Magnifice Vir Riolanus tuum Apologiam habet, quid autem meditetur nondum retulit Patin, quod promiſit. De Riolani mordacitate tibi æque & forſan melius (qui ipſam ſentis indignus) ac mihi conſcia nihil addam, niſi quod pro ariditate cutis quæ in ſenibus eſt in ipſo ſit Impudentia; pro lippitudine invidia; pro gibboſitate Atheismus; pro remore membrorum, fluxa inconſtantia; pro curvis digitis, honeſtos ſcabendi deſiderium, & pro rugis calliditas; pro tuſſi maledicentia. Quæſo fidem hominũ me tuũ Calonem vocat. Mantellus & alii Galli Doctores mihi cujuſlibet animi ſinceri ſigna exhibent, & bene merendi deſi-

desiderium. Vale, & fave. Parisiis 1656. die 17. Julii.

T. serv. perpet.
Martinus Bogdanus.

EPISTOLA LXXVIII.

De Peste Neapolitana.

Thomæ Bartholino Hafniam.

PAucula hæc ad Te scribo, Vir Cl. ut scias, me vivere & valere: utinam quoq; valeas: & ut accipias Epistolam quam pro Te nuper accepi ex Italia. Responsum tuum adversus *Riolanum* à Te acceptum, ipsi tradideram legendum: rogatus à D. le Noble, Med. Rothom. ad eum misit, necdum remisit: interea patitur justus, nec librum legi, ut Riolano gratificarer, contra quem scriptus erat; nec legere possum, quia adhuc hæret in alienis manibus: sapiam in posterum, & in servandis tuis ero cautior. Riolanus utcumq; valet, ac semper aliquid machinatur dum licet per valetudinem. Hic adfuit per aliquot dies Christina, Suedorum Regina, Roma redux: tunc temporis dicebatur per Hamburgum ad suos reversura; sed postquam vidit Regem nostrum, apud quem,

vel potius in cujus aula plures per dies manſit, ubi magnificentiſſimè excepta fuit, mutata velificatione, Romam iterum revertitur per Lugdunum & Galliam Ciſalpinam ſive Pedemontium. Sæviſſimè graſſatur in quibusdam Italiæ partibus lues ipſa peſtilens, præſertim Neapoli: ubi inter tot alios, ab ejus malignitate & vehementia, miſerè perierunt 44. Medicinæ Doctores: utinam nobis nil tale contingat. Vale, Vir præſtantiſſime, & me quod hactenus feciſti, amare perge, Pariſiis, die Veneris, 29. Sept. 1656.

Tuus æternum futurus.

Guido Patin.

EPISTOLA LXXIX.

De Lepore Cornuto, & Bezoar Occidentali.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.
GEORGIUS SEGERUS Thorunenſis
S. P. D.

ACcepi Literas Tuas mellitiſſimas, Celeberrime Vir, easdemq; debitâ obſervantia perlegi. Lætor ſanè, quod & abſentem amare non recuſes, eundemq; reſponſoriis

Tuis

Tuis non dedigneris. Incluſas ea ipſa hora Agricolæ transmiſi, & quia ex Tuis intellexi, continere easdem judicium Tuum eruditiſſimum de modo exſcindendi Lienem Anglicano, doleò quod illud ipſum judicium mihi legere non fuerit conceſſum. Neq; enim video, quomodo viſcus illud commodè exſcindi poſſit, niſi, quod olim quoq; jam divinavi, ligentur vaſa ad id tendentia. Sed, quod ſi Tibi Nobiliſſime Domine occupationes Tuæ tantum temporis conceſſerint, ut & me hoc Tuo judicio erudire velis obnixe rogo. Celeberrimus Horſtius jam pluribus ſententiam meam de Tua Lympha impugnat, & Lympham Sobolem Spirituum Animalium non eſſe innumeris probat rationibus. Imò, ut hæc eò magis confirmet, negat dari niſi unum Spiritum, negat Spiritum Animalem generari in Ventriculo nobili, negat eundem per Nervos partibus communicari. Ego ad ſingula quantum potui breviſſime reſpondi, &, ſi rectè conjicio, ſententiam meam adhucdum ſalvam ſervavi. Quia vero inter reliqua, oſtenſurus quod Lympha copiam Spirituum longè ſuperet, hoc quoq; mihi objicit, quod in Hecticis magna copia aquæ in Pericardio reperiatur, quam tamen Lympham eſſe in Diſſertatione

one mea §. V. profiteor; ego quidem distinctione inter aquam naturaliter & præternaturaliter ibidem collectam factà evitavi hanc Charybdin: Interim tamen ei etiam objeci, quod Tu, Vir Summe in Anat. Tua Reform. L. 2. c. 5: p. 230. expresse in Hecticis exiguam liquoris istius quantitatem non vero copiam ingentem agnoscas. In nostra Arte nihil quod sciam hic notabile contigit, nec credo medicos hujus loci, utpote circa Praxin maxime occupatos, hisce se immiscere. Ego nuper Psittacum adultum, qui cæteroquin sanus præter solitum ingenti excitato strepitu ac clamore confestim obiit, mox post mortem aperui, ut causæ repentinæ mortis mihi innotescerent. Cujus viscera eò libentius & diligentius rimavi, cum apud Severinum Anatome istius avis desideretur. Si Tibi ita visum fuerit, proximis quæ notaverim indicabo. Hisce comitem jam addo veram ac ingenuam figuram Cornuum Leporinorum quæ mihi hac septimana videre contigêre Possidet illa Matertera cujusdam Amici. Qua ratione vero ad manus ejus pervenerint, non potui assequi, negant namq; se certi quicquam scire. Interim hoc intellexi, fuisse illa forsan aliquando clam sub nomine prædicto ex Musæo Magni

Ger-

Germanorum Principis ſublata. Cranii magnitudinem figuræ adjacentes referunt, quarum prima anteriorem ſecunda poſteriorem exprimit faciem. Craſſities cranii diverſa eſt. In anteriori & poſteriori parte craſſitiem dorſi cultelli mediocris æquat, ad latera vero tenuius eſt. Poſteriori cranii parte adhæret adhuc portio cutis crinibus nudata, ſicca, & ſi luci opponas inſtar chordæ pellucida. Spatium inter utraq; cornua digitum medium transverſum admittit. Suturæ Sagittalis dentes ad vivum ſunt expreſſi; Quæ Sutura in poſteriori ut & anteriori cranii parte non apparet. In anteriori parte cornua ita cranio ſunt annata; ut plane unicum os appareat, nec dubium de appoſitione artificiali moveri poſſit. Cornua ipſa cum cranio duritiem tantam habent, ut conſtet fuiſſe animal illud adultum. Longitudine atq; craſſitie ſiniſtrum cornu annularem digitum exprimit, dextrum auricularem. Habent utraq; hinc inde elegantes prominentias, imprimis circa radicem, ubi multis hujusmodi efflorescentiis circum circa cincta ſunt. Siniſtrum cornu erectè protenſum circa medium antrorſum incurvatur, aſt dextrum mox poſt exortum ad latera deorſum vergit. Ego ſane aſſenſum adhuc protraho,

traho, & alius animalis cranium esse existimo, quamvis Aldrovandum excutiens nullum animal inveni, quod adeo parvum esset, & cornibus durissimis munitum cranium haberet. Sutura namque quæ in craniis leporinis non ita apparet, ut & crassities cranii, me ab assensu detinet. Quare jam rem ipsam ad Te, utpote alterum nostrum Æsculapium, defero. Et, ne aliquid deesset, malui optimum quem hic habemus artificem in delineando adhibere, quam propriâ nondum tamen omninò exercitata manu scrupulum Tibi injicere. Quare ita etiam ad vivum expressa sunt omnia, ut ne Apelles quidem invenire possit quod desideret. Utrum autem cum illis cornibus, quæ olim in Musæo Wormiano & nuper in Augustissimo Regis Daniæ Musæo vidi, conveniant, dicere non possum, cum, ut verum fatear, veram eorundem figuram animus labilis non offerat. Quia vero accuratius prædicta cornua consideranti sequentes versiculi exciderunt, placuit eosdem subjungere.

Cornua cur gestent Lepores, queîs tempus in omne
Corda metu sudant, si Philomuse rogas?
Dico; quod insigni indulget fæcunda decori
Natura huic pavidæ Cornua torta Gregi.

Hinc

Hinc male Non nemo ſannis Plantabile Cornu
Exprobrat Populis, quos Goa nigra fovet.

Fig. I.

Fig. II.

a. *Sutura Sagittalis.*
b. *Portio cutis crinibus nudata.*
c. *Cornu dextrum.*
d. *Cornu ſiniſtrum.*
e. *Protuberantiæ & efflorescentiæ.*

Sed miſſis Cornibus Leporinis ad Lapidem Bezoar Occidentalem, quem non ita pridem ad Nobiliſſimum & Literatiſſimum Dominum Franciſcum Ludovicum van de Wiele, Potentiſs. Danorum Regis hoc in loco Commiſſarium Fideliſſimum, Patronum Magnum, vidi, me converto. Eſt is ingens, caput humanum æquans, rotundus ferè, coloris ſubfuſci, glaber ac nitidus, duabus in partibus læſus, ubi ſubcinericius apparet. Diameter ejus eſt 23. pollicum transverſorum, pondere autem $6\frac{3}{4}$ libras mercatorias ſuperat. Ex laminis craſſis compactum eſſe partes læſæ oſtendunt. Cardinalem Infantem Gubernatorem olim Burgundiæ 6000. Imperialibus à primo venditore eum redimere non potuiſſe ferunt: jam vero pro 3000. venditur. Centurias Tuas poſteriores jam fatigare prelum Hafnienſe lubentiſſime audivi. Erat tum præſens Clariſs. Bunccius, avidus ac inſignis lucubrationum Tuarum Cultor, Amicus meus Magnus, qui præ-

præmissa humanissima salutatione officia sua paratissima Tibi omnino offert Fuit is nuper Prof. Giessensis & Archiater illius Principis Hassiaci, cujus Anatomen ab ipso Bunccio institutam refert Cl. Horstius Observ. Anat. III. jam in locum defuncti nuper Blaccii substitutus, atq; ita subphysicus hujus loci designatus, praxin hic haud contemnendam exercet. D. Cassius quoq; humanissime Te salutat. Reliquos vero ob Cœlum quotidie nimis pluviosum adire nondum potui. Disputationem Tuam, Vir Excellentissime de Variolis grassantibus magnopere desidero. Scis quanti æstimem Te Tuaq; scripta, nec opus plura addere quibus ista probem. Vale Patronorum Ocelle, & fave Tibi devinctissimo Segero. Dabam Hamburgi d. 3. Decemb. 1656.

EPISTOLA LXXX.

De Navi artificiosa Roterodamensi.

Thomæ Bartholino Hafniam.

QVia nihil novi fert Academia; nihil aut antiqui aut novi ostendunt exta, quia omnia his feriis Academicis adhuc silent, saltem quicquid sub calamum venerit scribam. Præteritis diebus Roterodami eram. Specta-

bam ibi inter alia illud Monſtrum horrendum informe ingens, de quo tam multa, tam ſtupenda prædicarunt iſti nugarum Scriptores, qui ex omnibus regionibus collecta mendacia publice divendunt; iſtud navifrangibulum, inquam quod omnes naves aſſulatim poſſet comminuere, πνεῴβολον quoq; & quod Threiſſam Harpalicem fuga præverteret; nam hæc quidem, ſi Maroni credimus, equos ſaltem fatigabat; hoc autem monſtrum (nam navem vix auſim dicere) naves ipſas (Dî talem terris avertite peſtem) multis paraſangis poſt ſe relinqueret. Sed adhuc in partu hæret fœtus, & dextræ aves nihil auſpicatum promittunt! Ipſe doli fabricator Epeus propria tenens ferrum manu & anxiè ictus mallei numerans ſuos Cyclopas continuato labore exercebat, veſtes quidem & habitum corporis aulico ſimilior quam fabro. Ego intenta mentis & oculorum acie luſtrabam hanc molem, & ut perſuaderem homini, me non planè cerebrum gerere in calcaneo, ſed forte etiam harum rerum eſſe ſcientem, interdum preſſo pede ſtabam quaſi cogitabundus, interdum ſupercilium contrahebam, quaſi jam hoc placeret, jam illud diſpliceret. Neq; me fefellit mea aſtutiola; nam protinus ille, forte ratus ſibi cum perito harum

rerum

rerum homine futurum sermonem, accessit, & quid mihi de hoc portento videretur quæsivit. Ego contra submisse videri id mihi quidem grande ausum, & authoris sui memoriam æternitati consecraturum, sed itidem factu difficillimum; scire me tamen, & improbo labore omnia vinci, & tentando ad Trojam venisse Pelasgos, & à tãtis artificibus communem mortalium sortem longè supergressis, facili haud ratenter labore præstari ea, quæ vulgi judicio omnes humanæ imbecillitatis vires videntur excedere. Ille tam molli palpo percussus mihi arridere, & dicere tam certum se esse de felice hujus incepti eventu, quam quĩ certissimus. Ego ad hæc, ne nihil dicere viderer, respondebam: non apparere, qua arte rota illa, in qua, quod dici solet, totius rei cardo vertebatur (nam verè hac rota & totam molem oportet librari, & aquam omnem promotu navigii dispensari) reliquis ferramentis aptè posset inseri & insinuari. Ille multa ex artis præceptis de ejusmodi machinis semigallico & semibelgico sermone cœpit differere, veritus autem ego ne aut me tædiosa oratione conficeret, aut tandem meam in tali negotio infantiam (nam profecto in architectura nihil adhuc scio) deprehenderet, itineris necessita-

tem & alia cauſſatus, poſt prolixas gratias; diſceſſi. Scio: non ter ſed vel centies conatus eſt conjungere non Pelio Oſſam, ſed hanc rotam cæteris machinis, ſemper irrito conatu. Poſtquam Lugdunum ſum reverſus continuò ad alium hic Thaumaturgum inviſi, qui mihi currum monſtrabat ita occultis fabrè machinis factum, ut equis ſponte mobilis curſu certare poſſit. Vectus hoc curru Lugduno Ultrajectum quinq; horarum ſpatio, aſſumptis etiam tribus vectoribus, 100. Joachimicos vicerat. Ipſe, me præſente, currum conſcendit, & duobus clavis totum currum temperans modo in orbem iterum atq; iterum vertebat ſpatio exiguo, modo regyrantem in rectum concitabat, admiranda planè velocitate. Domum quoq; integram 60. & amplius lectorum capacem exigua cella ſed disjunctam claudebat, quam ita ſine clavis jungere, ita arctare poterat, ut nec vento nec pluviæ pateret aditus; jugumenta autem, ſubgrundationes, projecturæ, membra omnia ædificii ex architecturæ legibus optimè fabricata. Molam etiam conſtruxit, quam quatuor moloſſi, partiti inter ſe laborem per vices, circumvolvunt. Vulcano per omnia ſimilis eſt, (nam & egregiè claudicat) niſi quod non nunquam vehitur per urbem

urbem curru, quem duo grandes molossi trahunt, (ita & hos jugum ferre docuit) quod nunquam memini me de Vulcano legisse, &c. Dabam Lugd. Bat. 24. August. An. 1655.

T. T.

P. Schumacherus.

EPISTOLA LXXXI.

De morte Kyperi, & Aqualiculo puellæ.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QUanti casus humana rotant! quam tenui filo pendent nostra fata; verè larvæ umbratiles sumus, quas quævis aura dissipet. Dices: quorsum tam Tragicum in epistola exordium? Sed justè queror! Octiduum jam est, cum Cl. Kypero exequias ivimus. Et hic quidem, Dî boni, quàm subitò præter omnem spem ex hac vita non dicam excessit sed evolavit. Vix aliquid de morbo ejus quisquam audiverat, cum ecce altera dies tristem de morte ejus nuntium attulit. Ego inprimis mirabar, & vix tum fidem oculis habebam, cum indici jam funus OLLUMQUE ECFERRI viderem. Nam quarto ante die ipsum videram; vegetus tum erat valensq; sine omni vel leviſſimæ no-

xæ indicio. Multus mihi de te, Vir Maxime, cum illo sermo, rogabatq;, ut cum iterum aliquid ad te literarum darem, id sibi prius indicarem scripturo ad te nonnulla de transmissi illius Unicornu Grónlandici facultate alexiteria. Sed ut dixi quatriduo post peste correptus expiravit, & Rectoralem purpuram, quam hoc anno gestabat, cum cœlesti candida commutavit. Quæ tamen de Unicornu illo sive Grónland. sive Grindland. disseruit, ea fide referam, qua ab ipso accepi. Ajebat compertum se habere, iterata jam sæpe experientia, istud seu cornu seu os, (ad cujus naturam mihi quidem propius videtur accedere) singulare prorsus esse remedium adversus malignos quoscunq; morbos; magnoq; successu se id in pulveris formam redactum cum aqua convenienti exhibuisse ægrotis lue hac pestifera, quæ totum Belgium depopulatur, correptis, idq; præstitisse, ut aut illico convaluerint, (qui principiis restitere) aut sæviora experti symptomata morbum facilius tolerarint, aut certum exitium in aliquot dies distulerint, ringente torvo Charonte, se defraudari tantisper paulo. Imo nonnullos, quibus vix alia Φάρμακα, nisi multa mora sudorem movere poterant,

cerant, hoc pulvere ſumpto, tantum non ſudore diffluxiſſe. Scis, quantæ magnitudinis erat, quod dederas fruſtum, atq; hujus tamen plus quam dimidiam partem abſumpſerat, toties ille ægris hoc contagio afflatis exhibuerat, nunquam, ut ajebat, ſine ſucceſſu. Kyperum tamen liberare non poterat, ne ſacrum crinem detonderet Proſerpina, ſive quod mora (in qua utiq; maximum ſemper periculum) invaluerat jam morbus, ſive quod ſideris inclementiæ, (quæ jam quoq;, Dîs gratiâ, maximam partem deſæviit) litandum forte erat Argolica anima. Sed jam ille conclamatus eſt. Ego tamen non deſino te prolixa nimis epiſtola obtundere. Proximis nundinis Falcoburgenſibus, inter alia ludicra, publice ſpectanda proponebatur puella quædam decennis in Brabantia nata Anno 1644, Parentibus, ut ferebant, & parvæ ſtaturæ & rei. Hujus equidem puellæ ventrem, (quod de illo qui faventem ſibi habebat hortorum cuſtodem Lampſacenum illum Deum, uſurpat nequam ſervulus apud Comicum) calamitas profecto attigerat nunquam, ita quicquid erat grande erat. Nam abdomen quam latiſſime ſui territorii fines extenderat, atq; à mammis ad talos usq; ſe produxerat. Talem credo habuiſſe

buisse aqualiculum, ventriosum illum Epaminondæ militem, ad cujus alvum tegendam tres una conjuncti clypei vix sufficiebant. Jacebat puella (nam incedere omnino non poterat) ventre proprio tecta tanquam tomento superstrato, qui tumidus circa umbilici inprimis regionem ita se inflaverat, ut altè elevata undique cute cavitatem satis capacem ad umbilicum demitteret, in qua tanquam in crumena servabat quicquid pecuniæ à spectatoribus collegerat. Triginta nonnunquam & amplius Hollands Stuyvers in hoc loculamento reponebat. Interdum præmiolo aliquo invitata ventrem ad instar tympani pulsabat cantillans simul nescio quid subrauca voce. Ego Tympaniten esse hinc conjectabam; sed facies optime alioqui colorata, & non inficeto tincta rubore genas, omniaq; boni cætera habitus indicia revocabant ab hac opinione animum. Propius accedere nolui, ut accuratius singula inquirerem, veritus tacite serpentis morbi, in tanto præsertim hominum undiq; confluentium cœtu, contagio. Pronuntiatum tamen audivi à Medicis, qui antehac eam viderant, tumorem hunc puram putam esse pinguedinem, Naturæ nescio quo lusu hic exuberantem. A materno utero secum tantum adipis

attu-

attuliſſe ajebant: cibo certe & potu utitur quam parciſſimè. Mirum unde hæc abdomini pinguedo, aut puellæ moles? ut quæ 200. libras pendet, decennis, ut dixi, & jam undecimum ingreſſa annum, juſtaq; alioqui, pro iſta ætate, ſtatura. Donaverat eam Cæſar torque aurea, qui Viennæ illam viderat. Sed profecto jam epiſtola tantum præter debitum excreſcit, quantum iſtius venter juſtam menſuram excedit. Manum igitur de tabula; cum ſolenni hac formula, ut valeas, & me ames. Lugduni Batavorum 6. Calend. Octobr. Anni ϛIↃ IↃc LV.

Tibi addictiſſimus

Petr. Schumacherus.

EPISTOLA LXXXII.

De nimia pingvedine.

PETRO SCHUMACHERO Leidam.

GRatiſſimæ mihi fuerunt litteræ, quas repetitis vicibus amica manu ad me ſcripſiſti; Ignoſce verò moræ, quam in reſpondendo hactenus negocia imperarunt. Noviſti quantis indies curis & occupationibus diſtrahamur, qui non tam privatæ quam publicæ ſaluti excubamus. Cl. Kyperum ad plures abiiſſe non

fine lacrymis intellexi. Vir erat, quem Reip. Medicæ diutius optaſſem ſuperſtitem. De Unicornu quæ mones ex illius fida relatione, pergrata ſunt. In febribus inſignem hic experti ſumus iſtius dentis virtutem, ſudores potenter movendo & putredini humorum reſiſtendo, de quo ipſum Kyperum monui. Altera hiſtoria præpinguis aqualiculi inter Centurias meas locum inveniet, quo nomine gratias Tibi ago. Ab ortu contractam fuiſſe iſtam molem corporis, juxta tecum ſentio, quippe laxiores natura partes facilius diſtenduntur & ampliantur, quanquam magnam ſubeſſe quoq; ſtatuum copiam exiſtimem, quibus exiguum alimentum, quo nutriri fertur, inflatur, & velut addito fermento ebullit. Suſpicionem meam adauget, quod inſtar tympani ventrem, ſoluto pretio, pulſet. Neq; tamen Tympanitis dicitur, quia hic univerſum corpus non invadit, nec ſalva viſcera. A pingvedine increſcere nonnunquam corpora, exempla teſtantur, quæ aceti potu extenuata fuerunt. Quippe vaſis partibusq; aceto conſtrictis, nec alimenti copia, nec flatus coacervantur. Nos quod ſpectat, moribus vivimus antiquis, nec oboeſi nec exſucci. Nam maſcula prole aucta eſt familia mea. Neſcio an ad vos pervenerit Defenſio

mea

mea contra Riolanum, misissem eam si per commodos internuncios licuisset. Sudat jam sub prælo Spicilegium meum de Vasis Lymphaticis, publicè futura hebdomade proponendum. Deo sit laus, qui Te amicosq; communes inter tot cadaverum strages conservavit. Utinam porro cuncta ex animi sententia fluant. Nomine meo salvere jubebis magnos amicos meos, quorum alias nomina signavi, mihi faventia. Hisce vale, mi Schumachere, & in patriæ decus porrò feliciter surge. Hafniæ XII. Nov. 1655.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA LXXXIII.

De puella hirsuta.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

HIstoriam quam ad te jampridem scripsi, puellæ istius præpingvis aqualiculi, grata ea tibi, ut ex tuis literis video, erat. Iterum eandem & Hagæ Comitis & Lugduni vidi, dum illic his nundinis inter tabernas otiosus oberro. Venter sanè est, quem posses cum Plauto collativum dicere, sed nec oculi herbei, nec cada-

cadaverosa facies, quin optimus potius color suaviſſimusq;, qualis esse solet lactis sangvine misti. Planè quinquagenario juramento ausim jurare, nunquam morbo hepatario hanc laborasse. Gemellam nunc isti historiam adjiciam. Femina hic erat corpus totum flavis hirsuta capillis, & hirsutumq; supercilium prolixaq; barba, nam à mento in mammas quadratam promiserat Philosophica gravitate. Juraſſes ex lino adsutam barbam, tanta erat mollitudo, etiam alterius lanugenis quæ totum corpus æquali nebula, aut si quid hac mollius, obduxerat (etsi pili fere dimidii digiti longitudine erant) & color planè idem, ut omnino putarem, simul ac vidi, nescio quam Galateam persona linea amasium fallentem è cannabina aut linea segete caput protollere. Desinant jam Critici in Cyprum molesto & longo itinere contendere visuri illic barbatæ Veneris simulacrum, ut explicent illud nescio cujus Pollentemq; Deum Venerem, & Virgilianum illud Descendo ac ducente Deo flammam inter & ignes expedior; ubi illi, dum expedire se volunt, impediunt magis. Quæso ne hic se crucient ne sit hæc res illis dividiæ, huc veniant, faxo ego non simulacro solum sed & ipsa visa abeant, imo si tanti est hanc Venerem rapu-

rapuiſſe feliciores Paride in patriam rebitent; ſiquidem illi non amant Venerem, niſi quæ barbam mulceat. Sed ita me mea Venus amet ego non auſim pulcherrimæ Deæ horridam barbam affingere; potius dicerem glabriorem eam eſſe, quam eſt volſus Ludius. Gallum quoq; hic vidi gallinaceum, qualem ſi vidiſſet olim Plato potuiſſet eludere inſtantiam (liceat cum Logicis loqui) Diogenis, & certe verberaſſent hunc Sannionem Diſcipuli illudentem Præceptori dicenti hominem eſſe animal bipes, cumq; ſuo gallo ad ſterquilinium ex Academia protelaſſent Nam huic præter duos confueto loco poſitos tertius quoq; pes adnatus erat peculiari coxa è medio prominens prope uropygium, quod ab altero (nam duobus locis apertum abdomen erat, pro alvi excrementis ejiciendis) medius diſtingvebat, videbaturq; ex duobus pedibus cofuſis coaluiſſe; nam & hic digitorum numerus erat, & tibiæ oſſa, etſi ſub communi cute, omnino viſu videbantur diſcerni poſſe hederaceo plexu aut cochleæ in morem contortiplicata invicem. Alterum autem illud pro exitu ſtercoris foramen caruncula quadam cinctum prominebat, ut fere umbilici aliquid ſimile ex vaſis umbilicalibus relictum putarem, niſi quod à medio

abdo-

abdominis ad ſiniſtram aliquantum declinaret. Tantum eſt, tu vale & me ama. Dabam Lugduni Batavorum 3. Kalend. Junii Anno M DC LVI.

Petr. Schumacherus.

Salveant à me fratres tui, conſobrini, cognatiq; omnes inprimis Barth. Bartholinus cujus elegans de pænula ſcriptum, non molè ſed virtute magnum ad nos venit, quod ſimul ut venit non edi ſed devoravi illico. Tuum contra Riolanum ſimili æſtu percurri: macte hac virtute, Vir Maximè; Aquilas, Phænices depluma, ſed cornices, ſed graculos, ſed picas & ſpinturnicia cætera cavet vel flocci feceris. Hornius vos omnes ſalutat, & exſpectat à Clariſſimo Fuirenio ad literas reſponſum, quem ego uti & te familiamq; totam quam officioſiſſime ſalvere & valere jubeo.

EPISTOLA LXXXIV.

De Lacteis Thoracicis in variis animalibus,

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

A B eo temporis articulo, quo Patavio diſceſſimus, licet amicitia noſtra haud in feliciter

citer ibi cœpta, ſancteq; culta nullo unq; literario officio à nobis confirmata ſit, minimè tamen dubito, quin priſtinum amorem mihi ſervaveris, mutuæq; benevolentiæ ſymbolum in affectu potius mecum poſueris, quam in Verborum ſignis. Hæc enim alienis culpis eo magis obnoxia eſſe ſcis, quo longius mittuntur. Attamen ut verum fatear, aliquoties hactenus voto meo indulgere, Tibiq; de ſingulari felicitate, ſummam induſtriam atq; Eruditionem Tuam, cujus jam aliquot egregia in publico extant ſpecimina, comitante, gratulari volui, uti nunc ex animo facio, ſed occaſio transmittendi litteras & ſerio inquirenti nulla ſe obtulit. Silui itaq;, ignemq; hunc intra præcordia mea fovi, donec mihi hiſce diebus literæ traderentur Eruditiſſimi J. U. Candidati Antonii Muhlholzeri, harum exhibitoris, Haſnia miſſa, in quibus cum de proſpero rerum Tuarum ſucceſſu, diſſectioneq; Leonis mentionem faceret, occaſionemq; literar. commercium exercendi monſtraret, ſtatim de obſervationibus quibusdam Anatomicis, Veritatem Tuam contra Riolanum confirmantibus, theſibusq; adjunctis transmittendis cogitare cœpi, ut videas nos qq. Magnorum Virorum auctoritatibus non acquieſcere, ſed naturæ arcana

cana ſacro ſub velo diutinè preſſa perveſtigare. Hoc fine jam ante ſeptennium à Curatoribus conatibus meis publicè faventibus Theatrum Anatomicum accommodatiſſimū impetravi ac quotannis Varior. brutorum corpora diſſecui, ut jam ante Hornium & Pecquetium in theſib. meis de Venis Lacteis m. Dec. A.C. cIↃ IↃc L. Lacteas Thoracicas proponere potuerim, ſed pro lactis materia ad mammas derivandâ, cum & Veslingius paulo ante obitum, d. 13. Maj A. cIↃ IↃc XLIX. reſcripſerit, ſe hujusmodi ductum pollicis craſſitie in lumbis vidiſſe, ad thymum Cordis chylum derivantem. Eundemmet anno ſuperiori in Lupo vivo diſſecto chylo turgidum, ſed bifidum; & nuperrimè in Lynce fœmina, lacte per ſiphunculum in receptaculum chyli infuſo, tàm clarè Philiatris noſtris, ſed tantum ſimplicem à nona tamen arteria intercoſtali in medio, ut & axillari vena ſiniſtra ſuperius quaſi fiſſum, mox iterum coëuntem, conſpiciendûm præbui, ut quolibet impulſu facto per jugular. in Cordis dextrum ventrem illud irruere, Corq; ipſum vi diſtenſionis leviter attollere cerneretur. Hinc non dubito, quin in Corporibus humanis qq. viæ illæ liquore aliquo infuſo turgidæ facilè in conſpectum

ſpectum venire poſſint. Adſuitne in Leone utrinq; oſſiculum quoddam recurvum, claviculam æmulans, in principio Deltoidei muſculi obvium, nec ſterno nec ſcapulæ junctum, cujusmodi in urſo, Lynce, Lepore, Lupis obſervavi? Sangvificandi vis; quam Epati cum Pecquetio denegaſti, aut nulli corporis parti, aut cunctis certâ ratione deberi mihi videtur, cum ſangvis ipſe chylum ſibi aſſimilare valeat. Sed de modo ac viis purgationis ad alvum, quas propoſui, quid ſentias, etiam atq; etiam rogo, in reſponſoriis Tuis mihi aperire velis. Sive enim iſthæc mea probaveris, ſive meliora monueris, animum certè mihi addes plura de rebus Anatomicis Tecum diſſerendi. Benè Vale mi Bartholine, & quem olim communione ſtudiorum Tibi junxiſti, amare perſevera. Ego Te in oculis, in ore, in pectore habeo. Scribebam Altorfi inter occupationes III. Calendar. Februar. Anno Chriſt. cIↃ IↃC LVII.

T. Excell.

ſtudioſiſs.

M. Hofman D.

EPISTOLA LXXXV.

De Empyematis sectione, subitanea mœstorte, Lentibus & vermibus in variolis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QVandoquidem literas meas anno præterito per Mercatorem Arhusiensem rectè Tibi fuisse traditas, minimè dubitem: attamen ne gratissimæ cœptæ nostræ amicitiæ fundamentum corrueret penitus, illud ipsum erigere, ac pristino suo nitori reddere, hisce præsentibus statui. Novi certè, Clarissime Bartholine, assiduos ac indefessos Tuos in studiis labores, nec ab illis Te revocarem, nisi doceri vellem, nisi haberem animi Tui adfectum candidum erga me satis perspectum; colo certè hunc, & quoad vixero colam. Mitto Empyematici curationem duplici demum sectione absolutam. Juvenis 23. annor. nomine Johannes Theisten, amanuensis Johannis Thomæ, Civitatis nostræ Secretarii temperamento sangvineo præditus, cum à teneris fere avidiori gulâ inhæsisset poculis, continuaretq; cum annorum incremento satis strenuè per septimanas aliquot noctu hæmorrhagia narium insigni divexabatur; verum cum nihil subesse periculi putaret, medicamentorum respuebat usum, donec

donec aliquoties tergo incumbens, somnoq; excitatus, sangvinem largiori fluxu ad pectus fuisse derivatum animadvertisset: hinc diebus haud ita multis interpositis post de anxietate summa pectoris, astmate, aliisq; Symtomat. conqueritur; rejicit mox materiæ cum tussi purulentæ; sangvineq; nonnihil permixtæ, ingentem copiam, quæ pottas fere duas impleverat: Nihilominus nulla difficilis respirationis relevatio, nulla anxietatis sentiebatur mitigatio, sed suffocationi potius ac morti proximus ab adstantibus singulis dijudicabatur æger. Ego vocatus, video casum periculosissimum, non autem prius de vita desperandum esse jubeo, quam spirandi finis accesserit, medicamenta externa, pectus ac thoracem dilatantia, internè vero expectorantia præscribo v. g. ex syr. viol. de alth. Fern. de jujub., liquirit. &c. c. spec. diatrag. fr. & aq. scabios. continuando cum hisce per aliquot dies. Linimentis externis superaddebam Empl. de mucilag. de melilot. c. farin. fænugr. & ol. chamom. Alvum vero (suo quando non satisfaceret officio) ad justum depositionis debitum redigebam seqv. R. diacals. c. mann. Unc. s. dissolv. in aqv. scabios. Unc. j. adde Elect. De succo ros. Dr, s, M. Et ut perfectiorem Empyematis ma-

turationem ſperare poſſem, loco Emplaſtr. cataplasmata imponebam ex rad. lil. alb, alth. ficub. cum admixtione farin. lini, hord. butyr. rec. non ſalit. axung. ſuill. &c. Nihil hisce quoq; proficiebam; neutiquam materia per ſuperiora erat evacuanda, neq; per inferiora, ſed ad intumeſcentiam magis abibat latus ſiniſtrum; Hinc ad veriſſimum noſtri ſenis effatum ſect. 8. aph. 6. ſcil. quæcunq; non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat, cogitabam, intermittebam tamen interea nihil quod ruptionem puris promovere poſſet. Verum quicquid tentabatur, fruſtraneum erat. Itaq; d. 22. Jun. natura per tumorem nobis monſtrante viam, ad latus ſiniſtrum inter 5. & 6. coſtam cum lanceola inſtituebatur apertio, ſtatim materiæ egrediebatur maxuma ſummo cum impetu copia non admodum male olentis; vulnus, ne ſpiritus patienti & vix oſſibus hærenti diſcederent, turunda iterum, contentus aliquot unciis, claudere jubebam: Apertione ſequenti die rurſus inſtituta, impetu non minori emanabat puris copia, eademq; continuatione circa veſperam, tertiam etiam ac quartam diem. Tentabam impoſterum injectionibus tumultuantis hujus fluxus cohibere curſum mundificantib. ac putredini reſiſtentibus;

bus; verum tolerare patiens nequibat, ſtatimq; poſt injectiones in vulnus, tuſſi graviori cum ejectione materiæ ad ſuffocationem usq; ferè torquebatur indies. Interim exhibitis corroborantibus, ſeqv. utebatur potione: R. mell. opt. Unc. iij. aqv. font. lib. iij deſpum. poſtea add. herb. tuſſilag. ſcabioſ hyſſop. marub. Veronic. ana m. ſ. Coq bene & in col. diſſolv. ſyr. de ſcabioſ. Unc. ij. M. Die 27. Jun. materia effluebat peſſimè olens, viridis, cum tuſſi verò, quoties à Chirurgo vulnus eſſet tractandum, rejiciebatur materiæ ſubflavæ ferè lib. ſ. ſtatuebam ad phtiſin confirmatam abiiſſe decumbentem. Intueor interim clarioribus oculis denudatum ægrotantis corpus, obſervo, dum à Chirurgo tractatur, in latere ſiniſtro unius digiti transverſi latitudine ſupra mammam, foveam magnitudine ac circumferentia Daleri Joachimici; altero die cum accederem deprehendo cutis à coſtis, adeoq; iſtius foveæ elevationem ac intumeſcentiam, digitis tango, deprimoq;, evaneſcit tumor, partimq; ad vulnus in eo latitans materia derivatur, partim & quidem fluxu largiori tuſſiendo per os excernitur. Ego de apertione cogito, neceſſitate inciſionem hanc poſcente. Suaviter itaq; ac dextrè ſectio à nobis fuit inſtituta, ſcopumq; aſſecuti

ſumus feliciter. Effluebant penè Unc. iij. puris probè cocti, ſtatim recedebat aſthma, ſubitò evaneſcebat cordis anxietas, tuſſis remittebat. Die proximo è vulnere ſuperiori materia ferè nulla, ex inferiori exibat admodum pauca. Præſcribebam injectionem mundif. ex de coct. hord. & aliis, mox cum materia planè ceſſaret, adjiciebam vulneraria & adſtringentia ex rad. ſymph. maj. caryophyllat. rub. tinct. flor. hyperic. bellid. conſolid. reg. Herb. veronic. vinc. per vinc. auric. mur. Equiſet. ſcabioſ. ſcord. virg. aur. ſangv. drac. &c. Interne verò maxumo cum ſanitatis ſucceſſu porrigebam pillul. proprietatis ſeqv. R. flor. ſulph. myrrh. el. ana Drach. ſ. croc. opt. ſcrup. ſ. aloës ſuccotr. ſcrup. ij. ſ. pulv. & c. ſpir. ſulph. acid ſ. maſſ. form. pill. inſtar piſæ. D. ʒ. pro una vice. Hisce adhibitis (Deo ſit laus in æternum) patiens dimiſit lectum, corporeq; incedit jam longè robuſtiori, quam ante peſſimi hujus Empyemátis invaſionem. In memoriam mihi revoco exempla apud Polyd. l. 19. Cuſpinian. in Philip. ſubitaneæ mortis Eorum, qui nuntio ſcil. aliquo triſtiori percepto, præ mærore inter vivos eſſe deſiêre. Enumerat aliorum diſceſſum ſubitaneum ac ærumnoſum Cælius l. 29. c. 8. Giral. j. tom. hiſt. Pont. qui mortem

ſibi-

fibi contraxerint ideo cum ad optatum finem conſilia ſua perducere non poſſent. Adſunt nobis recentiora. Dolearius civis Bergenſis, annor. 40. cum pro Mercatore Anſeatico per integrum annum confeciſſet dolia, ut haberet interdum unde viveret, nunc Dalerum, mox dimidium, prout neceſſitas domi efflagitaret, poſcebat; ſummam autem, quam acceperat, non adnotat. Elapſo anno, ab uxore Maritus, ut à Mercatore rationes poſtulet accepti, cum nummis reſiduis, admonetur: Abit ille, ratione ſubducta, à Mercatore 4. vel 6. tantum obolos (tot enim reſtabant) accipit. Domum reveniens mœſtiſſimus, pro dimidia nummorum parte piſces minutas, pro altera, cereviſiam tenuem adportat, enarrat uxori ſingula madidis oculis, ſcamnoq; inſidens die cardialgia conqueritur, bibit ſemel, moritur. Die 21. April. 1656. Plura liceret obſervare, verum miſerrima hoc in loco eſt Medicinæ conditio, propter agyrtarum, pſeudo-Medicorum ac ſtudioſorum Theol. falſa ſciendi perſvaſione ſeductorum concurſum, dum nullibi ad paſtoratum poſſint promoveri, impiè falcem mittunt in Medicorum meſſem, opio purgantibus admixto non aliter ac cum ſimpliciſſimo medicamento procedunt, exhibent purgantia

fortiora, alvum cohibere rursus studeant sanguine draconis, & hoc modo in apoplexiam & mortem homines conjiciunt. Quot funera? quot homicidia? tædet me profectò amplius officii medendi. Opponam Magistratus Politici inspectionem? Hic ex imperitia permittit, ac puram ignorantiam sponte fatetur; Academia autem Vestra nimis à nobis remota, adeoq; tam liberè peccatur. Ego certè (nisi læso nominis ac conscientiæ meæ honore) diutius mecum retinere nequeo, cum ad manus sint nequissimæ istæ præscriptiones. Cur dare medicinas, & gentes interficere, impunè cuiq; permittatur? cum vel in Mechanicis non liceat cuivis pictorem esse, nec malleum in manus impune sumserit is, qui faber non sit. Multa profecto in hac re posset præstare Vestra Academia, præsertim gratiosa Facultas Medica, decisione facta de pessimis istis præscriptionum formulis, cui judicio Academico postmodum, si necessitas exigeret, superstrui posset eo facilius Serenis. Regis mandatum & interdictio praxeos. Nimis excrescit epistola, finio, Vive, vale, VIR EXCELLENTISSIME, anna & perenna! siq; gravissimæ occupationes tempus cõcedunt & otium, rescribe. Bergis Norwag. d. 3. Febr. 1657.

T. observantis.

Johannes Fridericus Treubler, D.

P. S. Vidi quæſtiones Tuas, Vir Excellentiſſime, de Variolis, Diſput. publ. incluſas, optimè placent, præſertim cum videam Exc. Tuam parum tribuere lentibus, præferre autem illis alia longè efficaciora expellentia, quæ ſimul malignitati reſiſtere poſſint, e. g. C. C. & alia. Quicquid Autores dicant, mihi tamen minimè hoc in morbo arrident lentes, quippe ex Caſtor. Durante in treſſoro della ſanita.

Lens oculis nocua eſt, ſtomachoq; adſtringit & inflat;
Non bene concoquitur, ſomnia tetra facit.
Alvus ab igne levi Lentis ſiccata tumeſcit,
Hordea ſi reddant, dic Medice innocuam.
Illa Melancholicos (nervis inimica, ocellis,
Nec ſatis eſt) morbos, ſomnia dura movet.
Scilicet extollat Peluſia munera Nulus,
Dulcia ſi addideris, toxica dira facis.

Cum variolæ Infantes pariter ac adultos hac noſtra in Civitate invaderent, nihil obſervare licuit notatu dignum, niſi quod ante octiduum filiolo 4. annor. Lanionis Andreæ Fritt, qui variolis decumbebat, & jam vix ſpiritum amplius haurire poterat, vermem ſpithamæ longitidine è naribus extraherent adſtantes, quo extracto, è vita diſcedebat ſtatim. Legimus de eodem vermium egreſſu per eandem viam

apud Marcell. Donat. in hiſtor. medic. mirabil. lib. 4. cap. 26. ubi plurimas adducit hiſtorias ex Cornel. Gemm. Victor. Trincavell. Ludovic. Duret. Fernel. & aliis. Verm magis nobis placent ea, de quibus oculati teſtes ſcribere poſſumus. Mulier 38. annor. pauperecula, cum uterum gereret, & in alvo materna fætus adhuc inſtrueretur ad exeundi patientiam, de gravitate totius corporis, conqueritur, premitur pandiculatione, cordis palpitatione, pruritu narium, &c. erumpunt varioli in corpore undiq;. Mox cum inſtaret partus hora, Infantem edit variolis per tenerrimum corpus æquè tam multis contaminatum, qui poſt ſacti baptismatis acceptum Sacramentum à Dn. M. Ambroſio Lucæ Paſtore Templi Cathedralis, placidè obdormiebat; mater autem tertia die poſt exibat mortalitatis ſenſus.

Iterum Vale, Clariſſime Bartholine, orbis Literati decus.

EPISTOLA LXXXVI.

De Anatome Calculoſi, Pſittaci & Martis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

GEORG. SEGERUS Thorunenſis. S. P. D.

VIdi Hiſtoriarum Anatomicarum Centurias poſteriores, quas curioſa manus Tua

Vir

Vir Summe publico bono congeſſit, easdemq; avidiſſime perlegi. Aperuiſti inter alia mentem Tuam de exſectione Lienis, atq; ita petitioni quoq; meæ, qua Te in nuperis meis Literis ſolicitaveram ſatisfeciſti. Unicum adhuc reſtat, ut ſcilicet animum Tuum de cornubus illis Leporinis benigne mihi aperias. Ex occaſione Hiſtoriæ XC. Cent. III. non poſſum intermittere, quin paucis Tibi Mœcenas ex adverſariis meis narrem, quod, cum Witteberga viverem, die $\frac{8}{18}$ Sept. Anni 1648. in hoſpitio meo vetula 72. annorum, menſtruarum purgationum jam fere oblita, cum vitæ diſpendio easdem experiri coacta fuerit. Poſtquam enim per integrum trimeſtre nimio ſanguinis profluvio laboravit, nec ullo medio fluxum cruentum ſiſtere potuit, ſuccubuit. Dominus Doct. Kirſtenius, amicus meus magnus, pro honorifica ejus mentione gratias Tibi agit maximas. Legi apud eundem hiſtoriam morbi, quo laboravit Henr. Schraſerus, quam lubentiſſime Tibi quoq; communicaſſet, ſi præmonitus fuiſſet. Adornabit Vir Cl. Diſſertationem de affectibus Cordis, cum plures tales polypos Cordis obſervaverit, & delineatos mihi oſtenderit. A quibus Catarrhos ſuffocativos ideò oriri imprimis credit, quia

omnes

omnes illi, in quibus polypos hos obſervavit, Catarrho hocce extincti ſunt. Credidit ſcilicet ejusmodi concreſcentias inhibere ac plane ſiſtere fluxum purpuræ alimentaris. Clariſs. D Chriſtianus Bunccius Te & jam quoq, humaniſſime ſalutat. Is mihi nuper narravit, quod Anno 1654. menſe Sept. præſentibus Dominis D. D. Caſſio & Hauswedelio aperuerit Cadaver Gabrielis Engels Civis Hamburgenſis, qui per aliquod tempus calculo laborans tandem accedente urinæ ſuppreſſione interiit. In hujus veſicæ orificio invenit calculum ingentem figuræ amygdalinæ, qui ita obturaverat veſicæ orificium, ut nullus pateret urinæ exitus. In ventriculo præterea nigricantem materiam reperit. Reliqua nihil notabile foverunt, præter Hepar, cui nulla veſicula bilis appenſa erat, imo nec veſtigium ejus ullum hepati impreſſum cernebatur, quamvis anxie cum adſtantibus quæſiverit, & exempto inſuper Hepate cuncta diligentiſſime perſcrutatus fuerit.

Ego in nuper diſſecto Pſittaco inter alia articulationem ſuperioris maxillæ cum cranio exacte obſervavi, artificioſamq; cranii ſtructuram cum delectatione ſummâ contemplatus ſum, quam ſane adeo perfecte deſcripſit Aldro-

drovandus Ornithol. Lib. XI. c. 1. p. m. 323. & sequ. ut quicquam addere supervacaneum videatur. In figura vero cranii quam ibi addidit, hoc solum desidero, quod Processum quartum sive Processum Cranii, qui est inter Orbitam oculi C. & Processum tertium scilicet Auricularem L. non expresserit.

Interea quoq; tres utriusq; sexus martes dissecui. Ex quarum sectione imprimis sequentia desideravi in descriptione Martis quam habet Magnus Severinus. 1. Quod ei denegaverit Membranam carnosam, qua tamen à benigna natura donatæ sunt Martes. Quia vero hæc cuti adeo arcte est connata, ut obiter intuenti unum esse videantur, nec absq; læsione separari possit, hinc suspicor virum summum esse delusum. 2. Quod penem tantum cartilagineum esse voluerit, cum revera osseus sit, tam in adulto quam juvene, mirabilisque figuræ, ut ex iis quos servo patet. Reliqua quæ in hisce animalculis annotavi non addo, ne nimius sim. Vale Patrone colendissime & fave Dabam Hamburgi die 14. Martii cIↃ IↃc LVII.

EPISTO-

EPISTOLA LXXXVII.

Anatome gravidæ, & aliæ observationes anatomicæ de Lymphaticis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

AD finem perducta hujus anni anatome decreveram, quod mearum erat partium, quicquid in ea præter consuetum, vel notatu dignum occurrerat, statim referre, Parentum verò litteras exspectans, quibus una responderem, diutius silui, delicti interea, si quod commiserim, veniam submisse petens. Dissectionis corporum primordia ac progressum, in præfatione suæ anatomiæ diserta oratione prosecutus est Excmus Antonius Molinettus, cum digno ejusdem Artificum encomio, quod T.E. detrahere invidi & iniqui esse animi palam professus est, quam in publicam scenam sine debito elogio haudquaquam produxit, & cujus nomine in Theatris nostris nihil frequentius, nihil glorioſius, monuit. De Hepate agens sangvificationem ipsi frustra detrahi asseruit, quippe quod chylum per lactea recipit vasa, quæ & monstrare decreverat; Canis autem huic negotio destinatus, Consiliariorum Anatomicorum culpa non pastus, exspectationem nostram eluſit. Duos ramos lacteos per aliquam

quam Portæ partem repentes mihi semel in propriis ædibus ostendit, quorum ulteriorem progressum ob minimam chyli copiam accuratius cernere non potui. In testiculis Viri intra albugineam in præparando vas aliquod apparuit, cavum, albicans, extremitate altera cum epididimidibus connexum. Fœminam, ob tumidum abdomen pro gravida habitam, è sepulchro effoderunt studiosi ac in Theatrum deduxerunt; cujus abdomen cum dissecuissem, Ventriculus insigni tumore distentus in conspectum prodiit, totam abdom. regionem occupans, ipsaq; Intestina cooperiens; infra ventriculum nullum omenti vestigium, quod tamen paucum admodum versus Pylorum inter Diaphr. & Ventric. delituit. Urgentibus circumstantibus Ventriculum dissecui, ex quo fœtidus erupit flatus, unde minor factus præter acetaria & atrum humorem sat copiosum nihil continuit. Reliquorum in abd. viscerum faciem exploraturus, Lienem, inter Hepar & Ventriculum latitantem, in sinistro latere gratis quæsivi, nullis fibrulis Diaphragmati aut Ventriculo adhærentem. Intorta ac simplici gyro circumvoluta vasa splenica vidimus, unde à tumente Ventriculo eo detrusum colligo, ipsum Hepar justo altius quoq; retrusum, cæterea

ra ſanum. Sic primum conceptam, ob turgentiam abdominis, graviditatis ſpem ſeponere coacti, ipſum inveſtigamus Uterum, quem figura pomum, magnitudine pugnum adæquantem lubentes offendimus: hunc debita diligentia præparatum ſequenti die in Theatro publicè aperuit Excellentiſs. Molinettus, ac in eo embryonem marem invenit, omnibus numeris abſolutum, amygdalam magnitudine exprimentem. Calculum ad ovi magnitudinem circa acum oſſeam in veſica collectum publicè oſtendit, quam puellæ Venetæ extraxerat: Acus per annum in veſica latuerat, quæ laſcivienti, dum ſe ea fricaret, è manibus præter opinionem in veſicæ capacitatem elapſa erat. Septum cordis foraminulis pervium ſtylo monſtravit; ex eo tamen per Pulmones non circulari ſanguinem, minus recte colligi advertit. Pro coronide anatomes ductum Pecqueti, & Vaſa Lymphatica prope Hepar, & in artubus, ſpectatoribus exhibuit. Nudius tertius in cadavere nuper mortuo eadem circa Iliacas vidimus. Petrus Marchettus in ſua demonſtratione anatomica docuit venas hæmorrhoidales, quæ circa ani extremitatem deſinunt, eſſe ab interna hæmorrhoidali Portæ propagine, de quo tamen valde dubito donec dato ſtudio

ipſemet

ipsemet invenero. Bronchocelen in theatro proposuit, ubi glandulæ diversæ asperæ arteriæ adstabant, quarum quædam sero copioso turgebant, quas si ante mortem dissecuissent, mortem ipsam evasisse credidit Marchettus. Vasa lymphatica à thoracico ductu necdum distinguere novit, quæ 200. annos cognita, ac ab Eustachio descripta jactat. Vale mihiq; fave. Patavii 22. Martii 1657.

T. E Disc. obs.
Henricus à Moinichen.

EPISTOLA LXXXVIII.

De Consensu nostro & dissensu.

Thomæ Bartholino Hafniam.

SI vel minimum addubitarem de candida humanitate, tot aliarum virtutum Tuarum condecoramento, parum confidente hæc exararem manu. Quin ne aggrederer quidem, nullo prævio exploratore, pertenuem ratem alto committere. Sed præterquam quod tot virtutum laudibus eminens celeberrimum nomen Tuum absq; sui injuria nullatenus me sinit ambigere; certè vel publico attestato, ut de aliorum relatu jam taceam, accrescit in bonos

omnes propenſæ benevolentiæ Tuæ, dubitare neſcia, fiducia. Neq; hanc ulla ſui parte diminuit quicquid lucubrationes noſtræ præ ſe ferunt diſſenſus, quà Cordis Hepatisq; aſſerendum munus: donec neq; animorum neq; conatuum ulla eſt, neq; uti ſpero, unquam erit colliſio. Uterq; ſcilicet in libera Reip. quæ ſibi videtur optima, veriſſima, utiliſſima liberè profert, explicat, propugnat: probè memor, quod cauſa ipſa nullius omninò hominis, ſed Dei & Naturæ, quod item deciſivam quæſtionis finitionem vel poſteris reſignare honeſtum ſit. Interea tamen Te, Vir Excellentiſſime, cæterosq; Medico-Anatomicæ aciei anteſignanos, quibus è Germanis & Rolfinckium noſtrum accenſeo, uti par eſt, ego deveneror, indefeſſumq; & felix, quô Tute inprimis clares, imò fulges, microcosmi hujus adyta indies penitius rimandi ſtudium, ceu rem ipſi Ter. Opt. Max. Creatori ſacram, deprædico; peculiares deniq; obſervationes, qualis eſt vaſorum lymphaticorum & chiliferi thoracici, quarum priorem (ſed & poſteriorem, quà humanum corpus) Tuæ cum primis operæ referimus acceptam referetq; grata poſteritas, ambabus propenſiſſimè amplexor: quanquam haud invalidis rationibus perſuaſum habeam, mea de

cordis

cordis ac Hepatis usu lemmata inde colluſtrari potius, ſive declarari poſſe, quam demonſtrativè infringi. Ut autem lis hæc ſub judice pendeat indefinita: fore tamen ſpero, ut meus iſte candor favoris Tui igniculos accendat verius quam extinguat. Quo etiam aurigante viſum eſt officioſe in Te propenſi pectoris penetralia adjectis pagellis, de Phil. Schol. emendatione, ceu cartaceo quodam ſymbolo, teſtata facere: non quod ipſæ quidquam demereri queant, ſed quod publico ſacri argumenti conſideratio. His ipſis conatibus noſtris ſi Te examuſſim benè cupere intellexero, erit de quo mihi gratuler: idq; magis adhuc, ſi iidem nonnullorum Regni veſtri procerum favori, vel ipſius etiam Regiæ Majeſtatis (de qua dudum fama increbuit quod non ſine exaſciatiſſimo Judicio excultiores Muſas peramet) clementiſſimo patrocinio videantur meliorem in modum commendari poſſe. Vale, vive, ter honoratiſſime vir, Deo, Reip. & Muſis Tuis, mihi deniq; Neſtoreis annis amplius, felicius. Scripſi tumultuariâ manu d. 24. Mart. An. 1657. Erfurti.

Nobiliſſimi Tui Nominis
ſtudioſiſſimus
Eccardus Leichner D.

EPISTOLA LXXXIX.

De Viriis antiquorum, & Conciula Marcelli.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

DIu eſt, cum amicitiam tuam, μηδαμῶς πολύφιλος περ, ambire animo deſtinavi, tam quod Parenti tuo τῷ μακαρίτῃ ante hos quaſi quinquaginta annos in Academiis ſuaviter convixiſſem, quam quod eo parente dignum Te hactenus probaſſes Nobis, qui in Anatomicis nihil vulgare ſapéres, & ad augendam ornandamq; eam Artis partem ſingulari ardore, ferri videreris, & præter cæteros ſolertia dexteritateq; inſigni ad ejus ſplendorem plurimum contuliſſes. Dum in eo eſſem, cogitaremq;, quomodo ad Te irrepere ſine ſtrepitu poſſem, bona ſcæva factum eſt, ut Clar. Vorſtius, Roſtochio Tibi notus, mei cauſa Te præoccuparet: quam ejus audaciam tam feliciter ipſi ceſſiſſe, ut & quanti me faceres (præfiſcinè dixero) & amicitiam meam ultrò abs Te expeti, intelligere è tuis ad ipſum poſſem: qua benivolentia & humanitate tua quantum delecter, dicere ſanè nequeo. Iſtud verò planè egregium erectæ mentis indicium mihi eſt, quòd cum audiveris parare me Auctarium Inſcripti-

Inſcriptionum veterum hactenus ineditarum, Operi æterno adpendicem, eas quas in peregrinatione apud exteros collegiſſes Ipſe, vel à viris illuſtribus accepiſſes, ἀνεκδότα ἐκχέαψας mecum σεσθύμως τε καὶ ἀφθόνως communes eſſe volueris. Eo beneficio ita me Tibi devinxiſti, ut omnia me Tui cauſa facturum, & hujus rei perpetuam ad Poſteritatem memoriam Tibi per me conſtituram ſanctè recipiam: audiat Cana Fides! Candoris etiam & gratitudinis erga Te meæ δεῖγμα quoddam jam dum publicè extaret, niſi Amicum in Acad. vicina Prof. P. cui meo nomine id ut præſtaret perſuaſeram, alia ex aliis nata negotia hactenus conſilio depuliſſent. Lapidem enim in hortis Urſatinis ad Aponi thermas erutum & abs Te omnium primo Vindiciarum anatom. HOFMANNO Prof. Norico, cognato, Adfini & Symphilologetæ meo oppoſitarum I. Germanis ſpectandum propoſitum, poſt ſummorum Virorum Liceti & Holſtenî curas & arriolationes Commentariolo illuſtravi, commiſi; ei, quem dicebam, ut illuſtribus Profeſſorum Hafniæ BARTHOLINI & LANGJ nominibus inſcriptum ederet; fietq;, ita ſpero, ut confectum id negotium detur, brevi.

Οὐ μάντις εἰμὶ πίφαυη γυῶναι σαφῶς, non Oedipus quem pro ſphinge iſta requiris; ſed videor tamen ſatis de re obſcuriſſima dixiſſe veroſimilia, & quibus ingeniorum elegantia & æqua poſſint adquieſcere. In anteceſſum verò accipe & lege, ſivis, quid de ſaxo quodam Auguſtæ Vindel. haut ita pridem effoſſo muginatus ſim; γεῦμα id habeto cæterorum ad Inſcriptiones meorum, Quas miſiſti per Vorſtium vel ideò acceptas habeo, quod nonnunquam diſcrepent à ſcriptura aliorum: fuitq; ea differentia ſeu varietas lectionis mihi frequenter via ad veram. In de armillis quas conſtipaſti jam ante à Grut. aliisq; ſublectæ fuêre. Ex ea quam p. 67. producis miror Tibi exire potuiſſe hoc πόρσμα: fœminarum adeò proprias fuiſſe virias, ut in nomina tranſierint; nominari ſcil. in lap. Viriam Lucillam. Atqui manifeſtum eſt, eſſè etiam Virios familiam nim. Romanam ex hiſt. & lapp. notam, ſive à viribus ſive undecunq; ſic adpellatam. Non ergò à viria VIRIÆ iſti nomen, ſed à majoribus ejus Viriis: quos ſi ſimiliter à viria ſic dictos velis, intelliges probandæ rei idoneis teſtimoniis Te deſtitui. P. 80. à Cœlio Rhodigino deluſum Te agnoſces, ſi Plutarchi parallela

rallela minora adieris ; Ibi enim c. 15. citat eadem ipsa quæ Cælius , è Clitophontis i. rer. Galat. Vides supinitatem vel etiam fucum Cælii? Allegat Clitophontem , quem nunquam viderat, noratq;, nisi indicio Plutarchi: & tamen de Plut. tacet. Hoc circa testimonia veterum cacoëthes sive etiam εὐηθες in Cælio, Politiano, Bapt. Pio, Beroaldo, Alex. ab Al. & similibus ejus notæ & ætatis dudum notarunt viri docti; eorumq; allegationes propterea caute arripiendas etiam monuerunt. Iste Clitophon Rhodius fuit & Indicas res præterea, libros q; κτίσεων scripsit. Ibid. p. 81. tribuis Jaboleno, quod è Scævolæ lib. 17. Digest. desumtum extat in l. Medico 50. D. de auro & arg. leg. Nec intelligo qui p. 82. Ulpianum L. de auro & arg. leg. laudes. Ex Ulpiani enim l. 44. ad Sabinum est id testimonium & relatum in l. 25. D. de auro & arg. leg. Marcello cap. 33. ejicis *conciculam* contra editiones omnes, & substituis *lenticulam*. Improbabis hoc ipse, scio, si Scribonium n. 233. quem exscripsit h. l. Marcellus, consulueris. Sic autem ibi legendum est: Ad testiculi tumorem, cupressi baccæ ex vino coctæ conveniunt, & faba fresa (τὸ *quasi* enim tam apud Scrib. quam apud

Marc. nihili eſt) in concha multo cum cumino cocta. Pro concha Marcellus conciculam, conchiculam dixit: quod etſi diminutivæ formæ ſit, non ſemper ſignificat tamen diminutionem, uti alia multa. Eſt etiam diminutivum ſecundo gradu è conchula: talis in Græcis ratio τῶν κογχὴ. κογχύλη, κογχύλιον. Eadem apud Latinos in hiſce: olla, ollula, ollicula apud Theol. Priſc. l. de phyſ. ſci. ſilva, ſilvula ſilvicula in Notis Tir. arca, arcula, arcicula apud Corn. Nep. gutta, guttula, gutticella: caſa, caſula, caſella, caſellula apud Ennod. l. 9. Epp. herba, herbula, herbuſcula apud Mart. Cap. l. 2. Sed quo prolabor? Non inſtitueram hoc agere, quanquam nec ingratas Tibi fore ſperem has de literis noſtris confabulationes; & ſolemne hoc meum eſt, acceptum à Viris magnis, ad amicos de talibus referre potius, quam inanes novellas recoquere, & quærere de eò, quid Seres, quid Thraces agant, audireq; ſed ſine capite, ſine auctore, rumore nuncio. FRIDER. HAMMERICUM Juvenem latorem harum, honeſto apud Nos loco natum, & è Bonis, diutule in Academiis verſatum & haut ita pridem è Regiomontana ad Veſtram digreſſum, Medicinæ ſtudiis deditum, commendare Tibi volebam; Libenter

enim

enim faveo erectis ingeniis, præsertim si modestiam mihi probaverint & sedulitatem. Eum si forte per seipsum commendatum jam cognovisti, puto, me hoc quod facio, facere serius; magnopere autem abs Te contendo, ut ad eam voluntatem, si quam in eum ante has literas contulisti, quam maximus postea mea commendatione cumulus accedat. Sin autem propter verecundiam suam Tibi se minus obtulit, aut nondum satis habes agnitum, aut si quæ causa est qua de majoris commendationis indigeat, sic Tibi eum commendo, ut neque majore studio & amore quemquam, neque justioribus de causis commendare possim. Spondeo autem Tibi eum talem esse, qualem tuo favore & mea traditione dignum sis existimaturus; simul Te ita existimare volo, quibuscunq; beneficiis officiisq; Eum obstrinxeris, iisdem Tibi me obligatum fore. Bene Vale, mi optime BARTHOLINE, & amorem mihi tuum perseverа. Scr. Altenb. XXII. April. Anno 1657.

Amica voluntate TIBI
addictiss.
REINESIUS.

EPISTOLA XC.

De loco Marcelli Responsio.

THOMÆ REINESIO Altenburgum.

LRuditionem Tuam hactenus ex scriptis Cedro digniſſimis admiratus ſum, jam humanitatem tuam expertus ſum ex literis exoptatiſſimis, quas tuo nomine, recte tradidit Fridericus Hammericus Vir doctiſſimus, mihiq; non uno nomine dilectus. Impensè gaudeo quod eruditis literis ad amicitiam, quovis ære redimendam, me invitaveris, quam hactenus ſæpe mihi exoptaveram. Multum debeo Cl Vorſtio, quo parario, tibi mea officia innotuerunt. Avide expeto Tuum de Inſcriptione Maguriana commentarium, cujus ſpem nobis feciſti, nam quæ de Saxo Auguſtano commentatus es, erudita planè ſunt, &, auſim dicere, veriſſima. Ex ungue leonem cognoſcimus, & ut vires ſuppetant, ad magnum illud Inſcriptionum volumen explicandum & augendum, quod eruditus orbis exſpectat, votorum meorum ſumma eſt. Interim pro transmiſſo ſpecimine gratias ago ampliſſimas, niſi locorum diſtantia obſtaret, mitterem & ego nugas meas, quas aliquid eſſe putas pro candore tuo & ſumma humanitate, imprimis

Tibi

Tibi deberem Centurias Anatomicas posteriores nuper divulgatas, quod illuitre Tuum nomen in historia puellæ Altenburgicæ ibidem advocarim. De Viria quæ scripsi conjecturæ meæ imputabis, quam damnabo, siquidem Tibi displicuerit. Pro Cælio nolim intercedere, quem, quum forte ad manus esset, placuit in Scenam producere. Jabolenus etiam currente calamo præter mentem meam pro Scævola irrepsit. At Ulpianus rectè à me fuit laudatus, cujus verba recitantur l. 25. D. de auro, argento mundo, ornamentis, &c. legatis. Majus dubium moves de loco Marcelli à me in Corollariis emendato. Pro concicula c. 33. lenticulam reposui, quod hujus sæpe, illius nunquam fiat mentio. To *quasi* lenticulæ fabam comparat cognati generis, statimq; Marcellus subjungit lentem ad veretri tumorem coctam esse utilissimũ, quod ex Scribonio repetit comp. 234. Ad similes quoq; affectiones lens commendatur Dioscoridi l. 2. c. 129. In codice suo, quem apud Magnum Vossium contuli, ita olim correxerat Cornarius. Sed inducta litura conciculam restituit, quam non improbaverim, quia Scribonii autoritatem urges. Elegans tua est lectio, quanquam nimia licentia *fresa*, pro *quasi* emendes.

Facilius

Facilius Rhodius noſter, Muſarum delicium. Not. ad Scribonium, *quaſi conchis* legit. Quid enim hic concha? An menſuræ genus? An concha Columellæ l. 12. c. 5. qua depletur oleum? An concha vera? Plura nolo de controverſo loco apud Te nugari doctioribus intentum, & me Diſpenſatorium noſtrum avocat, quo impeditus reſponſionem diſtuli, quanquam ſæpius monuerit Hammericus, optimus noſter civis, quem etiam Tui cauſa amo. Vale, Vir Summe, Reip. literariæ bono diu flore, & Bartholinum, quem tuum eſſe voluiſti, ut cœpiſti, porro ama. Hafniæ XV. Aug. 1657.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTOLA XCI.

De vagina uteri monſtroſa, & convulſione oppoſitæ partis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

PArtim Æoli, partim Martis inclementia & crudelitate, navium ex Haunia ad nos recurrentium impedita fuêre vela, unde & literas vetuſtiore ſtylo ſubſcriptas videre licuit.

Nunc

Nunc demum ex mente amiciſſima ad Te redit reſponſio ſumma cum gratiarum actione, quod Centur. 3. & 4. rar. obſerv. Tuarum cum disputationibus aliquot anatomicis transmittere, factaq; honorifica mentione meæ tenuitatis, duas obſervationes doctiſſimis iſtis Tuis ſcriptis addere volueris. Quæris autem ex me in Epiſtola Tua ultima, an vaginæ iſtius in Muliere Bergens. obſervatæ dilatatio ex crebris abortibus? An à nativitate ſuperflua membrana ita tumuerit? R. Me potius dilatationem illam crebris, laborioſiſſimisq; tribuere abortibus. Laborioſiſſimos dico, & ſi inhumanos adpellitarem, vix mentitus eſſem; quippe cum nunquam ad legitimam poſituram, conſuetumq; egreſſum infantes diduci potuerint; ex utero vero omni labore protracti, omnes dudum fuère mortui, & putredine correpti, &c. Hujus autem vaginæ propendentis deformitatem obſtetrix primum mihi adaperuit, cum quærerem ex illa, cur mulier patiens aliarum mulierculârum manus ad corpus admittere non vellet, reſpondit, hanc vaginam eſſe in cauſa, & quamvis digitis ſemper intrudi poſſit, & ad latera vulvæ interna apte collocari, tamen ſi cuiquam innoteſceret forte, miſeram illam vulgi vereri cavillationes.

nes. Cum autem vita discessisset, obstetrix rem invisam pluribus monstravit mulierculis. Nolo autem multis de hac re verbis ulterius molestus esse. Casum Tuis literis de puero in capite exili vulnere læso, qui in opposito latere convellebatur, adjungis, ad quem lubentissime responderem, nisi tot dissentientium in re tam difficili, interq; dissentientes quamplurimos tot ambigua me detinerent opinionum argumenta, & quidem Averrhois præcipiti velut impatientia ducti de hac re sententia, qui Medicorum prolata de convulsione, fabulis cantantium, aut verbis Musicorum proxima pronuntiavit. Ballonius ad manus non est. Notus autem mihi locus quem adducis apud Hippocr. libr. de cap. vulnerib. ubi scilicet agit de illis qui ex vulneribus capitis sunt perituri, hæc addit: si Sinistra capitis parte ulcus fuerit, dextram corporis partem convulsio prehendit: Sin vero dextra capitis parte ulcus fuerit, sinistra corporis pars convulsione corripitur. Addit Coac. prænot. 498. quibus tempora secantur, iis ex adversa sectionis parte convulsio contingit. Sic in libris de morb. vulg. hinc inde, præcipue lib. 5. sect. 7. hujus Symtomatis fit mentio, ratio addita nullibi. Certum autem esse credo, plurimum juvari vulne-

vulneratam partem, & à convulsione defendi cum per sanguinis ab initio statim percussionis effluxum, tum per purulentæ postmodum materiæ excretionem, quæ expurgatio in parte opposita non succedit, verum recipit potius illa à parte ulcerata quod recipere non debebat, vel retinet quod expurgandum erat, sive vapor illud sit, seu humor qualitate maligna præditus, & nervis, nervosisq; non-vulnerati lateris partibus inimicus: quæ qualitas acris, vellicans, nocivave eò faciliori viâ poterit in parte vulnerata contrahi, quando angustius est foramen, quò minus sanies exputgari possit. Quod autem latus vulneratum non æquè corripiatur, medicamentis adsigno localibus, quorum vis illud efficere potest, ut partim defendant, partim per insensibilem transpirationem, puris sqalorem deteriorem absumant. Possent supra dicta aliquo dilucidari exemplo: Paralysis, quæ fit ex Apoplexia, crebrius latus tangit dextrum, quàm sinistrum, cum tamen in Apoplecticis repleatur magis siniſtra pars cerebri; expulsio itaq; in generatione paralyseos fit ad partem oppositam, cum plenum non recipiat, sed vacuum. Verum suo quisq; gaudet ingenio, suâ vivit opinione, nec omnes tamen,

--- metam

— metam properamus ad unam.

Ante octiduum Regius hujus loci præfectus Generosus Dominus Ovidius Bielke mihi retulit, non procul ab hac Civitate Pastorem habere Equum, carentem utriusq; sexus membro: quamprimum navibus nostris liberrimus ad Vos dabitur aditus, Equum Generosus Dominus præfectus ad Serenissimum Regem nostrum transmittet. Nobis hîc videre nondum licuit, verum, me præsente, per literas ad Pastorem datas avocabatur. Tu verò, Vir Nobilis, vive, vale, anna & perenna! Dabam Bergis Norwag. die 30. 7br. 1657.

T. T.

Johannes Fridericus Treublerus D.

EPISTOLA XCII.

De Lue Regiomontana & Basiliſco.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

REscripsit nuper ad me Fridericus Hammerich Medicinæ Candidatus, auditor olim meus in Collegio privato, quod pro conciliandis Sectis in Medicina discrepantibus institueram, cui Ego misi Ideam Pestis, hic Lubecæ, pro introitu, à me publicatam: Eam scribit se

Tuæ

Tuæ Excell. cum obtuliſſet inſpiciendam, comprobatam fuiſſe ſibiq; ſubtractam: ſed habebit aliud Exemplar pro iſto, plura namq; mittã non tantum de Ideâ: ſed etiam de Methodo Conciliandarum Sectarum in Medicina Discrepantium, quemadmodum etiam de Lue Academica Regiomõtana, cujus Tractatus publicatio, juſſu ipſius Senatus Academici inſtituta, viam mihi ad exilium paravit, quia detexi errorem Academicorum Profeſſorum, hunc morbum neglecta cauſa vera curantium ab initio, undè intrà quatuordecim dies 40. circiter juvenes optimæ Indolis miſerè periere: ad cujus morbi curationem cùm Ego eſſem vocatus, DEI benedictio operationes & conſilia mea beavit, ut non tantum ex ægrotantibus adhuc, plurimi intra paucos dies eſſent reſtituti; ſed & Morbus ipſe ex agro Academico eradicatus. Sed indignum hoc videbatur Dominis Collegis meis, ab extraneo, non Profeſſore, palmam ſibi præripi: propterea aſſentando & Calumniando apud aulicos, imò & apud Cives clam me denigrando, eo contenderunt, ut gratiam aulicam & multorum Civium à me declinarent, ut & ſalarium aulicum jam à Sexennio mihi ſuſpenderetur, &, quod maximum, & bono publico detrimentoſum, ut quod pri-

vato odio post posuerunt, Publicationem Hipparchi, operis posthumi Parentis mei impediverunt, suspendendo solutionem 500. Joachimicorum, ad publicationem dicti operis antè 12. annos jam à Screniſſimo Electore designatorum, siquidem ob initio statim mihi invidebant, quod pro Aulico Medico fuerim receptus: Sed quia propter Candidam simplicitatem non fui par, ut insidias & astutiam eorum potuerim refringere: propterea ut insolentiæ & importunitati eorum me subducerem, Lubecam me contuli, atq; aulæ Brandenburgicæ valedixi, quia in hoc turbulento statu, utut Sereniſſimus Elector oretenus gratioſiſs. suum affectum conteſtatus fuerit erga me, spes obtinendi subsidii omnis evanuit. Tabulam primam Ideæ pestis Germanico Idiomate explicatam integram jam habeo, secundæ Tabulæ explicationem, ad medietatem usq; perduxi. Jam autem sub manibus habeo, sollicitatus à Viris quibusdam conspicuis, Tractatum de Generatione Basilisci, cujus Embryonem in Ovo Gallinæ Regionionti, An. 1649. in Sabbatho Sancto Paschali, cocto deprehendi, in quo Tractatu, antiquorum scriptorum uti & recentiorum opiniones veræ conciliabuntur erroneæ examinabuntur: ubi etiam occasio

sese

sese offert, ut observationem Excell. Tuæ tangere cogar, quartam & Nonagesimam nonam, sectionis seu Centuriæ primæ: haud ægrè feres Vir Experientissime, si rationes præcipuè posteriori observationi oppositas induxero: hæreo enim, an sincere statuas Gallum ovum parere, quin potius credo, Te in gratiam aulicorum hanc observationem conscripsisse & argumenta ad defendendam opinionem conquisivisse. Nollem tamen te adversus me iisdem argumentis irritari: alias ego eadem nunquam tractatui meo insererem. Hisce Vale Vir Excellentissime. Dabam Lubecæ 2. Octob. An. 1657.

Amplitudinis & Excell. Tuæ

Observantiss.

Ludov. Kepplerus Phil. & Med. Doct.

EPISTOLA XCIII.

Analecta de Lymphaticis.

Georgio Segero Hamburgum.

UBiq; Tibi semperq; es similis, & animum ab inerti otio alienum monstras. Nescit otio torpescere generosus spiritus, & per in-

vias viarum ambages, virtutis quærit diverticulum. Tu, mi Segere, inter itinerum occupationes id agis, ne peregrina ſtudia ſecteris, ne vitiis aliorum aſſueſcas, ſed diligentiam ſolitam & in rimandis Naturæ arcanis ſolertiam, ubiq; tecum circumfers. Patet omnibus Natura, & cœlum undiq; ſupra: Pauci tamen vel illam ſcrutantur, vel hoc acutis oculis intuentur. Sunt qui mare averſentur, & fluminum rapidos curſus innato timore expaveſcant, quia alienum elementum credunt, & abſorberi timent. Tu in ſicco viarum ambitu aquas quæris, magnum virtutis laudisq; incitamentum. Ex nupertimis tuis intellexi literis Nymphas tecum adhuc peregrinari, nec Lympham noſtram ſciendi ſcribendiq; ſitim extinxiſſe. Plurimi cum Tantalo mediis in undis ſitiunt; & à labris

----- *Fugientia captant*
Flumina.

Tu remis velisq; contendis, ut lympham noſtram deguſtes variis turbinibus paſſim commotam. Arduum erit tantos componere fluctus, quos partim diſſentiendi litido, partim rei novitas & naturæ amor excitavit. Laboribus quidem par es, & ingenii acumine quævis facilè permeas: Cave tamen ne nimia tui fiducia

in

in vaſto hoc oceano ſubmergaris. Undam unda trudit, & ſæpe ſecurum incautumq; inſperata tempeſtas obrúit. Validis nituntur argumentis *Gliſſonius & Whartonius* Viri perſpicaces. *Horſtius* Junior palmam candore meruit. Rolfinckii authoritatem omnes venerantur. *Kyperi* ſtudium, *Schenckiiq;* ingenium merito laudandum. *Pecqueti* deniq; felicitas, & pietas *Bogdani* adverſantium impetus retundunt. De ſingulis judicium in Te ſuſcepiſti, ita tamen, ut nec modeſtiam tuam illi deſiderent, nec de illorum rigore tu conqueraris. Prætermiſſos video *Backium & Cattierium*, dignos elogio. Utriq; pro inventi applauſu debeo. *Jacobus de Back* Medicus apud Roterodamenſes ordinarius, in iteratâ nervoſæ Diſſertationis de Corde editione Cap. 5. de Lymphaticis noſtris Vaſis Lymphaq; illis contenta ingenioſus eſt. Negat primo Receptaculum vel ductum Thoracicum recipiendo aut ferendo ſucco lacteo propriè deſtinatum: dedicatum potius humori, quem ſemper omni tempore & maxima copia accipit & gerit, ſcilicet lymphatico ſeu aquoſo, quæ quoq; eſt conjectura quorundam Anatomicorum Patavinorum. Deinde quis qualisve aqueus vel lymphaticus hic humor ſit, inquiſiturus, concludit reapſe

non aquoſum aut lymphaticum (niſi quoad externam apparentiam) eſſe humorem, ſed ſangvineum, imo ſangvinem, cui non color ſed alendi aptitudo nomen dedit. Certè plus huic lymphæ ineſſe, quam prima fronte promittat, alibi non ſemel ſuſpicatus ſum, & in gelatinam concreſcere, ſi carbonibus ignitis imponatur, expertus eſt *Móinichenius* noſter. Alia in ſententiæ robur affert laudatus *Backius*, nempe ſerum à ſangvine ſeparatum per oculorum lacrymas effundi, cum recrementis in veſicam, inteſtina, aliave naturæ convenientia loca mitti, non verò ſangvineæ maſſæ cordi deferendæ excrementa hæc affundi. Dubiis iſtis contra *Riolanum* in Defenſione noſtra ſatisfecimus, & de utilitate hujus recurſus ad cor cum eodem *Riolano & Joh. Dan. Horſtio* Viris Clariſſimis operoſo ſtudio diſceptavimus. Majus ultimo argumento Backiano pondus ineſt: Vaſa enim noſtra, quibus lympha continetur, venas eſſe putat & ſurculos à venoſo trunco exortos, qui in albentes & membranoſas tam viſcerum quam extremorum membrorum & artuum partes inſerantur. Ego oculorum acie id necdum ſum aſſeqvutus, Tu videas qui & ætatis privilegio acutius cernis, & huic lymphæ altius te immergi S. *Iſaacus Cattierius* Medicus Monſpe-

Monſpelienſis, in Obſervationibus nuperis *P. Borello* junctis, Obs. 18. partem chyloſam & nutritiam attrahi ab hepate per lacteas venas ſuſpicatur, ſecerni verò & relinqui aquoſiorem ad nutritionem inutilem, eamq; in iſtis venulis lymphaticis redundare. Quod ſi ductus lactei propę hepar & in ipſo hepate obſerventur, res confecta erit & confeſſa. Diſpuli errorem alibi, qui tot hactenus oculos effaſcinavit, & eundem pro errore meo interpretabor, ſi aliter mihi demonſtratum fuerit. Ego Tibi gratulor, Amicorum optime, quod tuis conatibus Rempublicam Medicam tam ſtrenuè exornes, & famam ad poſteros diffundas. De ſtatu tuę ſollicitos eſſe amicos Thoruno nuper perſcripſit ad me frater tuus, quos ſecuros eſſe juſſi. Niſi itinerum difficultas obſtaret, mitterem meas de Variolis Epidemicis, & Secundarum Retentione Diſſertationes, quas deſideras, & poſteriores Hiſtoriarum Anatomicarum Centurias. Sed melior aura exſpectanda. Vive diu orbi literato, patriæq; Tibiq;, & ſi in itinere ſuſcepto Cl. *Horſtium* conveneris, plenum humanitatis & eruditionis Virum, meam quæſo in reſpondendo moram excuſa. Vix ab aliis negociis ſpiritum

traho, ut rebus Anatomicis amplius vacare nequeam; parumq; abſit, quin

Lethei ad fluminis undam,
Securos latices, & longa oblivia potem.

Raptim Hafniæ 5. Octobr. æræ Chriſti cIↃ IↃc LVII.

Impreſs. Hafn. 1658.

EPISTOLA XCIV.

De cancro in mamma.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

HActenus equidem poſt diſceſſum meum ex Urbe Veſtra literas ad Te dare ſuperſedi, non quod beneficiorum Tuorum maximorum in me cumulatorum, (pro quibus & æternas Tibi debeo grates & debebo ſemper) me ceperit oblivio ſed quod Te occupatiſſimum ſcirem, vixq; vacare tempus ad legenda hujus generis epiſtolia. Jam vero ad hasce exarandas occaſionem dedit Eliſabetha Lungia, inter Nobiles fœminas hujus confinii primaria, quæ morbo quodam contumaci & medica ferè auxilia eludenti conflictatur, eoq; jam indies incrementum capeſſente, contra eum præſidia quærit. Prolixus haud quaquam

ero

ero in exponenda morbi historia, utpote nec Tibi ignota. Laborat tumore mammarum à nonnullis annis quem an cancrum occultum dicam ambigo, cum nec color nec calor nec dolor cancro convenientes, manifesto deprehendantur quin tamen in eum transiturus, imò proximè ab eo abfit negare pervicaciter haud velim. Consilium super hunc affectum abs Te atq; Cl. Fuirenio & Mothio abhinc triennium petiit & impetravit. Suppressa ipsi erant tum temporis menstrua in quorum provocatione cardo curationis versabatur, illisq; revertentibus tumor ille imminutus est, post aliquot autem dies denuo increvit atq; repetente menstrua purgatione evanuit, verum menses inordinatè & nimium sæpe fluxêre & nullis sisti potuerunt remediis. Illi jam à duobus mensibus prorsus non comparuerunt, unde tumor augeri cœpit & gravius afflixit, dolore quidem adhuc satis tolerabili, qui ad scapulam extenditur & sensum ponderis deprimentis infert: lividus quoq; color in uno loco in conspectum prodit, qualis esse solet cancri qui ad exulcerationem tendit, quoniam autem majoris mali metus subest remedia quærit: quibus lapsus ulterior & cancri exulceratio inhibeatur. Ego, qui menses revocare supervacaneum

neum duxi, nam quadrageſimum octavum annum ſuperavit, imo periculoſum, quia verendum, ne, ut nuper, cum vitæ diſcrimine fluant, autor ipſi ſum, ut æquivalentis loco fonticulum unum vel alterum in interna parte femoris inuri ſibi patiatur, quo pedetentim humores ſingulis diebus evacuentur, qui alias ſemel in menſe à natura propelluntur. Video hoc auxilii genus laudari à Galeno, qui, ſi ſupprimantur menſes, Fonticulos excitare jubet approbari & ſpeciatim cancro accommodari ab Aquapen. Exemplo verò confirmari à Sculteto in armam: Chirurgico, quibus permota aſſenſum pene dedit, prius tamen ut Tuam ea de re ſententiam rogarem petiit. Quare abs Te etiam atq; etiam contendo, ut Tuam mihi mentem quovis primo tempore ſignifices ac ſi quid approbati ad extirpandum deterrimum & funeſtum hocce malum præterea ſuppetit, mihi liberaliter impertiaris. Epiſtolam trades Nicolao Harderò Acupictore Regio, qui habitat in vicu ſagittarum (Pijleſtræde.) Non poſſum non autem mentionem etiam facere Quartanæ Epidemiæ quæ nos hic loci exercet, ac innumeros corripit: Reliqui morbi ſilent: Hic vero tam pervicax eſt, ut nullis cedat remediis, plura enim absq; fructu in uſum vocavi.

Id

Id habent peculiare ut cum in morbis longis plerumq; ſoleant urinæ eſſe crudæ & tenues, in hac febre ſit craſſa, turbata, multum ſedimenti ad fundum deponit, bolum contuſum referens. Omnes etiam eodem propemodum die invadit, in aliis ſemper poſtponit, ita ut ſeptem horis ab invaſione præcedentis paroxysmi, tardius febrem acceſſiſſe obſervaverim. Inaudio & Hafniæ eundem graſſari morbum, unde ſine dubio & Tibi hujus generis ægri curandi obvenêre, quapropter obnixè peto, ut, quæ ægris veſtris emolumentum attulerunt, mihi contra eum nequicquam pugnanti, communices: Nam methodicam medendi rationem invalidam hic eſſe comperi. Plura alias. Vale feliciſs. & quamprimum ſi vacat reſponde. Cl Fuirenio & Mothio, & Oſtenfeldio, Fratriq; Tuo plurimam ſalutem: Dabam Neopoli 15. Octob. 1657.

T. Perilluſt. Exc. devotus
Michael Lyſerus D.

EPISTOLA XCV.

De Morte Illuſtris Cancellarii, Thomæi.

Brigittæ Tottiæ Soram.

NUnquam avidius Stoicorum illum Principem, quem generoſo ſemperq; laudando ſtudio

ſtudio æſtimas, exſpectavimus, quam turbulento rerum hoc ſtatu, ubi animi tranquillitate opus eſt. Quidvis libenter æquo animo tolerare ſoleo. Cæterum quis compoſita mente perferat concoquatve, exceſſum Magni noſtri Patroni, Incomparabilis Herois Dn. Chriſtiani Thomæi, quem dum nomino, virtutem nomino & perfectum divini hominis exemplar. Non poſſum ſiccis oculis illius memoriam recolere, quem inæſtimabili damno amiſimus. Ivimus illi quidem nuper exequias, ſed anima in cœlis, fama meritorum apud nos perennis erit. Tu vero, Nobiliſſima Matrona, dolorum levamen ex Annæo tuo nobis procura, datamq; fidem exſolve tandem, optimeq; non tam de Seneca, quem orbi noſtro redivivum ſiſtis, quam de patria mereberis, cui de tanto cive morumque Magiſtro & vitæ, meritò gratulamur. Vive diu ſexus miraculum, mihiq; ad omnia obſequia promptiſſimo favere perge. Hafniæ XV. Octobr. 1657.

T. T.

Thomas Bartholinus.

EPISTO-

EPISTOLA XCVI.

De ſuſpenſa reviviſcente.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

P. SCHUMACHERUS S.

DIu nihil à te literarum accepi. Id totum imputo tuæ ἀσχολίᾳ, nulli alii rei. Nam refrixiſſe amorem mei tuum non credam, quanquam cum horrore audiverim ſumma iſta apud vos brumæ inclementia perpetuoq; Borea & Patrem Codanum diriguiſſe & utrumque Balthum. Ego quandoquidem video ita nos omni ictui fatorum tanquam pilas expoſitos eſſe, in hoc pulcherrimo ſeceſſu, ſuaviſſimo otio inter amœniſſimas Muſas fruens, hoc unicum ago, ut & mentem animi rerum optimarum ſcientia & voluntatem appetitumq; rerum optimarum deſiderio tanquam viatico quodam ad utramq; fortunam commodiſſimo inſtruam, ut ſi iſta tempeſtas quæ nunc quidem jactavit quas ſavitq; ratem, ſed adhuc deteriora minatur, deſævire non poſſet ſine naufragio, poſſit ſaltem hic Cato, quocunq; terrarum rapta aliqua tabula enataverit, verſatili ingenio ſibi ipſi fortunam facere. Sed cujus gratia ſtilum huic tabulæ potiſſimum admovi, nunc ſcribam.

Anglæ

Anglæ cum ſint formoſiſſimæ & omnino tales
ut ſit ἀνεμείσηλον,
Τοιῆδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν,
Et ſi cui fortaſſis cottidiana facies, tamen mollicula & tenella eſt fere omnibus caro & totius corporis habitus delicatulus, mirum unde collo tantum robur, ut elidi non poſſint fauces nec ſuffocari, niſi fortaſſis dicas tergi verſari animulam & invitam linquere tam ſuave corpuſculum tuguriolum ſuum. Hebdomadæ ſunt quaſi tres cum mulier juvencula necati partus ſui rea damnata ad furcam ducitur ſummo mane & ſuſpenditur. Per ſemi horam aut ampliùs uva erat penſilis, ſemel etiam iterumq; pedes tracta ductaq; ut eo longior fieret litera. Tandem de patibulo ponitur, & vivere comperta in hoſpitium defertur; ibiq; lecto injecta ſecta vena ſui pariter mentisq; ac linguæ ſenſim compos facta, ſub veſperam ſomno vinoq; refocillata certiſſimam convaleſcendi ſpem omnibus fecit. Nec dubitabatur. Sed circa primam noctis intempeſtæ redit rurſus crudelis lictorum manus, rapitq; miſeram rurſus ad ſupplicium, tunc renitentem obluctantemq;, cum antea mori ne renueret quidem;

agunt;

agunt, trahunt, trudunt, & arbori infelici quæ prima obvia erat ſuſpendunt; quin fracto uno ramo ad alium curritur, & ita demum miſellam animam non ejiciunt non expellunt ſed effurcillant. Simile prorſus erat quod ante ſexennium, ſub hujus Judicis qui hanc condemnaverat Patre, contigit mulierculæ cuipiam, quæ ſimilem ob cauſam ad laqueum damnata, cum horam integram pependiſſet etiam manubriis bombardarum quas muſquettas vocant aliquoties pectus icta, & jam de cruce rapta etiam carnificis in thoracem pectusq; inſilientis calces experta, ut paſſim per os nares q; flueret ſangvis, tamen in domum proximam deducta ſangvine miſſo non ſolum, licet tardius, convaluit, ſed & mitioribus benignioribusq; uſa Diis hominibusq; impetrata vivendi venia etiamnum hodieq; hic vivit valetq;, ſana omnibusq; integra ut dici ſolet numeris, niſi quod lividum ea parte collum non poſſit inficiari Ov quod obſcœno precatur Euno Auſonius. Adjiciamus & alteram hiſtoriam, quando quidem nunc penna imbuta eſt, Capitonis cujusdam, quem Amſtelodami vidi præterito anno, cum ibi nundinarias inter tabernas media in ſuburra oberrarem; Puer erat ſeptimeſtris à partu, ſtatura juſta, membris

tamen

tamen jam tabe aliqua evaneſcentibus, ſed caput erat fiſcus & lien reliqui corporis, cujus ſuperior pars ab ipſis ſuperciliis ad occiput usq; circumquaq; cum ipſis cranii oſſibus ita intumuerat, ut fungum dejerares tenui ſcapo ſuffultum, aut potius cucurbitam aliquam nam nusquam dependebat aut mole ſua temporibus ſuperciliisq; imminebat, oculorum tantum pupillas aliquantum detorſerat; & intra inferiores palpebras demerſerat, ſed æqualiter ubi extenſum ſurgebat. περιφέρεια erat ulnæ unæ Brabanticæ cum quadrante. Digitis quantumvis leviuscule contrectatum cedebat illico. Mollities non prorſus qualem habet ſuppuratum ulcus; nec qualem veſica modico vento inflata, ſed inter hæc medii generis. Sed nunc noctis eſt meridies, imo provectius quid. Interjungo equos feſſos. Vale & me ama. Saluta Fratres omnes. Vale cum conjuge liberisq;. Oxonii. 18. Maj. An. 1658.

EPISTOLA XCVII.

Obſervationes Anatomicæ in cadavere Cardinal. Meltij, & Nattæ Sectio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

AD pollincturam cadaveris Eminentiſſimi Cardinalis Dn. Camilli Meltii die 21. Jan.

Jan. 1659. cum Cl. Viro Tuiq; ſtudioſiſſimo D. Johanne Trullio Medico-Chirurgo Pontificio vocatus, ſingularia quædam in cadavere Ipſius obſervavi, quorum brevem enarrationem hic habes, ut eâ jacturæ temporis, quam in harum lectione facis, pœnitentiam demulceas. Septuagenarius jam menſes aliquot de obtuſo quodam dolore in dextra Thoracis parte ad Claviculam conqueſtus, non ſimplices catarrhi quamvis levioris moleſtias aliquoties perpeſſus, aliquam capitis debilitatem advertit, quibus febris ſociam ſe ſuperaddens decimo quarto ab invaſione die Ægrum è medio ſuſtulit, quam convulſio pridie præceſſit. In diſſecto abdomine nullum vitium notatu dignum ſe obtulit, niſi quod ſemiputridus Lien ſimplici attactu inter manus noſtras colliquaretur, tunica à parenchymate ſponte diſcedente. In Thorace ſub integumentis communibus ad finem Muſculi ſerrati minoris antici inter primam & ſecundam legitimarum coſtarum abſceſſus erat non ita magnus, pure pauco, albo, æquali & minimè fætido ſcatens, quod illæſa pleura primam coſtam corroſerat ac transverſim disruperat, ſine ulla tamen coloris mutatione: Diſtabat hic abſceſſus duos digitos à confinio primæ ſterni cartilaginis in

dextro latere. Dum vixit, in cute nullum hujus abſceſſus indicium etiam diligentiſſimè intuentibus apparuit. Pleura ſana, Pulmonis tunica abſceſſui propior fibris pleuræ adhærens callo obducta erat. Pulmonum ſubſtantia pure referta. In ſuperficie Cordis veſicula erat; In Dextro Ventriculo polypi duo tendinibus mitralium Valvularum implicabantur digiti minoris craſſitie, quorum unus è fundo Ventriculi in Venam arterioſam ramos aliquot ſpargebat, alter in Venam Cavam. E ſiniſtro Ventriculo alii duo prodibant, variis fibris annexi Valvulis tam tricuſpidibus quam ſemilunaribus. Major in arteriam aortam juſto ampliorem ad octo digitos excurrebat. Non tam frequentes alibi ac hic Romæ Cordis Polypos offendi, quorum delineationem non una mitto, quippe quæ parum ablulit ab ea quam olim Gottorpii vidi apud Cl Virum D. Joëlem Langeloth Tibi deſtinatam. Huic ſubſtituam depictam laudati Cardinalis arteriam aortam, in qua plurima apparuerunt oſſis rudimenta, qualia etiam in ſigmoideis fuere Valvulis; ſparſa erant hæc fruſtula oſſea hinc inde per arteriam ad diſtantiam trium à Corde digitorum. Cranio aperto plusquam libra ſeri tenuioris inter duram & tenuem Meninges

diffu-

diffusa videbatur, quo turgida pia mater solitam crassitiem quater superabat. Eodem fero sed rubicundiore Ventriculi Cerebri erant referti. His perlustratis & Intestinis Urna conditis, Ventres aromatibus ex arte implevimus, ut à putredine diutius conservaretur cadaver. Quia plura capit pagina Nattæ Iconem subnectere libet in sinistra fronte Cæmentarii cujusdam in agro Romano degentis plus quam triginta annos sine damno gestatæ, nisi quod elapsa æstate grandior facta palpebram comprimens ejusdem partis oculi usum tolleret, unde prompta & expedita Cl. Trullii manus implorata est. Commorabatur æger noster in Castello Gandolfiano, quo Romanorum Pontifex Alexander VII. Vere & Autumno quotannis divertit ut gravioribus curis paulisper se subtrahat. Secesseram eo & ego hoc autumno cum Trullio meo, quippe qui dignum tanti Principis stipendium merens cæteros Aulicos comitatur. Me igitur præsente laudatus Vir præmissa exacta corporis expiatione, cutem frontis recta linea eaq; satis longa diffindit, ut eo melius latens tumor totus in conspectum prodiret. Divulsis labiis duplici filo trajicitur tumor, ut universa moles fili beneficio suspensa felicius extraheretur; debita igitur industria

ſtria ſcalpelli cuſpide diſcinduntur fibrulæ quibus folliculus cum capitis integumentis connectebatur, & dictum factum totus eximitur tumor ovum Gallinæ Africanæ magnitudine excedens ac vulneri ſangvinem ſiſtentibus, vicinis autem partibus defenſivis proſpicitur, mutata indies ex Indicationibus medendi ratione. Æger integræ ſanitati paucornm dierum, ſpatio ſine ullo graviore ſymptomate optime reſtitutus eſt. Abſciſſam Nattam diligentius examinanti poſt tenuis folliculi abstractationem duplex occurrit ſubſtantia, quarum exterior vera & optima videbatur pingvedo durius quid ac oſſeum in ſinu fovens; dempta igitur molli hac ac pingvi ſubſtantia plurima oſſium fragmenta reperi ſibi invicem appoſita, & nonnullis in locis quaſi articulata, inprimis ubi humeri videbantur incipere: anterius namq; rudem infantis referebat imaginem, ut in icone videre eſt, ſub cujus capite brachia hinc inde dependent, & manus cum ſuis digitis, nec magna diſſimilitudo crurum ab Infantis cruribus introrſum flexis. A tergo erat latior oſſiculorum compages inſtar panni expanſa, ut ad eam exiguum & enerve embryi corpus reclinaret. Oſſeam in dicto tumore non admiror ſubſtantiam, cujus in autorum

monumentis non infrequens fit mentio, ejusq; olim in aureis Methodi libris Pergamenus meminit, & apud Clar. Virum Cœcilium Folium Venetiis cum Cl. Tuo Fratre D. Erasmio Bartholino simile olim vidi, & passim occurrit, sed quod è capite infantis figura prodire voluerit, sublimiorem videtur mereri disquisitionem, quæ Minervæ è Jovis cerebro nativitatem è fabularum numero eximet, relictisq; Mythologis, veris Naturæ Mystis uberem dabit materiem in qua Ipsorum ingenia & calami dignè occupari poterunt. Interea delicti veniam peto si tædiosa epistolii prolixitate graviores Tuas curas interruperim. Supplex Divinum veneror Numen post tot sævientis Bellone furias auream dulcissimæ Patriæ pacem restituat, Teq; cum Clarissima Tua familia quam multis nominibus saluto diu in columem servet. Dabam Romæ 12. Novemb. 1659.

T. E. Disc. obs.
Henricus à Mòinichen.

EPISTOLA XCVIII.

De Colo nivario.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

COnsuetudo nuper tua, vir eximie, plurimumq; honorande, brevis illa quidem, jucun-

jucundiſſima mihi tamen fuit. Jam ab annis aliquot ex præclaris tuis ſcriptis, quæ in uſum veritatis ſtudioſorum magna cum laude edidiſti, ſingularis tua eruditio mihi innotuit; & non ſatis commendanda modeſtia, animique tui bonitas, qua eminesin doctis

Tanquam lenta ſolent inter viburna cupreſſi, Te arctiſſimo amicitiæ vinculo mihi conjunxit. Itaq; non ſine maxima voluptate tecum nuper, cum domum ad te ſalutatum venirem, fui. Locuti nonnihil tum, ut ferebant temporis anguſtiæ, inter nos ſumus de ſtudiis antiquitatis, & quæ utriq; noſtrum, qui ſtudia illa poſt graviora quoq; colimus, inchoata, & affecta ad editionem. Inter quæ erat elegantiſſimus tuus liber *De uſu nivis medico*, qui nunc ſub prælo gemit. Quem cum mihi inſpiciendum præberes, avide legere cœpi; incidiq; in Caput ejus, ubi l. In argento. 21. D. De auro arg. mun. explanas. Arriſit labor. Monui, membranaceum Codicem, quo olim ſum uſus in Commentario ad lib. 1. Digeſtorum, à vulgata, Accurſii, & aliorum lectione abire. Id ut ſcripto tibi ſignificarem voluiſti, & ego in me recepi. Scias igitur in eo legi: *veluti colum vinarium*. Quæ ſcriptura etſi abſurda non eſt, & Plinianâ lectione Lib.

XXIV. Cap. 1. aliquo modo juvari poteſt (ubi veteres membranæ, melioresq; libri editi, pro *nivarios*, legunt, *in ſaccos vinarios*) mihi tamen communis lectio magis placet, tum propter ſenſum legis, tum vocis explicationes ab Alciato, Politiano, Ælio Anton. Nebriſs. Hotomanno, & aliis adductas. Cauſſa quæ ſit, cur in libris ab indoctis hominibus deſcriptis legatur: *nibarium*, & apud Charondam *nirarium*, tu, qui ea in re multa exercitatione edoctus es, non ignoras. In cæteris, quæ ad inſtitutum tuum pertinent, ἀπέχω, & à ſapientibus monitus circumſpecte ago, & quidem notiſſimi illius carminis memor:

Navem agere ignarus navis timet: abroto-
num ægro
Non audet qui non didicit dare. Quod me-
dicorum eſt
Promittunt medici: tractent fabrilia fabri.

Quod præceptum ſi ob oculos quidam ſibi proponerent, falcem profecto in alienam meſſem non mitterent, neq; res longe ſupra ingenü ac ſcientiæ ſuæ captum poſitas profanis manibus, id quod multi hodie faciunt, invaderent. Ego divina gratia didici, meo me metiri modulo ac pede: alii ſua curent. Quibus ſolus medicinam facere poteſt omnium mode-

modetator Deus. Quem rogo ut te quam diutiſſime ſoſpitet, mihiq; tantum amicum ſervet. Dabam Soræ IIX. Calend. Octobr. ɔIↃ IↃC LX.

T. Studioſiſs.

Henricus Ernſtius.

EPISTOLA XCIX.

De Unguibus monſtroſis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

VEneror abſens eximias & incomparabilis ingenii tui dotes, animi candorem & affectus conſtantiam, nec unquam agnoſcere deſinam grata mente & voce illam qua me præſentem excipere dignatus es humanitatem & benevolentiam, Deum ter Optimum Maximum piis precibus obteſtatus Excell. D. Te Patriæ ornamento, rei literariæ bonisq; omnibus emolumento diu ſuperſtitem conſervet. Interea promiſſi non immemor omnino per præſentium exhibitorem Albertum Genſchenium liberorum Illuſtriſſimi Præſidis noſtri Præceptorem ad vos jam jam iturum monſtroſarum manuum Icones una cum abſciſſis 3. digitorum partibus horribili quadam παρεμφύσει

protruſis, transmitto, reliquorum major pars in loco humido putredini magis obnoxia incredibilem vermiculorum alborum lumbricos teretes externa forma æmulantium copiam produxit, ſenſibus externis parum gratam. Hiſtoriam ipſam quod attinet ſic ſe habet: Quatuor abhinc annis Virum in publico mendicantem robuſto ſatis corpore, ſtaturæ proceræ offendi, nomine Chriſtianum Jani annorum 82. ex Paræcia Wiumb / in pago Øſtæreby 2. abhinc mill. diſtante natum, qui cum manus mihi illa qua vides forma exhiberet videndas, cauſam rogatus, reſpondit: Ante aliquot annos gravi morbo diu ſe afflictum cum continuis vigiliis & totius corporis moleſtiſſima inquietudine ex quo tandem convaluit: Sequente vero æſtate cum pedeſtri itinere aliquando defatigatus quieti ſe dediſſet & ſub Sambuco prope Aaſiær ſomno profundo obrutus poſt aliquot horas evigilaſſet, graviſſimos denuo ſenſiſſe dolores capitis, totumque corpus intumuiſſe retulit: Leniendis doloribus piam operam adhibuiſſe Dominum Chriſtianum tunc in Farring & Hallind Paſtorem, breviq; poſt tempore in horrendam longitudinem cornuum inſtar Ungues excreviſſe cum fætida exulceratione manuum; totiusq; corporis

poris Scabie ad lepram accedente, Rhandrusii post aliquot menses à Chirurgo Martini nomine præcisas sibi fuisse tortuosas Unguium excrescentias, quæ tamen intra aliquot hebdomades in eandem denuo longitudinem accrevere, toto alias corpore dolebat quod virulenta sanie continuo hinc inde diffluebat, miserando prorsus & horribili spectaculo, ejus exemplum hactenus nunquam vel vidisse vel legisse memini, Tu vero Vir Excellentissime, cui quæ rara aliis obvia sunt & vulgaria, quæso per veterem amicitiam quæ nos intercessit quid de tali casu censeas, tum vero de Sambuco cujus umbram damnare solemus, quamplurimi vero nostratium Sagarum Veneficiis & Magicis artibus frequenter adhiberi referunt, eoq; ipso suspectissimam habent quid judices, mecum communicare digneris, vix enim mihi persuaserim τὸ Θεῖον quod in morbis divinus senex occurrere scribit, hic abesse. Plura non addo nec possum angustia temporis præclusus nisi ut valeas. Tuam, tuos tuasq; omnes, officiosissimè ex me salutes, & ubi otium fuerit catalogum operum tuorum mihi transmittas. Ripis 20. Dec. 1659.

Exc. D. T. ὅλος ὅσος

Ludovicus Pouchius.

ejectum tantum fuisse ex hominum consortio, sive subditorum rebellione, sive proprio & spontaneo exilio ad solitariam hanc vitam damnatum: Comedisse fænum, bovis in morem. Bovinos igitur mores induit, & negligentia cultus, in tantam longitudinem pili ungvesq; excreverunt, quæ quadam similitudine aves referebant. Quæ propria fuit Nabucadnesaris confessio ad se tandem elapso septennio reversi; intellectum nempe sibi redisse, scilicet morbo laboravit, quem aliqui insaniam vocant & furorem, rectius *Vallesius* de sacr. Philos. c. 80. melancholiam, qua sibi imaginabatur, se in bestiam immutatum, ideoq; herbis pascendum, quod insanæ imaginationis gènus plurimos afflat, qui quidem succo nigro melancholico abundantes fingunt eà quæ nusquam neq; picta neq; scripta, & timent quæ timere non debent, ideoq; se plerumq; ab hominum etiam amicissimorum consortio secludunt. An istam insanam melancholiam nativum temperamentum concitarit, an aliæ externæ causæ à Deo superbiæ vindice illatæ, non æquè liquet Nimis audacter Jo. *Vierus* L. 1 de Præstig. Dæm. c. 24. & lib. 4. cap 1. maleficio Diaboli inductam Nebucadnezari insaniam asserit, quo nomine rectè vapulat à

Godel-

Godelmanno de Lam. *Bodinus*, quod alium ſenſum *Viero* affinxerit. Diaboli autem nulla in ſacro textu mentio, nec revera eo honore dignus eſt, quem à multis obtinuit, qui plurimorum cauſas & tormenta illi attribuunt. Veriſſimè enim cum B. *Auguſtino* Lib. 18. de Civit. Dei. cap. 18. credimus omnipotentem Deum omnia poſſe facere, quæ voluerit, ſive vindicando, ſive præſtando, nec Dæmones aliquid operari, ſecundum naturæ ſuæ potentiam, niſi quod ille permiſerit cujus judicia occulta ſunt multa, injuſta nulla. Deo ſolo hæc de Nebucadnezare vindicta ſumpta tribuitur Dan. 4. v. 28. & 34. qui vel mentem ſuperbi Regis turbavit ipſe, vel cauſis ſecundis ſeu melancholiæ nativæ vim ſuam reliquit. Et certè ſanæ mentis ante non fuit Rex, alioquin tanto ſupercilio opera ſua ſupra Deum non extuliſſet. Unde continua rerum maximarum cogitatione accenſi humores & aduſti, ſeqvuturæ inſanæ melancholiæ occaſionem dederunt. Hanc inſaniam vocat lupinam aut caninam *Aëtius* tetr. 2. Serm. 2. cap. 11. & melancholiæ ſpeciem eſſe rectè monet cum *Agineta* L. 3. c. 16. ubi & quædam annotarunt, quæ & Nebucadnezari & noſtro ſeni conveniunt. Noctu Menſe Februario exeunt, Quia homines fugiunt,

giunt. Menſe quoq; Februario noctes ſunt longiores, quibus in hac ſolitudine pererrent, quanquam *Arculanus* de veris principio interpretetur, quo humores melancholici moventur. Reliqua ſigna, pallor in facie, oculi cavi, ſicci ſine lacrymis, imbecilles, lingva ſicca calidi humoris atriq; exceſſum notant; & vultum deformem. Tibiæ exulceratæ incurabiliter dicuntur propter aſſiduos caſus & canum morſus, quod ſignum in tuo ſene comparere credo, non quod vel ille vel illi, de quibus *Paulus* & *Ætius*, externis tantum injuriis obnoxii ſint, ſed quia naturæ beneficio, atræ bilis ſuccus pravus ad exteriora cutis propellarur, ulceraq; maligna & ægerrimè curabilia excitentur. Eodem naturæ auxilio & inſtituto, non tantum pilos in Nebucadnezare prolixos enatos legimus, ſed & ungues avium inſtar excretos. Qua critica quaſi expulſione corpus paulatim à ſuccis pravis liberatum fuit, donec critico anno ſeptimo, prorſus ſanitati Dei beneficio, Regem in pœnam & ſanitatem deformantis, reſtitueretur. Irrigationes deniq; capitis uterq; ante laudatus author, in hoc caſu laudat, quas oportunè Nebucadnezar excepit, à rore cæleſti. Tuus Senex unguibus Regem extortem æmulatur, & morbi cauſa. Succus fæculentus, craſſusq;

craſſiusq; vi prioris morbi gravis, critice quaſi ad extrema expulſus, in univerſo corpore ſcabiem lepræ affinem, in manibus ungulas produxit. Benignior verò eſt hic ſuccus in ſene, nec ad inſaniam tantam ſufficiens quanta Nebucadnezarem afflixit, partim quod Senile corpus frigidius ſit temperandisq; humiditatibus calidioribus peropportunum, unde hic veſter Senex capite velato fertur incedere ad arcendum frigus, partim quod morbum magnum Criſeos inſtar inſeqvutus ſit, partim deniq; quod pauperculus homo minus ſibi tribuit, quam nimia fortuna elatus ſed Deo infenſus Rex. Fateor juxta tecum ſimili alio exemplo hoc exemplum carere. Nebucadnezaris ungves avibus ſimilantur, dubio procul quod vel negligentia hominis inſani reſecti non fuerint, vel copia ſucci atri craſſiq; continuum incrementum ſumpſerint, adeoq; & in immenſam longitudinem & figuram incurvam excreverint. Noſtri ſenis ungves, cornua potius dicenda, quæ ſolent paſſim in corporibus melancholicorum luxuriare, de quibus in obſervationibus de *Unicornu* plura annotavi. Ungves videntur in ſenibus omnibus magis creſcere, quam juvenibus, quia non deterunt ſicut juvenes, ut ſuſpicatur *Fallopius* de Part.

Sim. c. 18. Sed abundantior ſuccus huic ſem ungves armat. Incurvantur in pulmonum ulcere, more ferarum, unde tale ulcus θηρίωμα appellat *Galenus* in 6. Epid. com. T. 24. In hoc verò incurvantur propter longitudinem & duritiem. Antequam enim productior ſit ungvis, non curvatur. Craſſi quoq; ſunt ut digitum quemq; ſuum craſſitie æquent. Obſervavi non ſemel ungves tumidiores craſſioresq;, in ſcabioſis præſertim ob ſuccorum pravorum copiam, ſed nunquam ad illam longitudinem protenduntur, ut ungvium muneri à *Galeno* deſcripto & *Hippocrate*, nempe apprehenſioni commodæ deſint. Aſperos quoq; habuit *Aquapendens*, qui iccircò in Operat. Chirurgic. Vitro ſcalpit & deradit. An tales ungves ſint Scabioſi, de quibus Oribaſius l 3. Synopſ. vel leproſi, quos *Galenus* lib. 8. ſimpl. med. fac. pice cum cera eximit, Tibi rerum medicarum peritiſſimo expendendum relinquo. In leproſis certè non ungves, ſed ungulas appellat *Conſtantinus* Monachus & *Iſaaci* Plagiarius in tr. de genere leprarum. An verò Sambuci vitio vitium hoc contraxerit, non auſim affirmare. Potius virtuti Sambuci adſcribenda hæc criſis, qua prioris morbi vel cauſæ vel reliquiæ ad habitum corporis & extrema

trema artuum provocatæ ſummo ſenis miſerrimi emolumento. Tantum enim abeſt Sambucum ulli eſſe noxiam, ut tota potius ſit & vocari debeat bona. Vulgus quidem noſtrum neſcio qua religione Sambucum ex hortis non audet eradicare; nec ego, non ulla ſuperſtitione, ſed ne tam ſalutari arbore hortus noſter careat. Catalogum operum Tibi mitto ad oleum & piper condemnandum, ſi ita viſum fuerit, aliis uſibus enim vix inſerviet, niſi ut videas, quid amicus tuus hactenus nugatus ſit, & quid hujusmodi nugis chartaceis meritus ſit, hoc eſt, Seculi invidiam & ingratos mortales. Vale amiciſſime Pouchi, cum lectiſſima conjuge, meq; ama. Hafniæ VI. Febr. cIↃ IↃc LX.

T. T.

Thomas Bartholinus.

INDEX RERUM
in
Centuria I. & II. Epiſtolarum Med. Th. Bartholini
contentarum, collectus
à
Christophoro Frisio Erfurtenſe.

A.

Abdomen inſigne puellæ, 663. ſeqq.
Abdomen perforatum pro excremẽtis, 669.
(ex) Abortu crebro vagina uteri monſtroſa, 701. 702.
Abſceſſus in thorace, 721.
Aër an primum perſpicuum? 75. condenſatio ejus quomodo fiat? 315. 318. æthere agitatur, 424. an condenſari poſſit? 423. 424. 426. 427. an pellatur motu thoracis? 319.
Æthnæ montis Siciliæ hiſtoria, 218. ſeq. in ejusdem incendio caput ruſtici cum mitra repertum, 219.
Agyrtarum in corpus humanum ævitia, 679. 680.
Albedo lucis naturæ affinis, 64.
Alcis caro, 374.
Alkaheſt, 574. 575.
Anatomia Canum, quidque in iis monſtratum? 538. 539. Gravidæ & Embryonis, 587. Helmſtadiana, 483. 570.
Anatomia Caſtoris 27
Bronchoceles, 689.
Calculoſi, 684. Pſittaci,

taci, 684. Martium, 685.
Aneurysmatis hiſtoria 270. 271. & dubia, 272. an tuto ſecetur? 357.
Angina puerorum Neapoli epidemica, 205. 225. contagioſa, ibid. remedia, ibid. an Laryngotomia conveniat in ipſa? 332. ſeq. 340. ſeqq. fricti o poſſet inſtitui, 334. etymon ejus & ſynoma. 336. quare κυνάγχη. Hippocr? 337. quare linguam eâ detenti exſerant? ibid. epidemia ſæpius & quare? 338. Puerorum angina Neapoli an garrotillo Hiſpanis, 339. 340. multos affectus ſecum habet, ibid.
Animalis ignis à pinguiſſimis chyli partibus alitur, 451.
Antiquitates quomodo conſervatæ? 391.
Antrũ Proſerpinæ, 221.
Apologia Autoris pro Diſſertat. de Cruce 420. Bogdani pro Autore, 517.
Apoplexiæ peculiaris quædam cauſa 5. ex Carteſii hypotheſ. alia, 327.
Apoſtema in abdominis muſculis hypochondrii dextri caſus, 542. 543. 544.
Apoſtematis periẽdis Aculeus Paſtinacæ marinæ, 206.
Appetitus quædã cauſa ex Kolhanſio, 576
Aqua corticum fabarum remedium optimum calculi. 238. Nocerina pro tem-

perando ſangvine, 211.
Aqua in pericardio 288. 295. unde? 652. in Thorace 298. 299 in Hecticis an multa reperiatur? 681. 682.
Aquæ medicatæ Galliæ, 36.
Aquæ potus in bile. 469. ad purgans pharmacum. 471. an tutus uſus? 472.
Aquarum fluxus, 292.
Armillæ ex lapidibus mulierc ularum Melitenſ. 224. In L. de Armillis Veter. Notæ 694. ſeqq. reſponſio ad eas 698. ſeqq.
Aſperæ arteriæ cartilagines confuſiores in pueris, 333. 334.
Arteriarum & venarum fabrica diverſa, cur? 173. 176.
Arteriarum ſectio quare periculoſa? 176.
Arundo an de caule dici poſſit? 361. 398. 399. ſolida etiam eſt ibid.
Arundo quo acetum Chriſto porrectum, quid fuerit? 361. 362. ſeq. vid. calamus.
(in) Arthritico ſynovia articulorum ſubrubens viſa. 640.
Aſtra nova unde? 51. 80
Auditus inſtrumenta. 245. figuræ 256. ſeq.
Aves Æthiopicæ Unicornes, 108. 112.
Avis Paradiſiaca cum pedibus 20. 95. Topau, 369. 372.

B.

Balenæ Narhual Cranium. 370. dens unus, qui pro Unicornu

cornu habetur. 373. ubi capiatur? ib.
Balnea Galliæ 36. Puteolana, 233. 234.
Barbitonſorum numerus Neapoli, 204.
Baſiliſcus interdū confunditur cum Vipera 134. quid ſit? 135. ejus embryo 706
Bezoar minerale Claramontii 202. lapis Bezoar occidentalis Inſignis, 656.
Bibliothecæ S. Johannis Carbonarii Mſta 203. Bibl. Samuelis Petiti 409.
Bizontes Unicornes, 113.
Bogdani ſcriptum pro Autore, 547. ſeq.
Brigittæ Tottiæ encomium 442. illius Seneca, ibid.
Bronchoceles anatome, 689.
Buffolinæ vulvæ uſus, 206.
Byſſus vera Veterum, 470.

C.

Cadaveris ſuſpenſi cujusdam ſudor ſanguineus 441. revivi-ſcentis Anatome, 718.
Cadaverum calor diu ſubinde ſuperſtes. 300. 301.
Calamus ſeu Arundo in Cruce Chriſti quid? 379. 380. 383. 395. 396. 398. 399. 400. 402. 403. Conciliatio Evangeliſtarum 404. 405. 406. 407.
Calamus an differat à Syringa? 399. quomodo à Ventis nutriatur? 400.
Calamus aromaticus, 395.

Calcaria posteriorum seculorum inventum, 102.
Calculi in fellea cysti varii, 254. alibi in palato & umbilico ipso, 258. de Calculis Renum Consultatio 33. seq. Calculosus affectus Autoris, 238. remedium. ib. an vomitus conducat, 238. 239.
Calculosi Anatomia, 684.
Calculus ad ovi magnitudinem circa osseam acum collectus. observatio, 688.
Calidi innati fulgor vitalis 65.
Cantharides, 21.
Capitis puerilis ingens tumor. 720.
Carnosæ & glandulosæ partes apostematibus & exulcerationibus obnoxiæ. 253.
Caro lucens 18. unde? ib 19.42. seqq.57.58. seqq. 85.
Canes an angina infestentur? 337.
Canes currum trahentes & molam, 661. 662.
Canes Melitenses, 225.
Canis carcharias cauda natantium pedes amputans 215. marinus cornutus, Haa Danic. 373. ejus cornu usus, ib.
(de) Cartesio judicium 409. disputatio ejus 197. philosophia, 527.
Cartilago tertia lateris dextri duplex inventa, 640. ensiformis triplici foramine pertusa, ibid.
Cassia Americana purgandi

gandi facultatis expers, 8. 12. differentia ab orientali, 8.
Cataniæ in Sicilia quid obſervandum? 218. ſeqq.
Caput honoratum an verè dicatur? 352.
Caſtoris Anatome, 27.
Catarrhus ſuffocativus à polypo cordis, 683. 684.
Caudæ equinæ caulis quomodo arundo dicatur? 398. 399.
Cavea ſepulchrorũ, in qua 24. horis corpora abſumuntur, 204.
Celſ. Mſ. 23.
Centrina piſcis cornutus, 373.
Ceram albificandi modus Gallicus, 37.
(in) Cerebro centrum, 324. 325. ex porrecti cerebri figura, 324. in eo ſerum multum ſubvireſcens obſervatum, 474.
Cerebrum recens mactatorum pecudum nitens, 116.
Chalybis præparati uſus in obſtructionibus, 438.
Chelidonii lapides, 438
Chriſtiani Thomæi mors deploratur, 716
Chriſti corpus temperatum, 299. nihil in eo pravorum humorum, 287 288. ſano ſenſu accipiendum, 299. 300. incorruptibile eſt, 295 à morte frigus id non ſtatim invaſit, 300.
Chriſti ſtatura, 387. pulchritudo, 458. 459. 460. Vultus an exactè repræſentetur in numismatis, 458. deformitas quæ ipſi aſſcribatur? 459.

Chyli in sanguinem mutatio quatenus & quomodo fiat? 504.
Chylus an instar puris generetur, 606. differentia chylorum in ventriculo, intestinis & lacteis, 607. sanguine misceri in meseraicis negatur, ib. menstruo mixtus 575 quare non recta ad cor? 576. via ejusdem, 445. 446. 449. 450. 451. 591. 594. semita ad mammas, 581. an ad uterum feratur pro fœtus alimonia, 593. 594. viæ ad uterum, 612. 418.
Chyli receptaculum novum, 445. 446. 449. 455. ejus & ductus Thoracici inventor, 591. demonstratum, 539. 568. an par sit omni chylo recipiendo? ibid. ductus ex eo deorsum, ibid. receptaculum ejusque vasa jejuno ventriculo singularem liquorem aperuerunt, 573. 574. ibidem modo chylus, modo lympha, 590. 591. 600. 604. 622.
Chyli receptaculi loco in homine glandulæ tres, 471. 525. 526. 514. 515. 516.
Circulatio sanguinis admissa, 13. in dubium vocata, 16. 106. hujus Autor. 115. dubia, 173. soluta, 176. 177. ab Autore in Anatomen introducta, 479. 480. eleganter ostensa, 601.
Circulatio sanguinis duplex Liceti, 125. 126. 235. in dubium vocata, 145. 146. asserta,

afferta, 150. seqq. de eâ judicium, 173. 174. 176. dubia, 272. 273.
Cobalti, 18.
Coccojes insectum noctu lucens, 121. 122. liquor inde paratus noctu lucens, ibid.
Coccum galeaticum & phœnicinum linum quid? usus in hæmorrhoidibus, 335. 347. 348.
Coctio non fit in instanti 504.
Color Coccineus & Hysginus an differant? 348.
Color Corporum unde? 62.
Colúbus marinus, 206.
Columna sangvinem sudans, 440.
Colum nivarium in Digestis vindicatur, 728.
Cometa & nova sidera unde? 51.
Conchæ venereæ. 21. Dactyli figura 120. anatiferæ. 206.
Conchylia petrificata, 215.
Concicula apud Marcellum, 695. 696. 699. 700.
Consensus & Dissensus Autoris cum aliis, 689.
Consensus partium, 541. 542. exempla, ibid. seqq.
Contus Navicularum genus apud Veteres. 312.
Convulsio unde ex Cartesio, 325.
Convulsionis oppositæ partis in vulnere causa. 702. 703.
Cõvulsivi motus sponte cessantes 33. curatio illorum ibid. an

an diabolica? ibid.
Copulæ ET Vindiciæ Severini, 244.
Corallia albicantia & friabilia reddidit liquor in Chyli receptaculo & vasis ejus, 574.
Corallia rubra in pretio apud Orientales 117.
Corallium duplex, 216.
Cor Catuli Hyænæ micans, 116.
Cor quo temperatius, eò minus seri discutit, 299. ad refrigerium oculis vasorum in cute utitur, 334. ejus & pericardii sensus, 303. corrupto corde aliqua parte an animal vivere possit? 296, 304.
Cor solidum densumq; Drusi, 272. cartilagineum, 273.
Corda novem Hieroglyphicum Danicum, 103.
Cordis polypi, 722.
Cordis ventriculi tres Aristoteli falsò, 147. 148. asseruntur, 155. 156. 157. seqq. objectionibus satisfit, 163 164. seqq. dexter an sit ob pulmones, 167 168. 171. in iis caruncullæ in phthisicis ii, 273. circa basin excrescentia carnea, ibid. os in corde, 273. Polypus catarrhum suffocativum efficiens, 683. 684.
Cordis usus sanguificatorius, 446. 450. 465. 647.
Gordis Vulnera non omnia lethalia, 304.
Cornu Ammonis, 95. quid sit? 97.
Cornu Aureum, 22.

Hieroglyphicum Danicum, 44. 52. 56. 57. 60. 61. 92. 97.
Cornua Florentina, 57. 95. 102. 103. leporis, 652. 653. 654. 655. 656. ejusque cranium, ibid.
Cornua Rhinocerotis & Monocerotis, 215. sæpe imponunt Gazellæ cornibus, 216.
Cornutorum historiæ, 94. 97.
Cornuti filius Cornutus, 126. arte & mangonio redditus, 174.
Cornuti galli gallinacei, 247.
Cornutus Chemicus suspensus, 439.
Corollæ precariæ ex Sale gemmæ, 231.
Corporis humani partium divisiones genericæ, 252.
Corpus leve facilius comprimitur quam propellitur, 426.
Cranium crassissimum humanum. 640. leporis Cornuti, 653. seqq. Psittaci, 684. 685.
Crania humana, quibus futura sagittalis ad nares porrigitur, 570. alia singularia, 588.
Cranii vulneris observatio, 385.
(de) Cruce Prudentius explicatur, 350.
Crucifixi imagines sanguinem fundentes, 440.
Crucisalum apud Plautum, 351.
Crura Latronum ad Crucem Christi an per equites vel pedites milites fracta? 394.

Crux Christi an inventa fuerit? 390. 391. 392. diversa à patibulo 16. dubia de Cruce Salvatoris 378. seqq. de vehiculo & suppedaneo ibid. 388. 389. 390. altitudo crucis 386. 387. 388. 389. 390. 392. 393. 394. an in ea scalæ adhibitæ? 393. 394. an in jacentem vel erectã Christus fixus? ib.
Crystalli pustulæ. 139. 140.
Crystallus in Sicilia 221
Curatio Diabolica 33.
Currus artificiosus spõtè mobilis 660.
Cutem non esse adæquatum tactus organon. 252.

D.

Dactylus piscis lucens quare? 120.
(de) Dæmonibus sententia Platonicorum 14. 15. non sunt Pygmei 18. quid sint. ibid.
Deliriorum causa, 327. 328.
Dens Balenæ pro Unicornu habetur, 373. 579
(ex) Dente Rhinocerotis poculum, 375.
Dentibus purgandis cornu Canis marini. 373.
Dentium naturæ cavitas non repugnat. 375.
Diabolus an in substantia malus? 613. seq. an redire possit ad beatitudinem? ibid. morbi ab eo in homines, ibid.
Diaphragma laborans inflammatis costis, 544.
Dies morbi quomodo inci-

incipiant & desinãt. 235.
Diminutiva non semper diminutionem significant. 696.
Dissensus Scriptorum N. T. 405.
Dyspnææ quædam causa. 544.
(ad)Dolorem dentium Dens Rhinocerotis 374.
Doloris capitis insignis ex verme curatio. 641. 642.
Doloris gravis pectoris quædam causa, 544.
Domus mirabilis 660.
Draco serpens, 182. 186.
Draconis cornuti sceleton, 190.
Dubia in Anatome Authoris, 308. 309. 316. 317. responsio, 321.
Ductus hepatici aquosi seu serosi, 506. 507. 562. anastomosis eorum & venarum lactearum 506. Modus sectionis, 507. 508. 509.
Ductus salivales, 648.
E.
Ebenbeterus Arabs, 370.
Edda quid? 375.
Electuarium Diatartari P. Castelli, 215.
Elg quid Scaligero? 374.
Elixir pestilentiale præservativum Langelotti, 536. 537.
Elixir vitæ F. Donati & Claramontii, 202.
Embryo amygdalæ magnitudine, 688.
Embryonis anatomia, 587.
Empyematis curati iterata sectione elegans

gans casus, 674. seq.
Epidermis an pars sit? 252.
Equi Colossi caput æneum, 204. 205.
Equites veteres an subice pedaneo caruerint? 388. 389.
Equus utriusque sexus mẽbro carens, 704.
Erysipelata Neapoli Endemia: 205.
Extenuatio pinguissimorum, 666.

F

Febrium remedium Unicornu, 579.
Fellea cystis multos lapillos variosq, continens, 254.
Fernelii Epitaphium, 306. 307.
Fictilia ex terra Melitensi, 224.
Ficus ex pariete, 225.
Ficus opuntiæ folii resolutio, 269.
Filum purpureum quid? 335.
Flamma unde lucem habeat? 71.
Flos æris, 37.
Fœmina hirsuta & barbata, 668. pinguis, vide abdomen.
Fœtus an chylo nutriatur per os? 593. 594.
Fœtus biceps, 201.
Fons Melitæ pro Podagricis Nephriticisq;, 226.
Fons olei Gallorum, 37. Zancle Messinæ, 217.
Fontes pneumatici, 424. 427.
Fonticulus an in cancro conveniat, 714.

G.

Galenus Græcolatinus Chartierii, 24. Hofmanni, 569.
Gallus tripes, 669. ovum pariens, 707.
Gam-

Gammarorum reliquiæ in tenebris lucentes, 354.
Garrotillo Hiſpanorum qualis morbus puerilis? 339. 340.
Gemmæ cur fulgeant? 63.
Generatio Harvejana, 454. de eâ judicium, 470. 472. Plempii, 526. 527.
Gibboſitas Virginis teneræ, 595. ſeqq. curatio, 598. 599.
Gigantes in Inſula Melitâ, 225.
Gigantis tibia, 570
Glacies unde? 64. 76.
Glandulæ lumbares & lymphaticorum cum iis commercium in hecticis demonſtratum, 631.
Glandula meſenterii magna, 4. quid Aſellio? ibid. quid in ea deprehenſum ib.
Glandulæ pinealis uſus Carteſianus, 323. 324. ſeqq.
Glandularum vaſa ſeroſa quomodo inſerantur & diſpergantur? 509. 510. 511.
Glaſto planta, 224.
Gloſſopetræ Melitenſ. 224. an metallicæ corpora? 240. 241.
Goſſypii poma Melitæ, 224.
Gratulatio Nuptialis ad authorem, 429. 443.
Gravidæ Anatomia, 587. 687. 688.
Gravidatio fœminæ absque Viro, 88. fabula eſt, 90.
Gryphis ungula 438.
Guteli, 18.

H.

Hæmorrhagiam fre-

quentem narium Empyema secutum, 674. 675. seqq.
Hæmorrhoides an dicendus morbo? 565.
Hasta & machæra ad crucem Christi, 379 380. 395.
Hectici observationes anatomicæ, 631.
Hecticis an aqua multa in pericardio colligatur? 651. 652.
Heinsii morbus, 489.
Heliotropii radix. 263. 264.
(de) Helmontio judicium, 332.
Helmstadiense Auditorium Anatomicum, inq; eo effigies anatomicæ, 483. 484.
(in) Hepate materia quædam albicans 586.
Hepatis & lienis copulatio, 254. situs inversus deprehensus, 473.
Hepatis situs mutatus. 542. & annexio costis nothis undequaq; 544. hepar sine vesicula fellis in calculoso, 684.
Hepatis usus, an sanguificatorius? 445. 446. 449. 450. 463. 465. 567. 568. 584. 590. 600. 686. an in eo exortus venæ cavæ? 584. non esse venarum principium demonstratur. 585.
Heurnii mors, 489.
Hieroglyphica Danica 92. 103.
Hipparchus Kepleri. 706.
Hippocratica Historiarum correctio 250.

(de)

(de) Hofmanno judicium, 330.432.
Hortus Meſſanenſis, 214.
(de) Hydrope acclamatio, 290.
Hydropicorum in cadaveribus caruncułæ in Cordis ventriculis inventæ, 11.
Hypochondriacus morbus Meſſanenſium, ejusq; remedia, 215.
Hyſſopus Chriſto in Cruce propinata, 290 294. an frutex, vel calamus, 359. 361. 363. ſeq. 382. 393 398. 402. 404. 405.
Hyſſopus veterum an alia à noſtra? 360. 364 396. quare ἁπλᾶ Dioſcoridi? 360. 361. 365. noſtra differt ab orientali & Dioſcoridis 407. qualis in Syria conſpecta? ib. uſus apud Judæos & Crucem. 406. 407. arboreſcens nusquã obſervata, ibid.
Hyænæ odoriferæ Sceleton. 235.

I.

Jaculus ſeu acontia ſerpens. 183.
Ignis fatuus. 66.
Ignis rarioris materia non lucet. 66.
Illetif piſcis unum cornu gerens. 108. 112.
Indago color. 224.
Infantis imago in Natta. 725.
Inſcriptio in Cruce Chriſti & latronum, 392. 393. quare nihil de iſtorum titulis ſciamus? 392.
Inſcriptiones veterum, 512.
Inſectum noctu lucens, 121.

Inteſtinorum paſſio à Vermibus, 253.
Invidia in Autorem, 547. 548. 549. 553. in Bogdanum 549. ſeqq.
Judæi quare filii Diaboli vocentur? 615.
Judicia ſiniſtra in Authorem. 410. 411.
Juliani portus & ſtatua Melitæ. 226.
Julii Jaſolini Epitaphium, 204.
Juncus. 395. 396.

K.

Kyperi mors, 661. Inſtitut. Medicæ, 577. 578.

L.

Lac quare puri congener. 606. in mammis differt ab eo in Meſarariicis. ib. materia lactis in fœminis. 504. 588.
Lana parata, 469.
Lapis Aquilinaris grandis 202. Amianthes, 463. Bononienſis fulgetis 46. non lucet niſi calcinatione præparatus, 176. Lazuli in Sicilia, 239.
Lapides quibus arbores virides innatæ, 221. inſigniti literis. 219. 222. ſerpentini, 224.
Lapidum formæ multæ Meſſan. 216.
Laryngotomia in adultis tentata 342. agendi modus 343. 344. in pueris quomodo inſtituenda, 344. ſeq.
Latus Chriſti apertum, qua intentione? 295. 296. 303. an dextrum & ſiniſtrũ apertum? 295. 304. pericardium & cor an

an pertranſierit? 295. 296. 301. 302 303. 304. quo inſtrumento apertum? 380. à quo milite? equite an pedite? 394. erupit vulnere aqua cum ſangvine 287. an ex cavitate thoracis vel pericardii ib. poſterius aſſeritur, 288. 289. 295. limpida non ſangvine diluta exivit. ibid. an miraculum ſit ratione ſubſtantiæ vel egreſſus modi 289. 303. ex thoracis cavitate provenit, 298. 299. hujus ortus ib. 300. 301. non à pericardio, 301. ſeq. ſangvinea exiit. 302. ſangvis non à corde, 296. 302. liquores an ſeorſim fluxerint? 302. 303.
Lentium uſus 681. 699. in variolis non æſtimatur. 681.
Lepus cornutus, 652. 653. ejusq; cranium, 654. 655. 656.
Lethargi & Paralyſeos Cauſæ Carteſianæ, 326.
Liceti & Clarimontis inimicitiæ 267.
Lignum petrificatum. 225.
Lignum quadratum literis Arabicis inſignitum, 370.
Limonium triplici cortice. 190.
Lienem canibus eximendi modus 648. 651.
Lienes plures & magni 254.
Lieni adhærens tumor

quidam pro ſteatomate habitus, 586.
Lieni lacteum humorem à pancreate communicari, 254. ſitus ejus inverſus, 687.
Lingvæ foramina duo ſalivalia, 648.
Literæ in S. Agathi æde. 219.
Litothomia, 345. veteribus calamitoſa, nobis ſalutaris, 346.
Loquelæ Infantium Cauſa, 327.
Lucentes piſces, 119. 120. inſectum 121. puſtulæ 133. 137. 138. ſerpentes igniti quare dicantur? 140. 141. 142. lucens Caro 18. Bononienſis lapis 46. gemmæ 63. meteora 78. calidum innatum lucens 65. Cerebrum recens mactatorum animantium 116. cor Catuli hyænæ 116. ſcorpius marinus in tenebris & gammarorum reliquiæ. 353 355.
Lucernarum perpetuarum in monumentis Danicis apud veteres nulla veſtigia, 124.
Lucius cornutus 439.
Lues Neapoli pro morbo non habetur. 205. Regiomontana 705.
Lumen quid? 69. diſtinctum à luce ib. & 70.
Lux prima. 59. unde? 80. quid fuerit? ſemel creata an omnia impleat? 84.
Lux quid? 64. 67. diſtincta à lumine 69.

ortus ex condensatione perspicui, 61. 62. seqq. hominibus innata. 115. 116. ejus origo. 125. vestigia in nobis probantur, 133. quare magis in uno quam alio luceat? 175. 176.
Lympha ab Helmontio descripta. 634. non ex nervis. 622. origo & usus 582. 622. 623. quare de jecinore multa fluat? ib. an sit soboles spirituum animalium? 681.
Lympha acida ex Kolhansio, 572. Pecquetisententia, ejusq; usus. 627.
(de) Lymphaticis Analecta. 708. sententiæ Backii & Cattierii. 709. seqq. Spicilegium. 642.
Lyceri Culter Anatomicus applausu autoris exceptus 491. seqq.

M.

Machæra. 380.
Malignis & pestilentibus morbis resistit Unicornu. 662. 663. Elixir Langeloti, 536.
Malva nostra & Indica. 6. arborescens. 365.
Mammarum Cancer. 712.
Manna ex fraxino Neapolitana. 216. Calabrina præfertur. ib. 231. aliæ 232. sympathetica, ibid. 233. nostra Saccharum Veterum Salmasio. 6. ejus natura.

Martium Anatome, & quid in iis obſervatum. 685.
Materia craſſa in membranis pectoris, 544.
Materia ſoliſequa. 195.
Meatus in corpore humano intercepti. 273.
Medicandi ratio apud Neapolitanos. 205.
Medici Lancinatores apud Prudentium & laniantes qui? 351.
Medici Romani. 191.
Montis peſſulani. 32
Meſſanenſes, 241.
Pariſienſes, 307. 308.
Norinbergenſes quidam & Hamburgenſes. 569. &c.
(in) Melancholicis affectibus refrigeratio & exſiccatio periculoſa. 209.
(pro) Melancholico cum ſiniſtri lateris totius pulſatione & ſuſpicione luis conſultatio, 207. 208. 209. 210 211. 212.
Melita Inſula quid rari habeat? 223. ſeq.
Mellis natura. 66.
Membranarum Thoracem diſtingventium inflammatio. 544.
Memoriæ varietas unde? 327.
Menſtruo non abſimilis liquor in Chyli receptaculo inventus. 574. 575.
Menſtruorum in vetula eruptorum obſervatio. 683.
Menſtruorum retentionis cauſa à tumoribus uteri. 255.
Menſtruum Univerſale, 276. 277.

Meſen-

Meſenterii pancreatisq; glandularum abſceſſus & apoſtemata quid mali ferant? 253.
Meſſanæ quid obveniat? 214. ſeq.
Meteora lucentia unde? 78.
(de) Miltoni ſcripto judicium. 436.437.
Mœſtorum ſubita morte extinctorum exempla. 678.679.
Mola artificioſa. 660.
Molurus ſerpens. 182. 186.
Monaſterii Mariæ Salutis Neapoli cavea 204.
Monilia Orientalium, 117.
Monocerotis cranium. 109.
Montalto mons Siciliæ auri minâ prægnans. 231.
Montis peſſulana Academia. 32.
Morbi Endemii Neapolitani. 205.
Morbi Magici putaticii exemplum 474. ſeq.
Morbus novus ex vitio lactearum, & Cura ejus. 632.633.
Miſta quædam 366. Ovidii & Claudiani. 602.
Mundi varii apud Clementem? 433. ſeq.
Muſæa Neapolitana. 201. ſeq.
Muſculi abdominis Peritonæum in conſenſum trahunt. 542.
Caſus notabilis. ib. 543.
Muſculi Buccinatoris uſus. 558. cucullaris inſignis magnitudo, 515. hyoidis motus tonicus 328. maſtoi-

mastoidis in collo usus. 515. obliquorum ortus. 585. pectoris inflammatio 544. ψόας usus 629. situs in fœtu. ibid. serratus anticus duabus costis superioribus incumbens 515. serrati antici majoris origo 587. serratorium posticorum usus. 515.
Musculorum tunica an peculiare integumentum? 585. quænam primaria illorum pars? ibid.

N.

Nattæ substantia referens infantem. 725.
Naves & naviculæ veterum. 311. 312. 313.
Navis artificiosa Roterodamensis. 658. 659. 660.
Neapoli quæ visu digna. 201. seq.
Nebucadnezaris metamorphosis. 732.
morbus quis & unde 734. seq. criticè curatus. 736.
Nervi an cavi sint? 326.
Nix unde? 64. 76. ad vini refrigerationem. 221.
Nili ortus. 582.
Nosocomia Neapolitana. 202. 203. Messanense Siciliæ. 215. Melitense. 226.
Nuces purgatrices. 21.
Numisma Æsculapii cum serpentibus. 186.
Numismatum in iconibus exprimendis fallax fides. 458.
Nummi Wilhelmi Regis Siciliæ. 213. 214. in quibus Naviculæ. 312. 313.

Nutrimentum propartium diverſitate album & rubrum. 504.
Nutriri fœtum & adultos chylo. 611. 612.
Nutritio an fiat per nervos? 622. 623. quomodo fiat vere per arterias 623. per ſapam. 628.
Nutritio fœtus per chylum expenditur. 480. 593. 594. 609. 610. quibus viis? 480. 612. non nutriri fœtum in utero humore Harvei. 627 imperfectior an ſimplici concretione alimenti alatur? 611.

O.

Obſervationes Anatomicæ. 251. ſeq. aliæ, præcipuè circa lacteas & lymphaticas 583. ſeq.
Obſtructiones viſcerum referantia. 210. 211.
(in) Oeſophago tumores in canibus, à vermibus. 592.
Oleum Gabianum. 37.
Olivæ montanæ Catanenſium. 221.
Orchotomia & Eunuchismus, 346.
Oſſa in arteria aorta Meltii. 722.
Oſſa in corde humano 273. quare in hoc noxia, inbrutis minus? 273.
Oſſa tibiæ contortæ Galli tripedis, 669.
Oſſicula ſex in ſutura lambdoidea. 119. 122. 123.
Oſſium pubis dislocatio an admittenda? 585.

P.

Palmæ indicæ fructus, 213.
Palpitatio cordis ex osse in eo, 273.
Pancreatis nomine quid Asellius? 4. ductus ejusdem, 121. omni humore vacuus, 197. insertio ejus, 585. duplex visus, 631. usus pancreatis, 253. 254. vermes in eo, 254. abscessus singularis & admirabilis, 474. seqq.
Paracelsi vituperium, 646
Paracenthesis in vomica hepatis instituta, 639.
Paralysis & cæcitas ex vulnere ebrio inflicto, 636. ab apoplexia quare sæpius dextrum latus tangat, 703.
Pars cava nulla in corpore, quæ non humorem recipiat, 298.
Partes albicantes, nutrimentum postulant album, 504.
Partus monstrosi bufonum lacertarum etc. observ. 641.
Pastilli ex liquiritiæ succo, 220.
Pastinacæ marinæ forma, & usus aculei ejus, 206.
Patibulum an differat à Cruce? 392. 393.
Pecqueti inventum, 455. utilitas, 461. 462. 463. 465.
(de) Pecqueto, 546.
Pedes tres Galli, 669.
Penis in corpore arteria satis magna, 586. dilatatores & elevatores

tores quomodo dicendi? 587.
Pericardii aqua qualis? 302. vide Aqua, vulnus an lethale? 296. 304.
Pericardium in quibusdam deeſt, 304.
Peritonæi uſus, 252.
Perſpicuum condenſatum lucet, 51. unde, 57. 61. ſeqq.
Peſtis Neapolitana, 650
Pharmacopœi, 415. 416. 418. 419.
Pharmacopolia Neapolitana, 204.
Phlyctenæ, 138. 139. 140.
Phœnices, 225.
Phœnici radiant oculorum jubar, apud Prudentium, explic. 351. 352.
Phaſeoli corallino atri, 21.
Philologiæ abuſus, 413.
Phthiſicorum in cadaveribus carunculæ in corde inveniuntur, 11. quare tamdiu ſerventur, ratio quædam, 280.
Pilulæ Elichmanni, 2. an univerſales ſint? ibid. vires, ibid. Pilulæ proprietatis 678.
Pinguedo in ſiniſtro cordis ventriculo, 5. unde, ibid. ii, abdominis inſignis, 663. ſeqq. aceto perit, 666.
Piſces nonnulli lucentes, 119. 120. unicornes quidam, 108. 112. cornuti, 373. 439.
Pix, reſina & terebinthina unde colligatur, in Sicilia? 221.
Plantæ circa Æthnam naſcentes, 220.

Plan-

Plantarum resolutio elegans, 269.
Plempii judicium de Riolano, 526. de generatione Harveana, ibid.
Pleura quid? 302. ejus dolor, 303. erosa à sero, 587.
Pleuritidis subjectum, 302. imago laborante hepate, 544. ficta pleuritis, ibid.
Præcordia lateris quomodo explicandum? 301.
Psittaci Anatomia, 684. ejusq; Cranium, ib. 685.
Πόα quid significet? 360. 365.
Portus Messanensium, 216.
Prayani, 321.
Puer petrificatus, 225.
Pulchritudo quid? 460.
Pulmo laxior pueris, 335. 345. propterea rarò peripneumoniaci sunt, ibid.
Pulmones pleuræ annexi, 587. 629. pus & sanguinem illæsi recipere possunt, 280. turundam in Vuln. pectoris receperunt, ibid.
Pulmonum motus, 318. divisio, 629. in fœtu, ibid. ulcera & vulnera, 280. inflammatio, 619.
Pulvis de Gannana peride ad Quartanam, 530. 535.
Post purgans pharmacum an aquæ potus conveniat? 470. 471 472
Pus è pectore ad vesicam, 283.
Pustulæ lucentes, 133. 137. 138.

Pygmæ-

Pygmæorum hiſtoria, 14. an ſint homines, an ex Dæmonum genere, 16. 17. 18. Sceleton pygmæi, 201. 202.

Q.

Quartanæ remed. 530. 535. Epidemicæ typus, 714. 715.

R.

Rami obitus, 306.
Radii oculis, temporibus & toti capiti tribuuntur, 351. 352.
Rara Naturæ, 213. Conf. Muſæa.
Regina Chriſtina, 467 649. 650.
Renes tres in Cane, 5. unius loco vermes duo, & unde; ibid. unus in homine, 254
Renum ſuccenturiatorum uſus, 586.
Reſpiratio Carteſiana, 309. 310. reſponſ. 318. 319. defenditur, 423. 424. 425. refut. 426. 427.
Reſpiratione nonnunquam carere poſſumus, 334. inprimis pueri, 335.
Reſpirationis ſignum in hyſtericis & apoplecticis, 319.
Rhinocerotis genera. 372.
Rhinocerotis cornu ſubſtantia. 375. ex eo poculum. 374. dens iſtius animalis ejusq; uſus. 374. 375.
Ricini americani ſemina 21. ricinus marinus. 206.
Riolanus contra Authorem 499. 500. 501. errores ejus 565. judicia de eodem. 526. 432. 468. 621. 622. 626. 644. 648. ſcom-

ſcommata. 528. 529. 540. valetudo. 645.
Roris natura. 65.
Roſæ ex Sale gemmæ. 231.
Roſæ Melitenſes, 224.
Roſeolæ ſaltantes Neapoli. 205.
Roſſalia. 139.
Ruber color in pretio orientalibus. 117.

S.

Sacchari Siciliani hiſtoria. 228. 229. 230. quare apud Neapolitanos non amplius coquatur? 206.
Saccharum noſtrum an idem quod Antiquorum? 6.
Sagittæ cornibus acutis. 375. celeres apud Virgilium, 400.
Sal Aëris mirabile. 531.
Sal Gemmæ Calabricum. 231.
Sal Siculum. 230.
Sal volatile. 277.
Salmaſii encomium. 377. 378. 379. iter. 430. valetudo & iter. 485. 486. obitus. 513.
Salſæparillæ Decocto morbos ſuos curant Neapolitani. 205.
Salvatellæ nomen Arabum, 199. 200. ſectio. 188. proficua in lienis affectibus. 208.
Sambuci umbra an damnanda. 731. 739.
Sangvificatio ubi fiat? 446. 448. 450. 562. 465.
Sangvis arterioſus & venoſus in quo differant? 172. 176. 177.
Sangvis ſine ſero nec eſt nec fluit. 299.

ipſum

ipſum non rubedo, ſed alendi aptitudo facit. 304. qua parte nutriat? 612. 604. lumen an ipſi eſſentiale ſit? ibid.
Sangvis in vulneribus Thoracis an per pulmones illæſos ad fauces feratur? 279. 280. 283. à frigore non aqueus, ſed craſſus evadit. 287. in defunctis an coaguletur? 287. 300. 301.
Sangviſugæ familiares Neapolitanis. 205. applicandi modus. 206. fiſtulæ ani ſæpe inde ortæ, ib.
Sapo gallicus, 37.
Scarabæus, 21. unicornis, 111.
Sceleton ficus opuntiæ, 269.
Sceleton humanum cum ligamentis propriis, 249. in hujus compoſitione nihil omittendum quod ſervari poſſit, 249
Schlegelii obitus cauſa 483. 569. 570.
Sclopeta pneumatica, 424. 427.
Screlingers quid ſint? 18.
Scribonii Mſ. 23.
Scorpii marini (Ulcſ) caput & exuviæ in tenebris fulgentes, 353. 354.
Scripta varia Italorum, 234. 235.
Sectiones Anatomicæ, 491. ſeq. modus novus, 514.
Sedile in Cruce Chriſti, 381.
Seile Arabum, 199. 200.
Semina quædam ſelecta, 190.

Semini ad generationem nihil tribuit Harv. 454. 470. quare nihil in utero viderit? 472. 527. generationis feminis locus, 586.
Septum cordis perviũm, 688. sinus amplus in eo conspectus. 157.
Serum sangvinis. 299. ipsum non sinit concrescere. 301. non esse excrementum, probatur gelatina. 503. 504.
Serpentes igniti in deserto. 129. an cum Dracunculis puerorum confundendi? ibid. certus morbus sunt. 130. 131. an viperæ sint? igniti vel fulgidi quare dicantur? 140. 141. 142.
Serpentes Melitenses innoxii. 225.
Sesamum & Milium arboreſcentia. 364.
Sesamum Messanæ, 215.
Sicilia quid memorabile habeat? 212. seq. & 217. seqq. ab Italia an unquam divulsa? 216.
Sinapi arboreſcens. 364.
Sinus inter Siciliam & Italiam tempore D. Pauli navigabilis. 217.
Soda, herba ad conficienda vitra. 220.
Sol in prima Creatione unde? 81. 82. materia, quæ eum sequitur. 195.
Somniorum varietatis causa. 328.
Spiritus Animalis actiones. 328.

Spiri-

Spiritus Tartari ex Tartaro fermentato. 531. 532.
Spiritus Vitalis circularis cum sangvine motus, 327. excitat animalem. 327.
Spirituum differentia ab objectis. 325.
Splendoris nomine quid? 69.
Spongia aceto imbuta quare Salvatori oblata? 403.
Stauri quid? 350.
Stellæ unde? 59. 78.
Stibium deleterium. 546.
Sudor Christi sangvineus. 457. 458.
Sudor lacteus trabis domus. 441.
Sudor sangvineus hominis, columnæ, crucifixi imaginum, murorum, panis &c. cadaveris suspensi. 440. 441.
Suffocatis inopinatò venæ cavæ orificium carnis fistulo obsessum. 273.
Syrupus Diarrhodon abbatis recens scammoneatorum instar purgat. 476.

T.

Tactus organon adæquatum omnes partes. 252.
Tartari fermentatio. 531. 532.
Taxus quid? 135.
Teda ex qua Pix Catanensis ejusq; usus. 221.
Terra Antiscorbutica Norvegiæ. 368.
Terræ Melitensis historia. 223.
In testiculis viri vas

ſingulare oſtenſum. 687.
Theriaca Meſſanenſis. 214.
Thermæ Gallicæ. 36.
Thermarum Aquenſium cremor. 2.
Thermarum uſus in affectibus melancholicis. 211.
Thoracis motus qualis. 319.
Thoracis ſuctio in Vulneribus. 281. 282.
Thoracis Vulnerum cautelæ quædam 281. 282. injecta iis ori communicantur. ibid.
Thyrſus quid? 361. an ex ea arundo, in qua ſpongia Chriſto oblata? 362.
Tinctura in Peſte D. Langelot. 536.
Tonitru unde naſcatur? 59. 77. 78.
Torminum Abdominis cauſa nova. 253.
Torpedines piſces tremorem inducere. 206.
Tremoris cura. 30.
Tremor totius corporis á ſero multo in ſpinam dorſi deciduo, obſerv. 474. ſeqq.
Triremes veterum. 311. 312.
Tumores uteri ad oſſis naturam accedentes 255.

V.

Vagina uteri monſtroſa. 701. 702.
Valvulæ coli ſitus, 422.
Variolis an lentes conveniant, 681. vermis è naribus in iis obſervat. ibid. gravida variolis infeſtata fœtum varioloſum edens. 682.

Vaſa

W.

Wilhelmi Regis Siciliæ inſtrumentum & nummus. 213.
Wormii obitus. 618.

X.

Xiphiæ piſcis piſcatio. 215.

Y.

Yuca Cluſii. 21. panis ex ea. ibid.

Z.

Zancleæ urbis Meſſanæ nomen unde? 216.
Zibetha. 213.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Google